


Car. Schaebe.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE
BEQUEST OF
PROFESSOR
M. L. D'OOGE

Winiewski, Franz 1802-1874

FRANCISCI WINIEWSKI

LITT. ANT. IN ACADEMIA MONASTERIENSI PRIVATIM DOCENTIS

COMMENTARII

HISTORICI ET CHRONOLOGICI

IN

DEMOSTHENIS

ORATIONEM DE CORONA.

INSUNT MULTA AD PHILIPPICAE AETATIS COGNITIONEM OMNIUMQUE DEMOSTHENIS ORATIONUM, QUAE SUNT EX GENERE PUBLICO, INTELLIGENTIAM ADIUVANDAM.

MONASTERII,

SUMPTIBUS LIBRARIAE COPPENRATH.

MDCCCXXIX.

AUGUSTO BOECKHIO

PRAECEPTORI SUO OPTIMO

LIBRUM HUNC

PUBLICUM

VENERATIONIS PIETATISQUE

DOCUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

F. WINIEWSKI.

Humanitatem, Boeckhi, vir praestantissime, quam vulgo gratam illam animi vocant affectionem, quae in mansuetudine, in aequitate, in dexteritate, in liberalitate denique cernitur, scite mihi antiqui Romanorum scriptores, qui verbis probe usi sunt, eruditionem simul doctrinamque nominasse videntur, ut paulum modo humanior idem eis valeret et doctior. Nimirum illi non una voce ad diversas significationes temere abuti, sed eo id potius significare volebant, inter illas virtutes, quae hominem unice deceant, et eruditionem artissimum vinculum interesse, utque veterum quidam dixit, qui sincere litteras et bonas artes cupiant appetantque, eos vel maxime esse humanos. Atque fuit quondam, quum ipsis his nostris antiquarum litterarum studiis, quorum nunc philologiae amplum nomen circumfertur, haec quaedam propria virtus dabatur, quod ingenium et mores prae ceteris litteris expolire et humanam naturam quasi humaniorem reddere valerent, eis ut unice et artium liberalium et humanitatis studiorum nomen tribueretur. Quod licet nunc de hoc solo studio-

rum genere praedicare arrogantius videatur, tamen quoniam his studiis omnium litterarum, quarum auctrix et magistra antiquitas fuerit, orbis recolitur, si qua antiquitati Graecae Romanaeque virtus est data, haud scio an non in eo, qui tot elegantissimis litterarum speciminibus, tot ingenii morumque exemplis intuendis probe adsuefactum se profiteatur, cum maxime quisque iure humanitatem illam quaerat, in quam omnes litteras tendere et concurrere decet.

Quod quidem antiquitatis studiorum, auctoritate sane et amplitudine magis nunc quam olim, humanitatis fortasse non item florentium gloria, decus olim concessum et concreditum etiam nunc quodammodo repeti eis vindicarique posse, cuius me quidem magis quam Tuum, Boeckhi, exemplum edoceat? Quam enim Tu cum doctrina, qua apud omnes praestas, singularem humanitatem coniungas, norint quidem omnes, qui Te cognorint; ego vero tantam in Te reperi eam et expertus sum, ut ad publicam pietatis meae testificationem acerrimis stimulis iam dudum commovear. Neque vero nunc remotiorum beneficiorum quamvis gratissimam recordationem repetere iuvat, quae quum ante hos aliquot annos antiquitatis studiis operam Berolini navabam, abs Te collata in me humanissime sunt. Superat novissimorum officiorum Tuorum recens nec umquam exstinguenda memoria, cuius pio animo recolendae ipsum hoc opus meum, quod primum nunc in vulgus emitto, opportunitatem

mihi suavissimam affert. Quod quum grati animi mei testificandi causa Tibi iam offero, daturum Te mihi simul hanc esse veniam spero, ut ad Te referam, quae ad Te referre cum mea me pietas, tum communes nostrae rationes iubere videntur.

Quum igitur ante hos duos fere annos ex aliis antiquarum litterarum deverticulis ad oratores Atticos devenissem, quorum me primus propriis suis confessisque virtutibus maxime alliciebat Demosthenes, quod ad Te Schoemannus in suo de comitiis Atheniensium libro conquestus est, ad hoc scriptorum genus probe intelligendum parum nos esse instructos, verum quidem hoc omnino esse facile intelligebam. Attamen quae ad forenses maxime orationes desideretur civitatis institutorum et iuris legumque cognitio, eam quidem affatim iam ex iis peti posse persensi, quae primum Tua, quae post Te Schoemanni, quae Meieri aliorumque recentissime exploravit et suppeditavit sagacitas et diligentia. Sed in eo maxime orationum genere, quod ad rei publicae fata administrationemque pertineat, non fugit me usque nos molestissimis difficultatibus impediri, quae in rerum gestarum obscuritate et discrepantiis, temporumque inconstantia et ancipiti conditione versentur. Neque vero his probe accurateque extricandis Tuum, Boeckhi, exemplum deerat. Tuam dico de Demostheneae in Midiam orationis chronologia Commentationem, quae, ut simili

modo reliquarum quoque orationum tempora explorarentur, mihi cum maxime desiderium peperit. Itaque ipsum me ad periculum in oratione de corona faciendum excitabant cum ea, quae in Prooemio libri huius indicavi, tum haud minime monumenta publica, huic orationi inserta, ex quibus rerum per universam prope Philippi Demosthenisque aetatem gestarum iusta et conditio et series optime mihi constitui explorarique posse videbatur. Captum consilium Tua confirmavit cohortatio. Sed in exsequendo iam gravioribus, quam sperabam, occurri difficultatibus, non occultatis illis a Te quidem, quum me cohortatus es. Quarum expeditis iam quidem satis feliciter iis, quas rerum gestarum tempora offerebant, una me maxime torquebat ea, quae in ipsorum monumentorum ancipiti ratione et archontibus, quos praeferunt, pseudeponymis praesertim versatur. In qua quum etiam, postquam primam iam libri mei partem temporum meorum cedens necessitati typographis tradideram, longius detinebar, neque tamen nodum ex votis solvere poteram, inexspectato mihi accidit, Boeckhi, ut a Te certior fierem, quaestioni illi ipsum Te manum apposuisse. Quin Tu etiam statim ipsam Tuam de archontibus Atticis pseudeponymis Commentationem, quum primum typis exscripta erat, licet nondum publici iuris factam mecum communicasti, recitatam illam a Te a. d. 12. Iulii 1827. in Academiae Borussicae Berolinensis consessu.

Magnum hoc officium Tuum aliud, quod maius etiam dixerim, excipiebat. Tu enim quum me in edendis meis iam occupatum comperisses, ut si qua essent, in quibus meae rationes a Tuis differrent, de iis inter nos denuo ageretur, proposuisti, simul mihi hoc liberaliter deferens, ut de quibus ita inter nos conventum esset, ego haec in Appendice meo libro addenda exponerem, quae vero persuadere mihi minus potuisses, ea ad confirmanda quae in Commentatione Tua brevius, quippe devitata uberiori de rebus gestis enarratione, statuisses, Tuo a me nomine pronunciarentur.

Haec Tua, Boeckhi, erga me singularis fuit humanitas; cuius recordatio eo gratiores simul in me affectus exsuscitat, quo magis ea animum meum memini eo ipso tempore gravibus curis vitaeque vicissitudinibus afflictum sublevari et erigi. Nam illa conditio, humanissime a Te mihi proposita, suavissima me sane affecit laetitia, quum si meae in explorandis rebus rerumque temporibus non mediocri diligentiae Tuum accessiset iudicium, omnes quae mihi residerent dubitationes remotum mihi operique meo haud exiguum incrementum allatum iri, spem in me excitaret firmissimam. Quod etiam omnino meis mihi ex votis successit. Neque enim in retractandis quibusdam meis castigandisve, neque in accuratius explorandis aliis Tuum mihi umquam, quantum certe fieri per litteras poterat, consilium defuit.

Quod igitur opus Te duce adhortatoreque coeptum, Tua humanitate adiutum, sustentatum, nunc absolutum est, hoc Tibi oblatum humaniter excipe, Tibique pietatis meae gratum velis monumentum exstare.

Superest, ut referam Tibique probem, qua ratione Tuis a me sit satisfactum mandatis. Pauca nosti fuisse, in quibus rationes meae a Tuis omnino discederent, eaque minus ex diversa de rebus gestis temporibusque cognitione, quam ex diversa de monumentis publicis, orationi de corona insertis, opinione profecta. Tu enim ea a recentiori quodam viro docto collecta statuisti, ego ab ipso quidem oratore profecta ea existimabam, quorum tamen praescripta recentioris cuiusdam docti male doctum ingenium depravare potuerit. Ex hac opinione mihi libri mei cap. III, quod typis excusum iam erat, antequam Tuam scriptionem accepi, difficillimae illae discrepantiae, quibus priora duo decreta laborant, quodammodo explicandae videbantur. In qua explicatione tamen quantum me torserim, quam parum mihi satisfecerim, neminem fugiet. Quam ob rem, quum Commentatione Tua perlecta id mihi a Te felicissime coniectum et invictis rationibus demonstratum videretur, archontes certe illos pseudeponymos omnino errore niti et ex scribis esse secundum prytaniam natos, non potui, quin Tecum omnia monumenta publica a viro quodam docto recentius collecta et orationi esse inserta statue-

rem. Unde iam hoc etiam mihi persuasi, duo illa priora decreta loco suo mota et ad alias res esse aliaque tempora referenda. At Tu eorum alterum, a Demosthene de legatis ad Philippum pacis confirmandae causa creandis latum, ad pacem retulisti, quam post Byzantii obsidionem Ol. CX, 1 inter Philippum et Athenienses compositam solus diserte Diodorus contendit, quem ego lapsum hic falsumque existimavi, quod de pace illa sileat Aeschines, sileatque Demosthenes, iique, quum de rebus continuo post Byzantii liberationem gestis copiosissime disserant, ita potius disserant, ac si bellum Ol. CX, 1 in. per Byzantii obsidionem Chersonesique vastationem nomine certe exortum, nomine et usque ad Elateam captam continuatum fuerit. Quum tamen Tu ex istis meis dubitationibus humanissime memet per litteras Tuas exsolveris, hanc Tuam de pace illa opinionem in cap. V., in quo res ante proelium Chaeronense gestas expono, meis simul et Tuis rationibus quantum potui accuratissime demonstrare confirmareque conatus sum, in eaque et nunc persto, licet, quam diu me oratorum illud silentium torserit, ipse Tu noveris. Sed quod Tu adhuc modo nuperrime erga me statuisti, pacem Ol. CVIII, 2 compositam Ol. CX, 1 in. solemniter esse discissam, id quidem clarissime testari Philochorum, rursus tamen Ol. CX, 2 Elaphebolione et sequentibus mensibus pacem actam esse, ex decretis constare archonte Heropytho latis,

et ex Philippi epistola, quin ipso etiam Demosthenis confirmari decreto, quod post Elateam captam scriptum est, Ol. CX, 2 Scirophorione XVI, silentium autem illud oratorum non adeo Tibi grave videri, quippe de pace et non diutina et sane speciosa, in his Tuis rationibus omnino mihi acquiescendum opinor. Praeter haec a Tuis haud minime ea dissentiebant, quae cap. II. 9. de duobus Calliae decretis a me sunt copiosius disputata. Sed quod illa ad Ol. CVII, 3 referenda iudicavi ob Salaminiam pugnam, quae in altero decreto commemoratur, mihique ad Salaminem Cypri commissa visa est, id et tum non sine dubitatione iudicavi, et omnino reprobandum esse cognovi, quum Tu, cur non de urbe Cypria sed de insula Salamine Tibi cogitandum videretur, clarius per litteras mihi aperuisses, meque simul ad accuratiorem rei explorationem excitasses.

Haec igitur et quae de prioribus illis duobus decretis ante statueram retractata invenies in libri mei Epilogo. Atque de Calliae decretis novas rationes meas ita primum exposui, ut Tecum a me communicatae, a Te comprobatae sunt. Non tamen in his solis et Ol. CVI, 1, ad quem Tu annum ea referenda duxisti, mihi acquiescendum videbatur. Offerebat enim difficultatem alterius decreti Charidemus praetor, de quo temporum causa id omnino quaerendum erat, utrum ille Orita esset an Atheniensis. Addidi igitur accuratiorem de Charidemo disqui-

sitionem, ex qua, anne decreta illa ad Ol. CVII, 2 referri probabilius possint, melius quam ego ipse Tu iudicabis. In retractandis primis duobus decretis id maxime contendi, ut omnibus discrepantiis clarissime detectis, falso ea loco orationi esse inserta Tecum omni ex parte probarem et confirmarem. Et Callisthenis quidem decretum ex Tua sententia omnino probabiliter statui ad Ol. CVIII, 3 referendum. De Demosthenis autem decreto praeter Tuam opinionem aliam meis de causis coniecturam proponere haud inutile duxi. Ita meis iam rationibus cum Tuis reconciliatis conquiescere operique meo finem imponere poteram, quum quaestio de archontibus pseudeponymis, de quibus in Prooemio acturum me esse promiseram, a Te iam soluta absolutaque esset. Veruntamen ad Tuas simul measque rationes confirmandas monumentorum conditionem accuratius persequi, difficultates omnes detegere, discrepantias explicare et ita Tuam, quam mihi ipsi iam asserui, de monumentorum collectione sententiam ab omni parte tueri et mea me omnino iubebat religio, mox tamen et externum coegit incitamentum. Nam quum aestate praeterita per valetudinem graviter vexatam opus ad plagulam decimam quartam typis iam exscriptum in longius tempus abiicere coactus essem, satis mature occurrit mihi Spengelii de archontibus pseudeponymis in oratione de corona Commentatio, ut quae meis Tuisque rationibus contraria auctor eius

statuerit adhuc perpendere possem et examinare. Erant autem, ad quae omnino mihi maxime respondendum fuerit, quum Spengelius contra Tuas rationes monumenta publica ab ipso Demosthene profecta statuat, nisi quod eis praescripta recentius addita sint, in ipsis vero praescriptis non archontes solos verum etiam menses diesque mero interpolatoris cuiusdam ingenio deberi contendat. Quibus ne nostra concuti possint, non quidem verebar, neque Tu sententiam Tuam aliquantum mutasti, quum quae responsurum me ad Spengelii argumenta esse nuperrime Tibi breviter significavi, ea Te omnino probare profitearis. Ita tamen et mea et Tua causa omnium monumentorum conditionem accuratius explorandam iudicavi. In quo evitari non omnino poterat locus de archontibus pseudeponymis, de quibus Tuam opinionem breviter eo magis exponendam censui illustrandamque, quod Commentationem Tuam non facile in cuiusvis manus statim migraturam esse putavi. Hic autem locus detulit me rursus ad archontem Niciam, de quo quum a Te brevius actum viderem mihi dubitatio oborta est, num ille scriba possit secundum prytaniam haberi, quippe qui non in decreto senatus populive, sed in testimonio scriptus sit, quod nonnisi ex actis iudicialibus petitum videatur. Quam quaestionem quam accuratissime potui exploravi, simul id agens, ut iis, quae ea de re nuperrime mihi mandasti, ex Tua sententia satisfacerem.

Neque certe quidquam omisisse mihi videor, unde Tua de Nicia illo opinio probabilis fieret.

Ita his, dum omnes difficultates eluctor, omnibus dubitationibus occurrere et Tuas rationes ab omni parte defendere conor. Quibus si quid ad rem penitus explorandam praestitum sit, utinam saltem et Tuae simul humanitati et meae in Te voluntati satis responderim. Sin autem in his ipsis, quod de aliis etiam quibusdam confiteri teneor, non in una sola sententia acquievi, sed argumentis in utramque partem excussis rem sub iudice relinquere malui, Tu certe in mea hac ratione non offendes, qui bene nosti ipseque satis expertus es, quam spinosa et lubrica de his rebus exploratio fuerit. Fecit hoc meum indagandae veritatis anxium quoddam studium, quod ipsum et si quid ex eo probe a me absoluteque exploratum sit, Tibi debeo, Tuo, Boeckhi, exemplo, Tuis monitis, Tuae illi, cuius suavissima recordatio animum ubique perfundit, humanitati, quae, dum inter opus elaborandum externis curis graviter affecto vires deficiebant, tenacem esse me usque propositi iussit et recreatum ad perseverantiam revocavit. Ceterum non fugit me, multa in libro hoc desideraturum esse et Te, aequissimum licet iudicem, et si quem alium Tui similem invenero. Quorum alia quidem loci, in quo moror, excuset conditio, maxime, quod Harpocrationem minus, quam oporteret, exscripserim, tum quod Voemelii Commentationes recentius

editas de bello Amphipolitano, de Olyntho, de pace prima inter Philippum et Athenienses per legatos celeberrimos composita, in quibus plura, quae tribus primis capitibus a me disputata sunt, diligenter et copiose explorata inveniuntur, nusquam respexerim. Illum enim me omnino fateor ad manus non habuisse, hae, quod de Clintoni quoque Fastis Hellenicis moneo, serius mihi innotuerunt, serius quoque ad me pervenerunt, quam ut eis adhuc uti potuerim. Reliqua, quae in dispositionis elegantia, in enarrationis brevitate, in orationis munditie et integritate, in aliis quibuscumque peccata sint, Tu certe, Boeckhi, excusabis, qui me meaque tempora nosti, et opus hoc necessitate primum maturius, quam religiosa ratio iusserit, extorqueri mihi, tum inter acerbos vitae impetus animique graves perturbationes accrescere bene memineris. Quae quidem non Tua causa commemoro, sed quod solatii lenimentique per Tuam mihi humanitatem allati gratissima iterum nec umquam reprimenda in animum meum redit memoria. At huic iam satisfactum sit. Vale iam, vir egregie, vale, Tibique, quod pio semper animo precor, quamque Deus horam, quodque fortunet consilium. Scribebam Monasterii Guestfalorum Calendis Februariis MDCCCXXIX.

Index Capitum.

Prooemium . . . . . p. 1—14.

Caput I. Explicantur res a publica Demosthenis administratione alienae maximamque partem ante aetatem Philippicam gestae:

Bellum Deceleicum. Athenarum conditio primis post bellum Peloponnesiacum temporibus. Pugna ad Haliartum. Atheniensium expeditio Corinthiaca. Fusis ad Leuctra Lacedaemoniis, Thebanis vero ad Graeciae principatum evectis, quas partes obtinuerint Athenienses. Oropus urbs Atheniensibus a Thebanis fraudata. Atheniensium in Euboeam adversus Thebanos expeditio. Trierarchi voluntarii Athenis primum instituti. Bellum sociale. . . . . p. 15—36.

Caput II. Ol. CV, 3 — CVIII, 1.

Philippus Amphipolim et Pydnam Atheniensibus eripit. Potidaea potitur. Bellum Phocense exardescit. Demosthenes ad rei publicae gubernacula accedit. Philippus Methonem expugnat. Ad Pylas ab Atheniensibus reprimitur. Antiphontem mittit ad comburenda Atheniensium navalia. Causa de Delo ab Atheniensibus coram Amphictyonibus dicta. Decreta duo, quae inserta sunt orationi de cor. p. 265, num ad tempus Ol. CVII et CVIII intercedens referenda sint, quaeritur. Olynthus a Philippo eversa. . . . . . p. 37—68.

Caput III. Ol. CVIII, 1 — CVIII, 3.

Pacis inter Philippum et Athenienses compositae terminatique belli sacri ratio et historia enarratur. Decreti, quod or. de cor. p. 235 insertum est, exploratur conditio. Singularum rerum series chronologica, in primis decretorum tempora constituuntur. Depravati in utroque decreto mensium dierumque numeri tentatur explicatio. . . . p. 69—121.

Caput IV. Ol. CVIII, 2 — CX, 1.

Agitur de Thraciae castellis inter pacis cum Atheniensibus pactionem a Philippo surreptis; de Haloneso a Philippo occupata, devastataque Peparetho; de Pythone, quem a Philippo ad Athenienses legatum refutavit Demosthenes; de insidiis Megarensium civitati a Philippo structis; de legatione ad Peloponnesiacas civitates ab Atheniensibus missa; de Euboea a Philippo tentata, ab Atheniensibus liberata; de Atheniensium expeditione Byzantia et interceptis a Philippo Atheniensium navigiis; de Chersoneso a Philippo infestata; de trierarchia a Demosthene ad censum redacta. . . p. 122 — 205.

Caput V. Ol. CX; 1 — CX, 3.

Agitur de rebus gestis inde a belli Amphissensis origine usque ad concussam clade Chaeronensi Graeciae libertatem. Singularum rerum tempora quantum potest accuratissime constituuntur; repugnantiae ex monumentis insiticiis natae illustrantur, et pro vera rerum conditione solvuntur. p. 206 — 257.

Caput VI.

Quo tempore actio in Ctesiphontem instituta, quo post in iudicium deducta et certamen de corona inter Demosthenem et Aeschinem actum sit, investigatur. . p. 258 — 290.

Epilogus.

Monumentorum publicorum, quae orationi de corona inserta sunt, universa ratio conditioque exploratur; archontes, quos praeferunt, pseudeponymi quid sibi velint, inquiritur; simul quae aut ambigue aut minus feliciter supra disputata sunt retractantur, in primis ea, quae de duobus Calliae decretis (de cor. p. 265), deque Demosthenis decreto (p. 235), item de Callisthenis (p. 238), denique de pseudeponymo Nicia in testimonio, quod exstat or. de cor. p. 273, in superioribus visa sunt et statuta. . . . . . . p. 291 — 361.

Addita sunt:

Tabula chronologica rerum praesertim earum, quarum tempora in hoc libro explorantur. . . . . . p. 363 — 372.

Index rerum et nominum. . . . . . p. 373 — 381.

Index locorum, quibus monumenta publica, orationi inserta, illustrantur. . . . . p. 382.

Addenda et corrigenda. . . . . p. 383.

Prooemium.

Oratorum Graecorum interpretatio quantum superioribus aeque ac recentissimis temporibus post eam curam relicta sit, quam poetis ceterisque scriptoribus Graecis et olim impensam esse, et apud nos adhuc impendi, omnigena tam veterum quam recentissimorum subsidiorum copia docet, satis cuique compertum est, qui in peragrando antiquarum litterarum campo ad hoc quoque auctorum genus vel cursim deverterit. Priorum editorum principes Hieron. Wolfius, Taylorus, Reiskius quo modo provinciam suam administrarint, quantum in critica castigatione aliis reliquerint, quantum in explicatione, luculenter sensit, et diserte pronunciavit F. A. Wolfius in Epistola ad Reizium, Leptineae Demosthenicae praemissa. Atque post summum hunc antiquarum litterarum antistitem, qui primus cum ad emendationem, tum ad perfectam explicationem candide facem praetulit, quamquam criticorum diligentia probe satisfactum est lectorum desideriis, si tamen ad intelligendos oratores subsidia quaeris idonea, multis eos intentatisque difficultatibus adeo

praeclusos adhuc et obstructos reperies, ut ea de re etiam nunc repeti posse videantur, quae de critica castigatione olim Wolfius statuit: non ita omnia esse occupata, novis ut curis locus deesset. Commentarii enim maximam partem in verbis haerent, et grammatico sensu demonstrando occupantur; multa in rerum explanatione desideranda relinquunt, in qua tamen interpretationis summa fere consumatur necesse est, ad eiusmodi auctores lectoris ingenio facile apteque insinuandos, qui, liceat enim ingeniosissimi iudicis, Wolfii verbis nostram rursus adornare sententiam, obviis verbis facilique ac dilucida oratione complectuntur res eiusmodi, quibus capiendis multa antiquitatis doctrina opus est.

Quod universe de oratoribus dictum ad eum vel maxime pertinet, quem candidissimum eloquentiae exemplum nobis antiquitas tradidit. In Demosthene quam subtilis antiquitatis cognitio, historiae religiosa indagatio desideretur, si penitus velis oratorem percipere et aliis percipiendum praestare, eximio exemplo probavit Wolfius, criticus aeque et interpres omnibus numeris absolutus. Quodsi enim in interprete ea potissimum virtus requiritur, ut cuiusmodi adiumentum res desiderat et quantum, id ad intelligendum auctorem legentibus afferat, unam illius inter oratores principis orationem hucusque ita comparatam et collustratam esse, ut omnibus desideriis iuste respondeat, confitendum est, eam, quam Wolfii cura in lucem protulit. Reliquae iacent suis adhuc spinis sentibusque tectae, et qui abolendis eis non dicam Wolfiani ingenii sagacitatem, sed colligendorum subsidiorum diligentiam probe et super mediocritatem admoverint, perpauci inveniuntur.

Quae ne inaniter a me dicta censeantur. Sed in Demosthenis orationem de corona commentarios historicos et chronologicos in publicum propositurus ex ipsa illa subsidiorum ad oratorem intelligendum penuria excusationem in primis petere volui operae meae in ea Demosthenis oratione collocatae, quam ut omnium notissimam et ab antiquis pariter ac recentioribus pleno laudis et admirationis ore celebratam omnibus explanationis adiumentis adornatam iam et occupatam non nemo speraverit. Verum tamen res longe alia est. Quod enim in Demosthenis explicatione summum est, id in commentariis plerumque omissum seu minus ponderatum invenio. Demosthenis enim summa vis oratoria, qua ceteris oratoribus longe antecellit, in eo potissimum posita est, quod non plausum sed persuasionem audientium quaerit, non verba sonantia et artificiose composita, sensu tamen vacua fundit, non sententias captat, sed oratione pura et simplici iudicium expromit rerum veritate et historiae experientia stabilitum et confirmatum. Verbis igitur levis est, sed plenus rerum copia, et factorum abundanti memoria stipatus sine recondita antiquitatis historiaeque cognitione intellectu difficillimus. Talem vero quum ubique se praebet, tum in illa maxime oratione, qua vitae suae factorumque veluti tabulam pictam repraesentavit. Unde iam quantum cum in unoquoque Demosthenis opere, tum in hac eius maxime oratione rerum explicatio praepollere debeat, satis perspicuum est.

Sed orationis de corona propria quaedam conditio est, quae singularem propositi nostri rationem, hocce opusculo persequendam excitavit. Premitur enim ea propriis quibusdam nec exiguis difficultatibus, quae nisi excussae sint expeditaeque, accuratius le-

gentis delectationem haud paullum infirmant atque perturbant. Etenim oratio de corona in referendis rebus maximam partem consumitur, quas factas eo tempore constat, cuius et mancam nec satis constantem exploratamque habemus cognitionem. Aetatem Philippicam dico, quae ex oratoribus prope solis accuratius abundantiusque cognosci potest. Hi vero praeter quod res, ut ex recenti audientibus et bene nota copia petitas, iaciunt potius, quam perspicue narrant, satis etiam notum est, quam frequenter a veritate declinent, resque seu orationis impetu, seu irritati animi fervore praeter veram conditionem exaggeratas obscuratasve referant. Unde nimiae rerum et temporum non modo obscuritates, verum etiam discrepantiae originem capiunt, quae cum intellectum operis veluti nodis et pessulis praecludere, tum male expeditae historiam ipsam commentis cumulare perturbareque facile possunt. Istae vero difficultates, hic illic per singulas Demosthenis aliorumque orationes aliae aliis sparsae, veluti uno tractu in eam recurrunt, in qua totius Philippicae aetatis spatium peragratur. Accedunt in oratione de corona decreta illa ceteraque publica monumenta, quae copiosiori in ea numero, quam in quavis alia reperiuntur. Ea etenim quum per se firmissima rerum temporumque testimonia esse possent, tali tamen sunt conditione, ut et a constanti oratorum scriptorumve relatione saepe prorsus discedant, aliaque multa et mira contineant, quarum explicationem sollertissima ingenii sagacitas vix assecutura sit.

His igitur veluti vepribus septa est oratio de corona, quae quantum dilucidam eius intelligentiam praepediant, sensit haud dubie lectorum is etiam, qui perlustrata modo in recentiorum subsidiis Philippicae

aetatis historia ad eius lectionem accesserit. Parum enim ad removendas explicandasve has difficultates universalis illa rerum cognitio expedit, quam conscripta de Philippica aetate recentiorum opera suppeditant, quae quum eo potissimum tendant, ut universi rerum spatii facilis praebeatur conspectus, factorumque nexus dilucide enarrentur, non possunt in minoribus neque palam, ut ita dicam, prostantibus eam prae se ferre sollertiam, neque in rebus suo quoque tempore ordinandis eam diligentiam, nec denique eam factorum exhibere constantiam, qua religiosa orationis expositio promoveri aliquatenus possit. Ea enim ut possit probe intelligi, et rerum gestarum cognitio requiritur amplissima ac religiosissima, et chronologia rursus, quae non in annis modo versetur, sed ipsos etiam, si fieri possit, menses et dies accurrate perpendat et constituat. Loquitur enim orator de rebus, quas auditores ipsi oculis auribusve perceperunt, et quarum recentem adhuc animo memoriam tenent; tangit acta in senatu populoque, secretam reipublicae administrationem, legationes, eiusmodi res alias, audientibus tritas et obvias, nobis nonnisi multa diligentique voluminum exploratione perspiciendas. Interpres igitur id agat sibique proponat necesse est, ut lectorem in audientis quondam conditionem transferat, factorum quantam res postulat cognitionem comparet, temporaque omnino ita adumbret, eorum ut vivida et tamquam praesens imago lectoris animo obversetur. Descendendum est ei in accuratissimam vel earum rerum investigationem, quas rerum gestarum enarratores in tricis ponere solent, apponenda nodis chronologicarum quaestionum manus vel anxie operosa, tentanda discrepantiarum, si fieri potest, solutio, sin minus, illustratio.

Quae quum ita sint, quum praesertim interpretes minus respexerint ad illustrandam temporum rerumque gestarum rationem, quibus tamen orationis de corona universa fere continetur materia, satis expositum his et defensum esse censeo singulare nostrum commentarios in gravissimam illam orationem historicos et chronologicos conscribendi consilium. Quo assequi id contendimus, ut quae ea in oratione facta referantur seu afferantur, sive ab oratore ipso commemorata, seu ad publica monumenta pertinentia, cuncta tum historiae face collustrentur, tum suo quoque tempore quantum possit accuratissime constituantur, discrepantiae dissipentur, nodi chronologici, quorum hac in oratione sedes est praecipua, solvantur aut explicentur, obscuris lux affluat, confusis et perturbatis accedat ordo et perspicuitas.

Quorum omnium multa iam quidem aliis locis tentata perscrutataque sunt ab aliis viris doctis, quorum praecipuos nominare adhuc teneor, ne occultatis aliorum meritis prima operosi laboris praemia appetere videar. Quod ad res attinet Philippi aetate gestas, dolui Lucchesinianos commentarios in orationes de republica ad manus me non habuisse, quum diu quaesitos ob raritatem libri acquirere non potuerim. Qui tamen eo usus est, Iacobsii, elegantissimi viri, copiosas adnotationes ad orr. de rep. patrio sermone redditas multum mihi singulis in difficultatibus lucis attulisse libenter gratoque animo profiteor. Sed in his quoque remanebant multa, quae novas curas reposcerent. In chronologicas difficultates et discrepantias unus interpretum Taylorus operae aliquantum impendit. Maiori cura et diligentia chronologos in hac arena vires suas exercuisse per se consentaneum est. Quorum prae ceteris Corsini, qui Taylorum praecesserat, praecipua

hac in provincia merita sunt, qui primus difficultates istas accuratiori investigatione dignas existimavit, decessorum errores redarguit, neque ipse indiligenter solvendis nodis manum apposuit; quamquam redarguendus ipse in plerisque a nobis erat ob praeproperum iudicium et critices temeritatem, qua in falsa facile abripi solet. Post hos viros in recentissimis Weiskius est, qui dissertationibus de hyperbole, errorum in historia Philippi commissorum genitrice, multa huc pertinentia ad veram rerum temporumque conditionem investigavit, pleraque docte commentatus est, sed ex instituti sui ratione neque ad omnia, quibus oratio de corona onusta est impedimentis, diligentiam suam intendere, et indicare magis quam explicare potuit, quae vera sibi falsaque esse viderentur.

Ad consilium nostrum redeo. Eo igitur id potissimum operae pretium existimavimus, ut ad orationem intelligendam quantulumcunque subsidii suppeditetur. Alias eius utilitates, quae inter laborem ipsum, magna ex parte operosum, multum afferebant incitamenti, commendabit ipsa orationis gravitas. Ea vero quanti sit momenti ad historiam in primis aetatis Philippicae, cuius accurata cognitione rursus unice nititur oratorum eiusdem temporis et Demosthenis maxime iusta explicatio, multis exponere non opus est. Persequendo consilio quid profecerimus, alii iam iudicent. Sin autem in singulis operis partibus lecturis minus satisfecisse videbor, si praesertim quibusdam in locis multa opera parum effecerim, excusatum me humaniter apud eos spero, qui argumenti acerbitatem vel primoribus labris degustarint, bene expertis, inesse his quaedam, quae in nostra illius aetatis admodum manca cognitione expediri non plane possint. Ea tamen etiam est, „magna scientia, quod nihil scitur." Ce-

terum quantum in nobis erat, operam dedimus, ut elaborando aliquid proficeretur. Quamobrem si non in rebus parum fructuosis, nec frustra desudasse existimabimur, satis laborum fructus nobis videbimur percepisse.

Ad ipsam igitur rem accedentibus de operis instituendi ratione praemonenda esse quaedam videntur. Etenim ex sola libri huius inscriptione eam fortasse quispiam opinionem in animum induxerit, observationum historicarum congeriem collecturos nos esse ad eam rerum seriem accommodatam, qua in oratione ipsa earum mentio fiat. Aptiorem ita usui fortasse librum reddidissemus, in quo lector in oratione occupatus statim in qua rerum obscuritate offenderit, explanatam reperiret. Quod tamen quum alii orationi prorsus conveniret, in Demosthenis de corona nimis incommodum esset. Perpetuam potius rerum enarrationem orationis ipsius conditio exigere nobis utique videbatur. Ad quod enim oratorum interpreti maxime tendendum esse iudicamus, ut vividam temporum imaginem exhibeat, lectorique ea subsidia comparet, quibus auditor olim instructus fuerit, id in nulla alia oratione locum tam proprium habet, quam in hac Demosthenis de corona, quae quum totam Demosthenis vitam in gubernaculis reipublicae contritam repraesentet, ipsa quodammodo universae illius aetatis adumbratio est, qua Demosthenis publicam administrationem circumscriptam esse constat. Ad unum igitur tempus pertinentia noluimus disiicere, sed vel ea, quae ex artificiosa orationis compositione disiecta erant, colligere potius et in unum conferre, ut perpetua enarratione una aetatis imago lectori spectanda proponeretur. Sed ratio haec universe significata ex

adumbrata orationis dispositione maiorem lucem requirit.

Etenim orationis de corona summa in enarranda Demosthenis reipublicae procuratione versatur. Quo tempore Graecia internis turbis discordiisque concussa et labefactata ad Philippi magis magisque declinabat imperium, in Athenarum civitate Demosthenes orationis vi et capitalis virtute ingenii depellere extrema pericula, tueri libertatem, exsuscitare civitates ad custodiendam salutem, conciliare discordes sibique infensas, ubique propugnacula libertatis adversus Philippi impetus erigere fortiter constanterque conabatur. Ei vero obstabat adversariorum haud exigua pars, quorum alii corrupti, alii falsa animi persuasione commodis Philippi inservientes ut depellerent Demosthenem a reipublicae gubernaculis praecipitarentque, enixe operam dabant. Huius factionis Aeschines principatum tenebat. Ea aliquamdiu depressa profligatis tandem clade Chaeronensi Demosthenis de libertate Graeciae consiliis, eo vehementius exsurrexit, ubi vindictae ex Demosthene sumendae maximam opportunitatem nacta sibi esse videbatur. Hac igitur occasione Aeschines instituta in Ctesiphontem lite legum violatarum, quod ob sparsa in rempublicam beneficia et constans erga eam animi studium corona donandum Demosthenem decrevisset, quum causa ad iudices esset deducta, in universam Demosthenis reipublicae administrationem invectus ea oratione est, quae in Ctesiphontem inscribitur. Eique Demosthenes, a Ctesiphonte causae patronus assumptus suam de corona orationem opponit (V. quae cap. extr. de litis origine et tempore disputantur): quae quamquam ad defendendum Ctesiphontem proprie habita est, eo tamen potissimum tendit, ut defensa adversus Aeschinis

criminationes publica Demosthenis administratione dignum eum praemio illo iudicibus esse ostendat. Aeschines enim tria praesertim exhibuit, in quibus peccasse contra leges Ctesiphontem demonstraret; primum, quod ante relatas muneris rationes corona donandum Demosthenem scripsisset: erat enim Demosthenes muris reficiendis theoricoque praefectus, quo tempore Ctesiphon decretum de coronando eo ad senatum deferebat; tum, quod in theatro Dionysiorum solemnitate; deinde, quod virtutis gratia et benevolentiae, quam erga Graecos universos et civitatem Atheniensium perpetuo haberet, fortitudinis etiam et constantiae in agendo dicendoque, quae populo maxime fuissent salutaria aurea corona ornandum Demosthenem commendasset. Omnia haec Aeschines ordine ut falsa impugnat legibusque contraria, tertio loco acerrime in Demosthenis administrationem reipublicae invehens, in cuius pravitate et damnis demonstrandis longissimam orationis suae partem consumit, ut qua maxime Demosthenem probitatis fama dignitateque evertere eique praeripere gratiam popularem contendebat. Sed in hoc victoriae spem parum firmam cernebat; illa, quod et ante relatas muneris rationes et in theatro Dionysiorum solemnitate corona Demosthenem ornandum senatui proposuerat Ctesiphon, invitis legibus decreta esse, certissimis argumentis evincere potuit. Haec igitur in oratione sua primo loco exhibet, Ctesiphontem in eis peccasse integerrima legum auctoritate demonstrat, denique a iudicibus petit, ut quo ipse ordine accusaverit, eodem solo Ctesiphontem a Demosthene defendi paterentur, p. 83 med. ed. Steph. At Demosthenes bene prospectis adversarii insidiis in ipso orationis suae exordio iudices legibus et religione obsecrat, ut quod ipse voluerit ac delegerit ordinis et defensionis genus, id sibi benigne concedant. Inde exorsus

totam defensionem ita persequitur, ut ex sua reipublicae procuratione egressus, eam duobus locis interruptam rursus repetat, et ad finem usque orationis perducat, id agens ubique, ut ad eam tamquam unicam actionis materiam iudicum animus intendatur, per eamque vel odio adversarii exasperatus, vel malorum civitatis recordatione commotus reliquam Aeschinis accusationem, Ctesiphonti intentam, oblivione obruat, in eaque paullatim opinione considat, tamquam non de Ctesiphonte iam, sed de Demosthene agatur, non de corona civi tribuenda, sed de comprobandis reprobrandisve consiliis iis, quibus imminentem sibi universaeque Graeciae ruinam tota civitas effugere quondam conata sit.

Nobis igitur ad quod potissimum tendendum, quae sit optima dispositionis ratio amplectenda, satis inde apparet. Maxima enim pars rerum gestarum, quae in or. de cor. referuntur, ad ipsam Demosthenis reipublicae administrationem pertinet, ut quae fere unica est orationis materia. Hanc igitur tamquam in medio totius nostrae disputationis ponendam esse perspicuum est. Eam eodem ordine persequemur, quo publicae suae administrationis enarrationem orator ipse transegit. Accessit Demosthenes ad reipublicae gubernacula Olymp. CVI a. 3. Hoc enim anno orationem de Symmoriis habuit, quam orationum eius ad reipublicae procurationem spectantium primam fuisse, auctor est Dionysius Hal. in epist. ad Ammaeum §. 4. Sed in oratione de cor. ab anno demum Olymp. CVIII, 2 egreditur, quo prima pax est Philippum inter et Athenienses composita. Ab hoc enim tamquam primo termino Aeschines (or. in Ctes. p. 62.) ad insectandam Demosthenis publicam administrationem assurgit. Inde exorsus Demosthenes quae a

se publice acta sint, per quatuor capita enarrat, artificiose cum universa oratione contexta, usque ad prima post cladem Chaeronensem tempora, e quibus causa Ctesiphonti ab Aeschine dicta et ipsa haec Demosthenis oratio originem cepit.

Atque prima pars enarrationis in brevi illo temporis spatio versatur, quod inter primam pacis Philippo cum Atheniensibus componendae pactionem et Phocensis belli finem vindictamque de Phocensibus sumptam defluxit, (or. de cor. p. 231 — 239 ed. Reisk.). Altero loco de iis orator disserit, quae tempore pacis actae tentata et perpetrata a Philippo sint, quae ab Atheniensibus adversus callidas Philippi conatus suscepta, usque ad redintegratum Olymp. CX, 1 bellum et Atheniensium expeditionem Byzantiorum auxilio missam (p. 247 — 263); tertio capite enarrantur ea, quibus contracta est altera Philippi in Graeciam impressio, Thebanorum cum Atheniensibus foedus, bellum commune in finibus Boeotiae gestum, usque ad concisam clade Chaeronensi Graeciae libertatem (p. 275 — 303). Denique inde a p. 309 eorum aliqua Demosthenes memorat, quae proelium Chaeronense continuo subsecuta sunt. Hisque terminis circumscripta ea rerum gestarum pars est, quas ut ad suam reipublicae administrationem pertinentes ordine quodam Demosthenes refert. Alia, quae praeter ordinem tum a Demosthene ipso hic illic citantur, tum in monumentis publicis locum habent, maximam partem ante primam pacem Athenienses inter et Philippum compositam collocanda sunt, quo tempore in Graecia bellum Phocense gestum est, et Philippus in regionibus Macedoniae vicinis cum barbaris et Graecis civitatibus per maris Aegei oram sitis, Atheniensibusque in Thracia continuis bellis occupabatur. Praeter haec denique re-

stant pauca quaedam, a Demosthene exempli causa memorata, quae facta sunt ante aetatem Philippicam.

Itaque rebus, quarum in oratione de cor. mentio fit, ita segregatis et per genera dispositis, quam disputationis nostrae viam persecuturi simus, satis monstratum est. Sex enim capitibus omnes quaestiones absolvendas fore, exposita modo ratio perspicue docet. Eorum primo de iis rebus dicendum erit, quae Philippicam aetatem praecesserunt; secundo exponenda ea, quae inter bellum Amphipolitanum ab Atheniensibus cum Philippo gestum facta sunt; deinde vero tribus capitibus complectenda ea, quae ad ipsam Demosthenis administrationem pertinent usque ad proelium ad Chaeroneam commissum. Quae vero hunc terminum excedunt, opportunum locum sexto capite invenient, quo ultima de orationis causa, de tempore litis ab Aeschine in Ctesiphontem institutae et orationis de corona habitae quaestio tractabitur.

Cuncta vero haec ex propositi nostri ratione ita persequenda erunt, ut omnium et explanentur res, et tempora suo quaeque ordine constituantur. In duobus primis capitibus accuratius fortasse et copiosius singula quaedam tractavi, quam loci conditio requirere videatur, rationem habens sequentium, et perpetuitatem quandam narrationis nec ingratam fore arbitrans neque instituto nostro inutilem.

Temporum autem accuratissima investigatio ut in universum probae rerum cognitionis princeps quoddam fundamentum est, ita in or. de cor. iis praesertim locis desiderabatur, quibus tabulae publicae reperiuntur. Harum plurimae praefixos quidem habent archontes, quibus numerari apud Athenienses anni

solebant. Sed archontes, quos exhibet or. de cor., omnes fere ab Eponymis iis quam maxime abhorrent, qui Fastis Atticis, in hac praesertim aetate Philippica optime exploratis, consignati sunt. Natam inde constat intricatissimam quaestionem esse de Archontibus pseudeponymis, quorum una fere et praecipua sedes est in hac Demosthenis oratione. De his, quum ad investiganda tempora nihil expediant, disputare singulis quibusque locis omisimus. Intelligebamus enim iudicari de iis ante non posse, quam anni, ad quos singulus eorum quisque referendus sit, cogniti essent, et accurate constituti. His igitur exploratis, quid sibi velint archontes isti, sententiaeque virorum doctorum hucusque de iis prolatae aliquamne habeant veri similitudinem, in Epilogo libri nobis discernendum proposuimus.

Caput primum.

Explicantur res a publica Demosthenis administratione alienae, maximamque partem ante aetatem Philippicam actae: Bellum Deceleicum. Athenarum conditio primis post bellum Peloponnesiacum temporibus. Pugna ad Haliartum commissa. Atheniensium expeditio Corinthiaca. Fusis ad Leuctra Lacedaemoniis, Thebanis vero ad Graeciae principatum evectis, quas partes obtinuerint Athenienses. Oropus urbs Atheniensibus a Thebanis fraudata. Atheniensium in Euboeam expeditio adversus Thebanos suscepta. Trierarchi voluntarii Athenis primum instituti. Bellum sociale.

1. Or. de cor. p. 258. ed. Reisk. *Ἀθηναίων πολλὰ ἂν ἐχόντων μνησικακῆσαι καὶ Κορινθίοις καὶ Θηβαίοις τῶν περὶ τὸν Δεκελεικὸν πόλεμον πραχθέντων.*

Decelea Atticae oppidulum fuit, CXX stadiorum intervallo ab Athenis situm, Boeotiaeque confine. Thuc. VII, 19. Hoc Peloponnesiaci belli anno decimo septimo, quum pax quinque annis antea facta ad bellum rursus declinabat, ut obsiderent munirentque Lacedaemonios exstimulavit Alcibiades, quum facillime inde Athenas incursionibus perpetuis convelli interclusosque terrestri commeatu et metallis Laurio redeuntibus opprimi Athenienses posse polliceretur. Thuc. VI, 91. 93. Eius igitur suasu Lacedaemonii cum sociis, in quibus Corinthios et Boeotos per universum belli Peleponnesiaci spatium praestantissimos fuisse constat, ineunte belli anno undevicesimo, id est vere Olymp. XCI, 3, duce Agide, Lacedaemoniorum altero rege, impressionem in Atticam fecerunt, vastataque terra Deceleam communierunt. Thuc. VII, 19, Diod. Sic. XIII, 9, qui sub Olymp. XCI, 4 praesidium Deceleae impositum tradit, suo more rem vere anni

praeteriti factam in sequentis initium conferens. Quod deinde successit bellum, quatenus terra gerebatur, in hoc Deceleicum Lacedaemoniorum castellum tamquam collatum videbatur. Quo factum est, ut reliqua in primis belli Peloponnesiaci pars, tum vero universum etiam bellum Deceleici nomen traheret. Diod. l. c. Thuc. VII, 27 *τὸν ἐκ Δεκελείας πόλεμον* posterius bellum appellat. De eodem: „bellum inter Athenienses et Lacedaemonios, quod Deceleicum vocatur" Trogi Pomp. Prolog. lib. V. Universum bellum manifesto Deceleici nomine significatum est ap. Isocr. in Symmach. c. 14, et apud Demosthenem cum hoc, de quo agimus loco, tum in Mid. p. 597, et advers. Eubulid. p. 1304, sicuti ap. Strab. IX, c. 1. — Gravissime enim per reliquos novem belli Peloponnesiaci annos hocce Deceleico Lacedaemoniorum praesidio Athenienses vexabantur, urbe e terra septa continuisque Agidis incursionibus agitata, quarum aliquot haud dubie maximas auctores referunt, unam exeunte anno belli vicesimo primo, Olymp. XCII, 2, Xenoph. Hellen. I, 1, 23; acriorem Diodorus narrat (XIII, 72), Olymp. XCIII, 1 factam, cui 900 equites Boeoticos interfuisse tradit; ad ipsum denique belli finem Agis congregatis sociorum copiis Decelea egressus in Academia castra posuit Olymp. XCIII, 4, quo tempore Lysander ad obsidendas mari Athenas accesserat. Xenoph. Hellen. II, 2, 7 sqq.

2. *Λακεδαιμονίων γῆς καὶ θαλάττης ἀρχόντων, καὶ τὰ κύκλῳ κατεχόντων ἁρμοσταῖς καὶ φρουραῖς, Εὔβοιαν, Τάναγραν, τὴν Βοιωτίαν ἅπασαν, Μέγαρα, Αἴγιναν, Κλεωνάς, τὰς ἄλλας νήσους, οὐ ναῦς, οὐ τείχη τῆς πόλεως τότε κεκτημένης.*

Olymp. XCIII, 4. — XCVI, 2.

Haec manifesto ad eam Athenarum conditionem spectant, in qua primis post bellum Peloponnesiacum

annis versabantur. Pax Athenienses inter et Lacedaemonios, qua bello Peloponnes. per annos viginti septem continuos gesto finis impositus est, accidit Olymp. XCIII, 4, mense, ut Plutarchus (in Lysandro c. 15) refert, Munychione. V. Xenoph. Hell. II, 2, 24 coll. c. II, 3, 1. Cf. Dodwell. Chronol. Xenoph. VII. Wessel. ad Diod. Vol. II p. 668. Hac Athenienses Lacedaemoniorum imperio et voluntati prorsus facti sunt obnoxii. Acropoli praesidium Lacedaemoniorum impositum, urbi Spartanus harmosta praefectus est. Plut. Lysand. l. c. Durissimis vero pacis conditionibus Athenienses Piraeum evertere, muros longos diruere, naves praeter duodecim omnes Lacedaemoniis edere (Xenoph. l. c. II, 2, 20), omnibus denique urbibus regionibusque, quae in eorum hucusque potestate fuerant, excedere coacti sunt. Aesch. π. παραπρ. p. 38 ed. Steph. Diod. S. XIII, 107. ἐκβάντες ἐκ πασῶν τῶν πόλεων, τὰν αὑτῶν γᾶν ἔχοντες scriptum est in ephororum decreto ap. Plut. Lysand. c. 14.

His igitur pacis conditionibus Lacedaemonii terra marique principatum assecuti sunt. Quem ut eo firmius stabilirent, ubique in subiectis suo imperio urbibus per Lysandrum moderatores, *ἁρμοστὰς* Laconice dictos, constituebant, qui singularum civitatium statum et magistratus suo ex arbitrio ordinarent, democratiae maxime infensi, et instituta ubique ad suae reipublicae formam oligarchia facillime civitates in potestate sua tenere posse existimantes. Diod. S. XIV, 10 Id quod ipsis quoque Athenis factum modo vidimus, ubi ad extremum concisis civitatis viribus eversa etiam ex Lysandri arbitrio vetus est reipublicae forma, et triginta virorum dominatio constituta exeunte Olymp. XCIII a. 4. Xenoph. Hell. II, 3, 1 et 11. Ex ceteris civitatibus aliquot circa Athenas potissimum sitas hoc loco Demosthenes affert. Quarum Euboea un-

devicesimo iam belli Peloponnes. anno, Olymp. XCI, 3, ad defectionem ab Atheniensibus propensa Agidem, tum Deceleae versantem adiit, a quo iam tum destinatus harmosta ad ordinandas insulae res publicas fertur. Thucyd. VIII, 5. Sed occupata demum a Lacedaemoniis est Olymp. XCII a. 1, eoque tempore status civitatis ex victorum arbitrio constitutus. Thuc. VIII, 95.

Tanagra, quam secundo loco Demosthenes affert, oppidum Boeotiae est pluribus proeliis celebre, haud longe ab Atticae finibus distans. Strab. IX, p. 403 Casaub. Eam bello Peloponnesiaco cum reliquis Boeotiae urbibus a Lacedaemoniorum parte adversus Athenienses pugnasse constat ex Thucyd. III, 91. IV, 93. Sed quae post pacem factam eius conditio fuerit, haud notum est. Neque quomodo eam, sicuti totam Boeotiam harmostis et praesidiis a Lacedaemoniis fuisse occupatam Demosthenes pro veritate dixerit, satis liquet. Etenim Boeoticae urbes belli Peloponnes. tempore ad concilii formam foederatae erant, in quo principem locum Thebae habuisse videntur. V. Kortüm zur Gesch. hellen. Staatsverf. p. 86. Tittmann Griech. Staatsverf. p. 694. Sed Thebanis totius Boeotiae imperium affectantibus, continua hos inter et tenuioris ordinis urbes simultas intercedebat, ad eos semper inclinantes, penes quos principatus Graeciae erat. Eaque praesertim paullo ante Leuctricam pugnam gravia Thebanorum cum ceteris Boeotiae civitatibus bella excitavit (v. infra nr. 5), quo tempore Lacedaemonii re vera harmostis et praesidiis plerasque Boeotiae urbes obtinebant. Xenoph. Hell. V, c. 4. Simili autem modo et statim post bellum Peloponnesiacum Lacedaemonios principatu suo in Boeotia usos esse eo magis consentaneum est, quod in ipso iam belli illius fine Thebani eorum suspicionem commoverant. Xen. l. c. III, 5, 5. Ceterum Lacedaemoniorum post op-

pressas Athenas principatus tanta ubique auctoritate fuit, ut quidquid iussum a viro Lacedaemonio esset, in eo omnes Graeciae civitates obtemperasse Xenophon dicat. Hell. III, 1, 5.

Megarenses inde a primo belli initio Lacedaemoniorum adversus Athenienses socii erant. Olymp. LXXXIX, 1 ortis internis turbis quum una civium pars cum Atheniensibus pacisci statueret, capta est a Brasida urbs, exulesque in eam reducti victoris auxilio oligarchiam Megaris instituerunt; eaque deinde perpetua reipublicae forma permansit (Thucyd. IV, 74), per quam civitas sequenti belli Peloponn. tempore non solum ex Lacedaemoniorum arbitrio pependisse, verum etiam ab eorum praesidiis custodita esse videtur. V. Schneider. ad Xen. Hell. I, 1, 36.

Aeginetae quia clam Lacedaemonios ad bellum Athenis inferendum exstimulassent, eiecti sede ab Atheniensibus sunt secundo belli P. anno, Olymp. LXXXVII, 2; receptique a Lacedaemoniis Thyream regionem inter Argolidem et Laconicam sitam incoluerunt (Thuc. II, 27), donec Olymp. XCIII, 4 a Lysandro ad obsidendas classe Athenas accedente in patriam restituti sunt. Xenoph. l. c. II, 2, 9. Plut. Lysand. c. 14.

De Cleonis, mediocri oppido, in via sito, quae Argis Corinthum ducebat (Strab. VIII, p. 377.), quod huc pertineat, nihil scriptores referunt. Hoc solum constat ex Thucyd. V, 67, Cleonaeos Argivis iunctos, qui ipsi Atheniensium socii erant inde ab Olymp. LXXXIX, 4, una cum his altera belli Peloponnes. parte adversus Lacedaemonios pugnasse. Statuendum igitur est ex hoc Demosthenis loco, Lacedaemonios sequenti aliquo tempore urbem hanc in suam redegisse potestatem.

Insulae, a Demosthene ultimo loco memoratae, maris Aegei potissimum intelligendae sunt, quas con-

ciso ad Aegos Potamon Atheniensium imperio una cum ceteris Thraciae Asiaeque minoris urbibus ab Atheniensibus abalienatas ita Lacedaemoniorum imperio subiunxit Lysander, ut ubique harmosta cum decem praefectis constitutis oligarchicam reipublicae formam stabiliret. Plut. Lysand. c. 13 et 14. Xenoph. Hell. II, 2, 5. Diod. S. XIV, 3.

3) *ἐξήλθετε εἰς Ἁλίαρτον.*

Olymp. XCVI, 2.

Hoc facto deminuta primum est Lacedaemoniorum dominatio, erectique sunt ad spem pristinae auctoritatis recuperandae Atheniensium animi. Lacedaemonii enim principatu superbe gesto odium et aemulationem mox plurimarum Graeciae civitatium excitarunt. Exacerbabat quam maxime ardens eorum ceteras rerum publicarum formas in oligarchicam convertendi studium, a quo ne apud eos quidem satis temperasse videntur, quorum auxilio et societate hunc potentiae gradum consecuti sunt. V. Xenoph. Hell. III, 5, 12 et 13. Auxit invidiam bellum a Lacedaemoniis Eleis illatum, quo feliciter inter Olymp. XCV a. 1 et 3 transacto magna possessionum parte Eleos cedere coegerunt. Xen. Hell. III, 2, 21 sqq. Haec fuit animorum affectio Olymp. iam XCV, 4, ubi Agesilaus, Lacedaemoniorum rex, Graecis Asiam minorem inhabitantibus auxilio adversus Artaxerxem missus non solum ab Atheniensibus, Thebanis et Corinthiis nulla accepit subsidia, verum etiam a Thebanis, quum Aulide sacra ageret, violenter depulsus est. Pausan. III, 9. Plut. Agesil. c. 6. Quum igitur paullo post Agesilaus victricia arma per Asiam latius in dies ferret, et Persarum exercitus graviter premeret, Tithraustes illa animorum exacerbatione ductus Timocratem Rhodium magna cum argenti summa in Graeciam misit, qui Thebanorum, Corinthiorum Argivorumque prin-

cipes corruptione ad bellum adversus Lacedaemonios excitandum commoveret. V. Xen. Hell. III, 5, 1 et 2 ibique Schneider. Ab hoc igitur instigati in primis Thebani statim veterem Locrenses inter Phocensesque simultatem incendunt; factaque Phocensium in Locridem impressione, Locrensibus ipsi auxilium ferunt. Quo facto Phocenses conqueruntur apud Lacedaemonios, qui inde a fine belli Peloponnesiaci Thebanis multis de causis graviter infensi libenter Lysandrum in Boeotiam ad vindictam de Thebanis sumendam mittunt. Xen. Hell. III, 5, 5. Inde igitur Thebani, Lacedaemoniorum iram pertimescentes, Athenienses, ut belli societatem secum inirent, implorant. Hi vero, quamquam damnis, quae pace illa ignominiosa fecerant, nondum correctis, datam tamen sibi primam veteris fortunae recuperandae opportunitatem rati, auctore Thrasybulo opem ferendam decernunt. Lysander collectis ad Haliartum copiis immaturum cum Thebanis proelium committit, in eoque ipse gloriosam mortem succumbit. Postridie Pausanias rex, qui eodem die cum Lysandro ad Haliartum convenire iussus erat, cum subsidiis iusto serius apparet, Atheniensibus vero duce Thrasybulo celeriter advolantibus confligere non ausus cum Thebanis paciscitur, infectaque re domum revertitur. Xenoph. Hell. II, 5, 16 sqq. Plut. Lysand. c. 18 et 19. Pausanias III, 5 et 10, s. f. Res haec accidit secundum Diodorum XIV, 81 Olymp. XCVI a. 1, seu potius secundum accuratiorem calculum, qui subduci e Xenophontis historia potest, eiusdem Olymp. a. secundo. Sed de tempore v. Dodwelli chronol. Xenophont. nr. XVII, qui tamen perperam Olymp. CVI a. 3 Lysandri caedem constituit, deceptus praesertim sua de Pythicis ludis sententia, quos altero quoque Olympico anno editos opinatur. Nostram sententiam probabunt sequentia.

4. *Καὶ πάλιν οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον εἰς Κόρινθον.*
Olymp. XCVI, 2.

Inde a pugna ad Haliartum commissa incepisse bellum Corinthium Pausanias refert III, 9, ad quod haec Atheniensium expeditio Corinthiaca, quam verbis supra exhibitis Demosthenes tangit, manifesto pertinet. Rebus enim feliciter in Boeotia contra Lacedaemonios transactis, statim Boeoti et Athenienses, et cum his Corinthii Argivique societatem inter se iunxere, communique apud Corinthios senatu instituto, qui de bello gerendo deliberaret, per legatos ad civitates ire iussos complures a societate Lacedaemoniorum abalienarunt. Lacedaemonii igitur quum potentissimas Graeciae civitates foedus contra se iniisse viderent, Agesilaum ex Asia cum copiis revocandum censuere. Ipsi tamen interea ex civium sociorumque delectu insigni exercitu conscripto Corinthum versus hostibus obviam processerunt. Diod. XIV, 82 sq. Copiae ab utraque parte magno numero congregatae ad Nemeam amnem, Corinthium et Sicyonium agrum interfluentem (Liv. 33, 15. cf. Strab. VIII, p. 382), convenere, commissumque ibi proelium est, in quo Lacedaemonii egregiam victoriam reportarunt. Xenoph. Hell. IV, 2, 9, sqq. Id proelium *μεγάλη μάχη πρὸς Λακεδαιμονίους ἡ ἐν Κορίνθῳ* vocatur a Demosthene adv. Lept. p. 472, in qua tamen, ut ex eodem loco videri potest, Corinthiorum una factio Atheniensibus potius, cum eorum sociis utilitati fuit, quam quod hic Demosthenes iactat Athenienses Corinthiis. Magna ea pugna iure dicitur, in qua a Lacedaemoniorum parte supra 14000, ab Atheniensium, Boeotorum et Corinthiorum supra 23000 certaverint. Xenoph. l. c. §. 16. Commissa vero est ante archontem Eubulidem secundum Aristidem T. III, p. 474 ed. Canter. Olympiadis igitur XCVI a. 2, tempore haud dubie verno, ut coniici potest ex Xenoph. l. c. c. 1, §. 41, quum ad Haliartum eiusdem

anni aestate conflictum esse videatur. Atque non aliam pugnam Corinthiacam hic posse intelligi, quam quae proxime subsecuta sit proelium ad Haliartum commissum, perspicue docent verba Demosthenis: *οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον.* Cf. Ulpian. ad h. l. Bellum quod inde initium cepit, auctores passim Corinthium vocant, cuius per octo annos gesti (Diod. S. XIV, 86) insignia facta fuere haec: Cononis ad Cnidum victoria, post quam restituti sunt Athenis muri longi Ol. CXVI, 3; Agesilai ad Coroneam de Boeotis deportata; eodem anno gravis seditio Corinthi orta, post quam Lacedaemonii exulibus auxilia ferentes, Athenienses vero Boeotique caedis auctoribus per longum tempus acriter ad Lechaeum dimicabant, donec pax Antalcidae ab Artaxerxe dictata finem bello imposuit Olymp. XCVIII a. 3. Temporum accuratam computationem v. in Dodwelli Chronol. Xenophontea.

5. *ἐπειδὴ Θηβαῖοι κρατήσαντες ἐν Λεύκτροις ἀνελεῖν ἐπεχείρουν [τοὺς Λακεδαιμονίους], διεκωλύσατε οὐ φοβηθέντες τὴν τότε Θηβαίοις ῥώμην καὶ δόξαν ὑπάρχουσαν.*
Olymp. CII, 4.

Lacedaemonii pace Antalcidea ob amissum principatum male contenti mox novas in Graecia turbas excitare conati sunt. Itaque Olymp. XCVIII, 3 et 4 Mantinenses impugnant; deinde Olymp. XCIX, 2 societate cum Amynta, rege Macedoniae, facta Olynthiis bellum inferunt, quo feliciter transacto Olymp. C, 1 totius Graeciae denuo principes existunt. Diod. S. XIV, 21 et 22. Xenoph. Hell. V, 3, 27. Occupata enim per iniuriam a Phoebida, quum Olynthum proficiscebatur, arce Thebana, universam quoque Boeotiam in potestatem suam redegerant. At mox exules Thebani, adiuvantibus fortiter Atheniensibus, expulsis ex arce Lacedaemoniis belli gravissimi, quod Boeoticum vocatur, auctores fiunt Olymp. C, 3. Eius Athe-

nienses abalienatis multis civitatibus a Lacedaemoniis et instituto Athenis communi sociorum concilio, primas partes suscipiunt. Diod. XV, 28. Thebani vero rebus sibi contra Lacedaemonios feliciter cedentibus, superbia in ceteras Boeotiae civitates efferuntur. Harum enim quaedam quum pace Antalcidea liberae suique iuris factae essent, nolebant *συντελεῖν εἰς τὰς Θήβας*, quod faciendum eis antea fuit, sed hoc praesertim tempore factionibus in singulis ortis multae ad Lacedaemonios inclinabant, aliae ad Athenienses. Cf. Xenoph. V, 4, 46 sqq. Earum igitur aliquas, Thespias in primis, Plataeas et Orchomenum Thebani armis persecuti gravi supplicio punierunt.*)

*) Haec quoniam in sequentibus saepe memoranda erunt, liceat hic uberius persequi. Adversus Plataeenses ad Atheniensium amicitiam quoque tempore pronos Thebani susceptam inde a celebri pugna ad Plataeas simultatem perpetuo exercebant. Belli igitur Peloponnes. initio Plataeas a Thebanis primum impugnatas, tum a Lacedaemoniis constat obsessas et Olymp. LXXXVIII, ½ occupatas esse. Thuc. III, 52. Restitutos postea pace Antalcidea Olymp. iam CI, 4 Thebani rursus adorti sunt, quod arcessitis Atheniensium auxiliis suam ipsis urbem tradere volebant; urbeque diruta expulsos Athenas confugere denuo coegerunt, ubi recepti *ἰσοπολιτείαν* consecuti sunt. Rem accidisse tribus annis antequam ad Leuctra dimicatum sit, archonte Athenis Asteo, Pausan. refert IX, 1; Diod. XV, 46 eam in eiusdem Olymp. a. 3. confert. Pertinet huc Isocratis Plataïcus. Cf. Xenoph. Hellen. VI, 3 ibique Schneider.

Thespienses quum Thebanorum, quorum aciem ad Leuctra deseruissent, iram metuerent, relicta sponte urbe Ceressum se contulisse, inde vero ab Epaminonda expulsos esse Pausanias refert IX, 13 et 14. Secundum Pausaniam igitur facta est clades Thespiensium Olymp. CII, 2. At Pausan. pugnam Leuctr. cum priore ad Tegeam commissa, in qua Lacedaemonii victi a Thebanis iam antea sunt (Diod. XV, 81. Plut. Pelop. 17.

Itaque Athenienses cum de Plataeensibus ac Thespiensibus patria expulsis dirutisque eorum urbibus indignati, tum quod suspectam habebant crescentem Thebanorum potentiam, nolebant amplius cum Thebanis belli communionem facere, sed pacem cum Lacedaemoniis inire decreverunt. Xenoph. l. c. VI, 3, §. 1. Conciliata inde est communis pax ea conditione, ut civitates Graeciae omnes suo iure fruerentur. Xenoph. VI, 3, 18. Pace igitur facta Thebani a Lacedaemoniis iussi sunt, ut Boeotiae civitates liberas dimitterent. Quod cum detrectarent, continuo novum certamen exarsit. Eo tempore Lacedaemonii impressione in Boeotiam facta, Leuctrica pugna ad extremum afflicti sunt Olymp. CII a. 2. Xen. VI, c. 4, §. 1 sqq. Diod. S. XV, 51. sq. Pausan. VIII, 26. Hac victoria Graeciae principatus ad Thebanos transiit. Quo, exortis mox in Arcadia turbis, quum ad Lacedaemoniorum ruinam abuti vellent Thebani, exacerbati Athenienses facile ad arma adversus eos convertenda permovebantur. Olymp. igitur CII a. 4, quum Thebani Epaminonda duce in agrum Spartanum invasissent, ipsaque Lacedaemoniorum urbs in summo versaretur discrimine, opem rogati Athenienses subsidia Iphicrate duce contra Thebanos in Peloponne-

---

Agesil. 27) confudisse videtur. Xenophon enim iam ante pugnam Leuctr. Thespienses *ἀπόλιδας* vocat (Hell. VI, 3, 1) et ibidem §. 5 *Πλαταιέων καὶ Θεσπιέων ἀναίρεσιν* memorat. Vero similius igitur Diod. S. XV, 46 Thespienses expulsos statim post Plataearum devastationem refert Olymp. CI, 3.

Denique bellum cum Orchomeniis eodem tempore diu gessisse videntur, quod obiter commemorat Xenophon VI, 4, §. 10. Sed expugnata et devastata demum Orchomenus est paulo post pugnam Leuctricam, Olymp. CIV, 1 secundum Diod. XV, 79. Pausan. IX, 15.

sum miserunt, qui impressione in Arcadiam facta hostes Laconica recedere coegit (Xenoph. l. c. VI, 5, §. 49, sqq. Diod. S. XV, 62, 63); foedereque exinde facto usque ad pugnam Mantinensem strenue cum Lacedaemoniis adversus Thebanos pugnabant. Xenoph. l. c. l. VII.

6. p. 259. *ὧν ὑπὸ Θεμίσωνος καὶ Θεοδώρου περὶ Ὠρωπὸν ἠδίκησθε.*

Olymp. CIII, 3.

Oropus oppidum erat in confinio Atticae Boeotiaeque ad Euripum situm, cui in opposita Euboeae ora Eretria urbs 40 stadiorum intervallo ex adverso iacebat. Strab. IX, p. 399, 403. Locus is haud exigui erat momenti, quia per eum terrestris commeatus ex Euboea veniens in continentem et in primis in Atticam importabatur. Thuc. VII, 28. Talem igitur ob situm et conditionem ex vetustissimis temporibus usque ad extremam Philippi aetatem Oropus continuam Atheniensibus Thebanisque controversiae et certaminis materiam offerebat (Str. IX, p. 399. Paus. I, 34), et utrisque iure sibi eum vindicantibus horum illorumve praevalentem ad tempus potestatem sequebatur. Belli Peloponnesiaci tempore Atheniensium inter socios *ὑπηκόους* fuisse Oropios, auctor est Thucyd. II, 23. Olymp. XCIII, 4 eversa terra marique Atheniensium potestate sui iuris urbs facta videtur esse. Olymp. enim XCIV, 3 Oropi cives seditione inter se excitata nonnullos ex urbe expulerunt. Qui ad tempus aliquod reditum propriis viribus sibi conciliare annixi cum coepta ad finem permovere minus valerent, Thebanos rogabant, ut suis ipsos copiis reducerent. Hi expeditione in Oropios suscepta urbe potiti sunt, eamque ad septem stadia longius a mari removerunt. Quo facto postquam primum Oropiis rem publicam proprio arbitrio gerendam permiserant, civitate deinde

cum iis communicata agros Boeotiae adiecerunt. Haec Diod. S. refert XIV, 17, cuius tamen postrema haec de usurpata a Thebanis Oropi posessione an non ad id ipsum pertineant, quod verbis supra exhibitis Demosthenes tangit, dubitari potest. Quod tamen utut est, Oropii usi fortasse depressa mox a Lacedaemoniis Thebanorum conditione cum Atheniensibus societatem iniisse rursus videntur. Nam in Isocratis Plataico Olymp. CI, 4 habito Oropii vel totam terram suam vel certe partem eius Atheniensibus adiecisse dicuntur p. 521 ed. Lange. Qua propter eo iam tempore invidia Thebanorum excitata ibidem fertur. Sed post pugnam demum Leuctricam, quam subsecuta mox est aperta Atheniensium contra Thebanos inimicitia, Ol. CIII, 3, facta ea sunt, quae Demosthenes l. s. c. commemorat. Rem praeparcis quidem verbis illustrat Diod. XV, 76. Olymp. CIII, 3 Themison (in textu perperam Themesion scriptum exstat) Oropum in suam potestatem redegit, urbem, ut Diodor. dicit, Atheniensium. Sed inexspectato eam rursus amisit. Quum enim Athenienses copiis longe superiores bellum ipsi facerent, Thebani opem ferentes urbem fidei suae commissam quum accepissent, restituere postea nolebant. Eadem de re eodemque tempore facta Xenophon haec refert: *ἔτι γὰρ τειχιζόντων τῶν Φλιασίων τὴν Θυαμίαν, καὶ τοῦ Χάρητος ἔτι παρόντος, ὁ Ὠρωπὸς ὑπὸ τῶν φευγόντων κατελήφθη. Στρατευσαμένων δὲ πάντων Ἀθηναίων ἐπ' αὐτόν, καὶ τὸν Χάρητα μεταπεμψαμένων ἐκ τῆς Θυαμίας, ὁ μὲν λιμὴν αὖ ὁ τῶν Σικυωνίων πάλιν ὑπ' αὐτῶν τε τῶν Φλιασίων καὶ τῶν Ἀρκάδων ἁλίσκεται· τοῖς δ' Ἀθηναίοις οὐδεὶς τῶν συμμάχων ἐβοήθησεν, ἀλλ' ἀνεχώρησαν, Θηβαίοις παρακαταθέμενοι τὸν Ὠρωπὸν μέχρι δίκης* (Hell. VII, 4, 1.). Ex his supplenda est manca Diodori narratio. Exorta scilicet seditione, eo haud dubie tempore, quo Thebanis totius Boeotiae principatum affectantibus singulae civitates ad Atheniensium

societatem inclinabant, id est inter Olymp. C, 4 et CI, 4, victrix Oropiorum pars, expulsis adversariis, Atheniensibus urbem tradidisse videtur. Exules vicinam Eretriam confugerunt, unde a Themisone tyranno Olymp. CIII, 3 in patriam restituti sunt, qui ea occasione opportunitate adiutus ipse urbem in potestatem suam redegit. Aberat enim eo tempore Atheniensium exercitus in Peloponneso Charete duce Phliasiis adversus Arcades et Argivos auxilio missus. Athenienses igitur cum eo, qui urbe aderat, exercitu accitoque confestim ex Peloponneso, Charete ad recuperandum Oropum adproperabant; quum tamen novis in Peloponneso turbis exortis ex improviso recedere cogerentur, pacti cum Thebanis a Themisone arcessitis ea videntur esse conditione, ut retinerent Oropum sua in potestate Thebani, donec de iure possidendi causa actum esset. At Thebani urbem semel acceptam reddere postea nequaquam voluerunt, sed eam sui iuris esse contendebant. Eandem rem tangit Aesch. in Ctes. p. 65 f., narratque Ulpian. ad Dem. de cor. l. c. Harpocrat. v. *Θεμίσων*. Iniuria haec Thebanis non sine proditione ab ipsorum Atheniensium parte successisse videtur. Orta enim inde est celebris illa causa de Oropo, quam Chabrias et Callistratus, imperator idem oratorque eiusdem temporis celeberrimus, dixerunt, postquam a Philostrato praeter alios multos capitis accusati sunt propterea fortasse, quod Atheniensibus auctores erant, ut Oropum necessitate urguente Thebanorum fidei committerent, ita vero collusionis clandestinae cum Thebanis insimulabantur. Causam hanc de Oropo a Chabria dictam Demosthenes memorat in or. Mid. p. 535, ad quem l. Schol. rem uberius explicat, sed inepte addit: *ὁ Χαβρίας ἐπειδὴ Θηβαίοις βοηθῆσαι Ἀθηναίους, ὅτε ἐκινδύνευον, εἶτα σωθέντες ἀπέσπασαν τὸν Ὠρωπόν.* De Callistrato, qui tum capitis damnatus in exilium abiit, postea reversus ad supplicium raptus

est, cf. D. Ruhnkenii hist. crit. orator. Gr. p. 140 Vol. VIII ed. Reisk. orr. Gr. Eximiam eius orationem illa occasione habitam Demosthenem adhuc iuvenem ad admirationem aemulationemque rapuisse, testis est Gell. III, 13, Ammian. Marcell. XXX, 4 et Plut. in vit. Demosth. c. 5, qui tamen in eo errat, quod Demosthenem puerum adhuc a paedagogo in concionem adductum dicit. Demosthenes enim eo tempore annum iam duodevicesimum agebat, si quidem archonte Polyzelo, id est Olymp. CIII, 3 in Epheborum numerum relatum se esse ipse affirmat or. c. Onetor. I p. 868.

Iniquitatis huius Thebanorum frequens ab oratoribus et in primis a Demosthene mentio fit. Inde ab hoc enim tempore Oropus in Thebanorum potestate permansit, quamvis Athenienses in Thebanos acerrime per totum deinde tempus exacerbati qualibet occasione recuperare urbem conarentur. Cf. Dem. pro Megalopol. p. 203, de pace p. 60, 61, 63, *π. παραπρ.* p. 348, 409. Post cladem demum Chaeronensem Philippus pace facta Atheniensibus gratificaturus et Thebanis acriter infensus urbem his ereptam illis reddidit. Pausan. I, 34. Ulp. ad Dem. de cor. l. c.

7. *σφετεριζομένων Θηβαίων τὴν Εὔβοιαν οὐ περιείδετε, ἀλλ' ἐβοηθήσατε καὶ τούτοις.*

Olymp. CV, 3.

Haec Atheniensium expeditio adversus Thebanos in Euboeam suscepta octavo anno accidit post ereptam a Thebanis Oropum, quinto post pugnam ad Mantineam commissam. Post eam pugnam Graeci perpetuis certaminum laboribus defessi commune pacis et armorum societatis foedus inierunt (Olymp. CIV, 2), detrectantibus tamen Lacedaemoniis, qui ob inclusos foederi Messenios, ab Epaminonda paullo ante restitutos, subscribere pacis conditiones nolebant. Diod.

S. XV, 89. Pace igitur hac nulla ex parte mutata est Graeciae conditio, sed maior inde etiam lis ac perturbatio initium cepit (Xen. Hell. VII, 5, 27), Lacedaemoniis pristinum in Peloponneso rerum statum restituere cupientibus, in Hellade Thebanis extendere principatum conantibus, Atheniensibus contra odio in eos perquam exacerbatis pro potentia sua acerrime vigilantibus. Inde ab Olymp. C a. 4, quo tempore magna Graecarum civitatium pars ad foedus adversus Lacedaemonios ineundum accita est, Euboea universa praeter Histiaeam Athenarum socia fuit. Diod. S. XV, 30. Huius insulae tres erant praecipuae civitates, Chalcis, Eretria et Oreos, Histiaea quondam vocata, quae posterioribus his praesertim temporibus partim a tyrannis regebantur ut Chalcis Eretriaque, partim populi dominatione ut Oreos. Cf. Aesch. in Ctes. p. 66 sq. Hae cum tyrannorum inter se certaminibus, tum factionum turbis frequenter infestabantur. Intestinis igitur his motibus Athenienses, quorum quam plurimum intererat, ut sibi Euboeensium integram servarent societatem, saepe his temporibus auxilia in Euboeam mittere cogebantur. Eiusmodi seditio, Thebanorum haud dubie principatus cupiditate excitata, partium contentione orta est Olymp. CV, 3, Diodoro teste XVI, 7, brevi tempore antequam bellum, quod sociale vocatur, initium caperet. Euboeenses tum excitatis inter se dissidiis, alii Thebanorum, alii Atheniensium subsidium implorabant. Itaque bellum per Euboeam exortum est, quo Thebani modo superiores erant, modo Athenienses, donec insula per bellum intestinum vastata, multaque hominum caede ultro citroque peracta, Euboeenses concordia instaurata pacem inter se constituere. Haec Diodor. l. c., a quo tamen id omissum est, victos ab Atheniensibus Thebanos insula decessisse. Saepius enim subsidium hoc Euboeensibus latum a Demosthene adfertur, ubi quid celere

valeat consilium, quanta ex maturato incepto utilitas percipi possit, demonstrare conatur: *ἴσϑ' ὅτι πρῴην Εὐβοεῦσι ἡμερῶν τριῶν ἐβοηϑήσατε καὶ Θηβαίους ὑποσπόνδους ἀπεπέμψατε . . ἆρ' οὖν ταῦτ' ἐπράξατ' ἂν οὕτως ὀξέως —;* Or. in Androtion. (quae habita est Olymp. CVI, 2 secd. Dionys. Hal. in ep. ad Amm. c. 4) p. 597. Cf. Philipp. I, p. 44. Olynth. I. p. 11. Or. pro Megalopol. p. 206. Timotheum praetorem Athenienses ad expeditionem illam maxime incitasse, Demosthenes refert de Cherson. p. 108. Diocles autem expeditionis illius dux fuisse videtur. Is enim or. Mid. p. 570 cum Thebanis in Euboea transegisse dicitur: *τῶν σπονδῶν ἤδη γεγονυιῶν, ἃς Διοκλῆς ἐσπείσατο Θηβαίοις.* Sed rem totam uberrime illustrat Aesch. in Ctes. p. 65 s. f. his verbis: *ὑμεῖς γάρ, ὦ Ἀϑ., πολλὰ καὶ μεγάλα ἠδικημένοι ὑπὸ Μνησάρχου τοῦ Χαλκιδέως — καὶ πάλιν ὑπὸ Θεμίσωνος τοῦ Ἐρετριέως, ὃς ἡμῶν εἰρήνης οὔσης Ὠρωπὸν ἀφείλετο, τούτων ἑκόντες ἐπιλαϑόμενοι, ἐπειδὴ διέβησαν εἰς Εὔβοιαν Θηβαῖοι, καταδουλώσασϑαι τὰς πόλεις πειρώμενοι, ἐν πένϑ' ἡμέραις ἐβοηϑήσατ' αὐτοῖς καὶ ναυσὶ καὶ πεζικῇ δυνάμει, καὶ πρὶν τριάκονϑ' ἡμέρας διελϑεῖν ὑποσπόνδους Θηβαίους ἀφήκατε, καὶ κύριοι τῆς Εὐβοίας γενόμενοι τάς τε πόλεις αὐτοῖς καὶ τὰς πολιτείας ἀπέδοτε, ὀρϑῶς καὶ δικαίως τοῖς παρακαταϑεμένοις, οὐχ ἡγούμενοι δίκαιον εἶναι τὴν ὀργὴν ἀπομνημονεύειν ἐν τῷ πιστευϑῆναι.* Quod denique ad tempus attinet expeditionis huius, non erravit Diodorus S. l. c., ubi Olymp. CV a. 3. eam susceptam esse refert. Definita enim satis est belli socialis initio Philippique in Amphipolin impetu, quibus factis priorem, uno tamen eodemque anno, Olymp. CV, 3, accidisse eam infra nr. 9 h. c. et nr. 2 sq. cap. demonstrabimus.

8. *τῶν ἐθελοντῶν τριηράρχων τότε πρῶτον γενομένων, ὧν εἷς ἦν ἐγώ.*

Olymp. CV, 3.

De hoc loco, sicuti de eo, qui illum in or. de cor. continuo excipit, ubi novam a se latam legem trierarchicam Demosthenes describit, multis disputandum foret, nisi omnia, quae huc pertineant, a Böckhio in libro de Oecon. civ. Ath. Vol. II inde a. p. 79 ita essent occupata, ut omnis ea de re quaestio iure absoluta iam et exhausta dicatur. Inde igitur lucem petat, qui quis trierarchus fuerit, qualia eius officia, quae trierarchiae pro temporibus ratio scire accuratius cupiat. Nostrum est, ut ea hic potissimum exhibeamus, quae ex temporum conditione ad rem, quam verbis s. c. Demosthenes tangit, explicandam expediant. Trierarchia inter publica civium Atheniensium onera, quae haud parvas subeuntis exigebant impensas, eiusmodi fuit, quod civitati gravissimam offerebat utilitatem, civibus pro liberalitate in praestando officio sparsa honorem et laudem maximam. Ex quo tempore res publica Atheniensium in meliorem, quae deinde permansit, formam redacta est, per omnem reliquam aetatem, qua divitiis potentiaque civitas eminebat, nonnisi ditissimis civibus onus hoc imponebatur, tali quidem modo, ut quotquot eorum lege ad suscipiendam trierarchiam designati fuissent, una cuique triremis instruenda curandaque per annuum spatium esset. Inde vero ab extremis Peloponnesiaci belli temporibus, quum et civitatis copiae continuis bellis exhaustae, singulorumque opes concisae essent, pauciores in dies fiebant, qui solis suis viribus sustentare triremes valerent. Reliqua igitur aetate, in primis Demosthenica, res plures commutationes experta est, donec tandem Demosthenis consilio Olymp. CX, 1 tota trierarchiae ratio ad censum esset redacta, qua de re infra cap. IV nr. 10 disputabimus. Primum enim post cladem

circiter Atheniensium Siciliensem, Olymp. XCII a. 1, lege concessum est, ut bini in adornanda triremi occuparentur; eaque ratio obtinuit usque ad eum annum, quo Atheniensium in Euboeam expeditio, de qua modo egimus, contra Thebanos missa est. Ad hanc igitur primum voluntarios exstitisse trierarchos Demosthenes tradit; urguente haud dubie necessitate, quia praecepti iam antecedentibus bellis ii sunt, quibus ex lege adornandae naves essent, et magna praeterea eorum pars in Macedonia iam Thraciaque occupabatur, ubi eodem ipso tempore bella Athenienses gerebant (cf. cap. II, nr. 1 et cap. IV, 9); subsidia vero in Euboeam nimis erant maturanda, quam ut novi trierarchi lege adhuc constitui possent. — Ad eosdem voluntarios trierarchos confugere civitas bis adhuc tempore statim insequenti coacta est, qua de re audiatur ipse Demosthenes loco huc quam maxime pertinente, in or. Mid. p. 566: *ἐγένοντο εἰς Εὔβοιαν ἐπιδόσεις παρ' ὑμῖν πρῶται: τούτων οὐκ ἦν Μειδίας, ἀλλ' ἐγώ, καὶ συντριήραρχος ἦν μοι Φιλῖνος ὁ Νικοστράτου· ἕτεραι δεύτεραι μετὰ ταῦτα εἰς Ὄλυνθον, τρίται νῦν αὗται γεγόνασιν ἐπιδόσεις.* In quibus vox *αὗται* largitiones significat, quae erogatae sunt ad expeditionem Plutarchi, Eretriensis tyranni auxilio in Euboeam susceptam Olymp. CVI a. 3. V. Böckh. über d. Zeitverhältnisse der R. g. Meid. in Actis Acad. Berol. A. 1818 — 19. Cl. Philol. p. 60 sq. Illa igitur superior expeditio Euboeensis eam significat, quae Olymp. CV, 3 missa est. Ceterum eadem de re cf. Böckhii librum s. c. Vol. II, p. in primis 86 — 101.

9. p. 257. ὑμεῖς δ' οἱ μεμψάμενοι πολλὰ καὶ δίκαια ἂν ἐκείνοις [τοῖς Βυζαντίοις] εἰκότως περὶ ὧν ἠγνωμονήκεσαν εἰς ὑμᾶς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις, οὐ — μνησικακοῦντες — ἐφαίνεσθε.

Olymp. CV, 3. — CVI, 1.

Verba haec manifesto referenda sunt ad bellum sociale, quod Byzantii societate cum Chiis Rhodiisque facta intra Olymp. CV, 3 et CVI, 1 adversus Athenienses gerebant. Civitates eae Olymp. C, 4, exardescente gravi Atheniensium Thebanorumque contra Lacedaemonios bello, deserta Lacedaemoniorum societate accesserunt ad foedus, quod praeeuntibus Atheniensibus adversus superbam Lacedaemoniorum dominationem in Graecia exstitit. Diod. S. XV, 28. Sed statim post Leuctricam pugnam, quum Athenienses Thebanorum invidia inde ab Olymp. CII, 4 cum Lacedaemoniis belli communionem fecissent, abalienatae per Thebanos totius tum Graeciae principatum affectantes, ab Atheniensibus esse videntur. Olymp. enim CIV a. 1, quo tempore Epaminondas Thebanos exhortatus est, ut maris imperium capesserent, invitatos a Thebanis Rhodios, Chios et Byzantios ad foedus cum eis ineundum Diodorus S. indicat XV, 79. Incitati praeterea in primis Rhodii a Mausolo videntur, Cariae tum temporis regulo, qui insulam imperio suo obnoxiam reddere cupiebat; cuius rei testis est Demosthenis oratio pro Rhodiorum libertate, aliquot annis post bellum sociale habita, in qua ducem belli signiferumque Mausolum orator vocat, ubi de origine eius haec verba profert: ᾐτιάσαντο — ἡμᾶς ἐπιβουλεύειν αὐτοῖς Χῖοι καὶ Βυζάντιοι καὶ Ῥόδιοι, καὶ διὰ ταῦτα συνέστησαν ἐφ' ἡμᾶς τὸν τελευταῖον τουτονὶ πόλεμον. φανήσεται δ' ὁ μὲν πρυτανεύσας ταῦτα καὶ πείσας Μαύσωλος, φίλος εἶναι φάσκων Ῥοδίων, τὴν ἐλευθερίαν αὐτῶν ἀφῃρημένος — p. 191. Ad prima verba narratio fortasse Scholiastae pertinet in argumento ad Isocr. Symma-

chicum, qui Charetem adversus Amphipolin ab Atheniensibus missum, quum ad Chios, Rhodios aliosque socios conversus iniuria eos tractasset, excitasse bellum sociale refert. His igitur cunctis de causis Chii cum Rhodiis Byzantiisque foedus adversus Athenienses inierunt, exortumque bellum inde est continuo post transactam feliciter ab Atheniensibus expeditionem Euboeensem, quod facile concluditur ex Demosthenis orat. in Aristocr. p. 677, 678, 680. Missum enim tum orator refert Charetem in Hellesponti regiones, ut Chabriam in Chersonesi imperio exciperet, quos statim post Euboeam pacatam, Olymp. CV, 3, imperatores delectos in Chium insulam impressionem fecisse Diodorus S. narrat l. XVI, 7. Mansisse autem bellum hoc, quod sociale vocatur, sub Agathoclis et Elpinicae archontatu, id est Olymp. CV, 4 et CVI, 1, Dionys. Hal. scribit in Lys. nr. 13. Bellum adversa fortuna ab Atheniensibus gestum est. V. Isocr. Symmach. p. 257. Lang. Initio statim eius Chabrias, imperator celeberrimus, in oppugnanda Chio succubuit, quem exceperunt Iphicrates et Timotheus. Devastatae deinde sunt gravissimae Atheniensium illis regionibus insulae, Lemnus, Imbrus, Samus aliaeque. Gravior pugna, quam conflicturi post utrique in Hellesponto erant, refragantibus Iphicrate Timotheoque propter vim tempestatis subito exortae, intermissa est. Quo facto remotis per Charetis accusationem ab imperii munere Timotheo et Iphicrate, Chares totius classis praeturam adeptus est. Isque missis Byzantiis Chiis et Rhodiis Artabazo se, qui a rege Persarum defecerat, universis cum copiis aggregavit. Hac de causa indignatum regem Atheniensibus illaturum bellum esse, rumor ferebat. Quo perterriti Athenienses bellum cum defectoribus continuo composuerunt. Olymp. CVI, 1. V. Diod. S. XVI, 21 et 22.

Rebus his, quae postremo loco a nobis expositae sunt, ad ipsam iam aetatem Philippicam descendimus, cuius in rebus a Demosthene oratione de cor. commemoratis sequens commentariorum nostrorum pars summa praestantissimaque consumenda erit. Etenim quamquam Olymp. iam CV a. 1 Philippus Macedoniae imperium susceperat, eodem tamen demum anno, quo liberatam Euboeam a Thebanorum dominatione cognovimus, bellique socialis initium factum, id est Olymp. CV, 3, Philippus Amphipolin urbem in potestatem suam redegit, unde controversiae Philippum inter et Athenienses, circa quas veluti cardinem posterioris aetatis facta omnia in or. de cor. sive relata seu indicata vertuntur, primam traxere originem. Amphipolis autem expugnatio quum sit rerum Philippicarum prima et remotissima, quam Demosthenes tangit, eam sequentis nostrae disputationis tamquam terminum ponentes, cetera eo, quem in prooemio indicavimus, ordine persequemur.

Caput secundum.

Agitur de rebus Philippica aetate gestis, et pacem quidem Philippo cum Atheniensibus compositam antecedentibus, hoc est inde ab Amphipoli Atheniensibus Olymp. CV, 3 erepta usque ad eversam Olymp. CVIII a. 1 Olynthum. Commentationum argumenta haec erunt: Philippus Amphipolin et Pydnam Atheniensibus eripit. Potidaea potitur. Bellum Phocense in Graecia exardescit. Demosthenes ad reipublicae gubernacula accedit. Philippus Methonem expugnat. Pylas traiicere aggreditur. Antiphontem mittit ad comburenda Atheniensium navalia. Causa de Delo insula ab Atheniensibus coram Amphictyonibus dicta. Decreta duo p. 265 exarata num ad tempus Olymp. CVII et CVIII intercedens referenda sint, quaeritur. Olynthus urbs a Philippo eversa.

1. p. 248. Ἀμφίπολιν, Πύδναν.

Olymp. CV, 3.

Amphipolin, urbem in ora Macedoniae ad Strymonis ostium sitam, qui locus antea Novem Viae vocabatur, Athenienses Olymp. XXCV, 4 archonte Athenis Euthymene colonis deductis sibi asseruerunt. Thuc. IV, 102. Diod. S. XII, 32. Schol. ad Aesch. π. παραπρ. p. 32. in Reisk. Orr. Gr. Vol. III, p. 754. Ea tum octavo belli Peloponnesiaci anno, Olymp. XXCIX, 1, quum a Brasida esset occupata, ad Lacedaemonios transiit. Thuc. IV, 106. Quae deinde fata eius fuerint, usque ad Philippici fere imperii tempora, parum exploratum est. Sed Olymp. XCVIII, 3 una cum omnibus magnis aeque et parvis Graeciae civitatibus sui iuris facta videtur esse, quippe quod pace Antalcidea nonnisi Lemnus, Imbrus et Scyrus Atheniensibus concessa sint. Xenoph. Hell. V, 1, 31. Urbem tamen divitiis insignem et ad transvehendam materiam

navalem perquam opportune sitam (Thuc. IV, 108) verisimile est Athenienses quoque tempore vindicare sibi esse conatos. Continuo igitur partim cum Macedonibus, partim cum ipsis Amphipolitis, interdum etiam cum Thracibus de urbe illa decertasse videntur, id quod facile concluditur ex Schol. ad Aesch. l. c., qui clades Atheniensium in Amphipoli occupanda acceptas novem enumerat. Amyntas vero, rex Macedoniae et pater Philippi, qui expulsus imperio ab Illyriis et Graecis subsidiis restitutus (Isocr. Archidam. p. 189 Lang.), propensam maxime in Athenienses semper voluntatem servabat (Aesch. l. c. p. 32), eorum esse Amphipolin declaravit, eisque ut recuperaretur, publice proposuit: *συμμαχίας γὰρ Λακεδαιμονίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων συνελθούσης, εἷς ὢν τούτων Ἀμύντας — καὶ πέμπων σύνεδρον καὶ τῆς καθ' αὑτὸν ψήφου κύριος ὢν ἐψηφίσατο Ἀμφίπολιν τὴν Ἀθηναίων συνεξαιρεῖν μετὰ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων Ἀθηναίοις.* Aesch. *π. παραπρ.* p. 32 m. Pax et foedus, quorum hic orator mentionem facit, ea sine dubio sunt, quae Olymp. CII, 1 Lacedaemonios inter et Athenienses ceterosque Graecos, exceptis Thebanis, accidisse Diod. S. refert XV, 50, et cuius accuratior descriptio petenda est e Xenophonte Hell. VI, 3, 18. Nihilominus Atheniensibus mox armis decertandum super Amphipoli cum iis erat, qui post Amyntam imperio Macedoniae potiebantur, donec Philippus fraude magis quam iusto bello urbem sibi obnoxiam reddidit. Amyntas enim Olymp. iam CII, 3 vita excessit (Diod. S. XV, 60), relictis tribus filiis, quorum Alexander natu maximus regnum paternum suscepit, sed post annuum spatium dolo interemptus amisit. Successit igitur interfector Ptolemaeus Alorites Olymp. CIII, 1 (Diod. S. XV, 71), quem occisum Perdiccas, Amyntae secundus filius, subsecutus est Olymp. CIII, 4. Diod. S. XV, 77. Is denique postquam per quinque annos regnaverat, Olymp. CV, 1

Philippo fratri imperium reliquit. Amphipolis igitur tum, quum Amyntas diem supremum obibat, suo iure fruebatur. Eo enim vix mortuo Iphicratem Athenienses in regiones illas miserunt, quamquam *ἐπὶ κατασκοπῇ μᾶλλον τῶν πραγμάτων, ἢ πολιορκίᾳ τῆς πόλεως, Ἀμφιπολιτῶν αὐτῶν ἐχόντων τότε τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν καρπουμένων.* Aesch. *π. παραπρ.* p. 31 f. Iphicrates Eurydicae, Amyntae uxoris rogatu Pausaniam, imperium Amynta mortuo Alexandroque mox interempto desolatum affectantem, Macedonia expulit, et duobus reliquis Amyntae filiis Perdiccae atque Philippo regnum paternum servavit (Nep. Iphicr. 3). Quo facto Athenienses, quamquam optime de regno Macedonum meritos, nihilominus spes fefellit, fore ut tantis beneficiis in Macedonum reges collatis Amphipolis sibi restitueretur. Nam et Ptolemaeus Alorites, qui primum regni curam suscepit, Perdiccaeque et Philippo nondum imperio maturis tutor constitutus est, cum Atheniensibus de Amphipoli contendebat, et qui tum successit Perdiccas iusto iam cum iis bello de urbe illa dimicare incepit. Aesch. l. c. p. 32 in. Cf. Demosth. or. in Aristocr. p. 669 sqq. Ab illo Callisthenes dicitur inducias cum Perdicca fecisse, ob quas indignatis ab Atheniensibus capite damnatus videtur. Ab hoc Timotheus, post Iphicratem dux contra Amphipolin creatus, acriter quamquam improspere cum iis bellasse fertur, qui tempore illo Amphipolin obtinerent, quocum conspirat Schol. ad Aesch. *π. παραπρ.* p. 32, qui archonte Callimede (hoc enim nomen in textu pro *Καλαμιῶνος* substituendum docuit Corsin. F. A. diss. VIII, nr. 15) victum Timotheum in Amphipoli recuperanda docet, id est Olymp. CV, 1. Eodem iam anno quum Perdiccas ingenti proelio ab Illyriis superatus occidisset, Philippus regnum paternum suscepit. Adversus hunc vero Mantias, Atheniensium tunc temporis in illa regione imperator, Argaeum,

Philippi ex uno parente fratrem, imperium adspirantem adiuvabat, quippe quem Athenienses, si regno esset potitus, Amphipolin sibi restituturum esse sperarent. At Philippus regnum undique ab hostibus tentatum, pessimeque adfectum adeptus quum sese imparem ad dimicandum continuo armis cum Atheniensibus sentiret, Amphipoli sponte decessit, civitatemque suis legibus vivere permisit. Diod. S. XVI, 3 ibid. Wess. Simul populum ambitione facile commovendum sciens captos quosdam Atheniensium milites restitutis, quae amiserant, liberos Athenas dimisit, et una cum his epistola modeste scripta ad componendam pacem et renovandam patris amicitiam Athenienses humanissime invitabat. Dem. or. in Aristocr. p. 660; cf. Diod. S. XVI, 4. Quibus quum obtemperassent Athenienses, Argaeus iam eorum auxilio destitutus facile victus oppressusque est. Diod. l. c. Ita Philippus instanti sese periculo liberavit. At postquam Ol. CV, 2 Paeones atque Illyrios insigni clade affecerat (Diod. l. c. 4), et continuis occupationibus usque ad lacum Lychnitidem Macedoniae fines extenderat (Diod. l. c. 8), auctis iam viribus acriter Amphipolin aggressus est Ol. CV, 3 *), quam inimicis adversus se animis multas belli causas sibi praebuisse praetendebat. Diod. l. c. Amphipolitae inopinato periculo obruti Atheniensium auxilia implorabant. Sed eorum legati infecta re Athenis reversi sunt. Dem.

*) Amphipolitas Philippus eodem anno secundum Diodor. XVI, 7 invasit, quo Athenienses Euboeensibus adversus Thebanos auxilia tulerunt, id est Ol. CV a. 3. Conspirat Demosthenes in or. Olynth. I, p. 11, ubi simulac Athenienses ex Euboea essent reversi, Amphipolitanos legatos Athenas advenisse dicit, qui populi auxilium adversus Philippum implorarent. V. supra cap. I, nr. 7.

Olynth. I, p. 11. Inter ipsam enim urbis obsidionem Philippus epistolam blandis vocibus plenam Atheniensibus scripsit, eisque Amphipolin quum primum expugnasset, redditurum se esse promisit, quippe quam optimo iure sibi vindicare conarentur. Or. de Halon. p. 83. Dem. in Aristocr. p. 659. Enimvero Athenienses legatos ad eum antea miserant, acturos de amicitia, qui ipsi incitabant Philippum, ut occulte adiumento esset Atheniensibus ad occupandam Amphipolin, pollicentes vicissim Pydnam*), auctore Theopompo ap. Suid. v. *τί ἐστι τὸ ἐν τοῖς*. Legati vero populo quidem ea de re nihil renunciarunt, sed clam solo cum Senatu egerunt, quo secretum istud consilium Pydnaeos lateret, quos deserturi essent Athenienses. Ita Suidas *τὸ θρυλούμενόν ποτε ἀπόῤῥητον* explicat, cuius meminit Demosthenes Olynth. II, p. 19 sq., ad q. l. cf. Ulpian. Ita vero deceptis Atheniensibus, utraque urbs per proditores mox in Philippi ditionem cessit. Dem. Olynth. I, p. 10. Cf. Diod. XVI, 8, ibid. Wessel. Quo facto quum promissis stare Philippus detrectaret, gravem Atheniensium movit indignationem, ex qua ab eodem inde tempore usque ad Olymp. CVIII, 2 remissius quidem, verum tamen continuum bellum gerebant.

2. *Ποτίδαιαν*.

Olymp. CVI, 1.

Brevi post Philippus et Potidaeam Atheniensibus vi surripuit, ut ea Olynthiorum sibi fidem societatemque conciliaret. Olynthus, urbs in Chalcidice ci-

---

*) Pydna tempore belli Peloponnes. Macedonum urbs fuit. Thuc. I, 61, 137. Eiusdem belli a. 22, Ol. XCII, 3, Archelaus, Macedonum rex, Pydnaeos imperium detrectantes bello aggressus in potestatem redegit. Diod. S. XIII, 49. Secundum Ulpian. ad Dem. Olynth. II, p. 19,

vium multitudine perquam abundans illiusque regionis opulentissima (Diod. XVI, 8), quum ob crescentem in dies Macedonum potentiam de sua ipsius salute magis magisque metueret, foedere cum Atheniensibus icto vires confirmare cupiebat, quibuscum sibi antea inimicitia bellaque intercedebant, de quibus v. Dem. in Aristocr. p. 669. Sed Philippus callidis artibus et vanis illis, quae supra memorata sunt, promissis tantopere sibi animos Atheniensium applicaverat, legatos ut Olynthiorum inauditos ablegaverint. Dem. Olynth. II, p. 19, 20. At occupata Pydna Amphipolique quum bellum cum Atheniensibus palam exarsurum iam esset, Philippus conciliare sibi Olynthios cupiebat, impetravitque, ut secum societatem inirent, si Potidaeam Atheniensibus abreptam iis restituisset. Diod. XVI, 8. Dem. Olynth. II, p. 20. Phil. II, p. 70, 71, or. in Aristocr. p. 659. Potidaea enim sexaginta modo stadiorum intervallo ab Olyntho disiuncta (Thuc. I, 63) et in Pallenes Isthmo sita, primum Corinthiorum fuit colonia, deinde sub tempora Peloponnesiaci belli Atheniensium σύμμαχος ὑποτελής (Thuc. I, 56); exardescente bello deficere ab Atheniensibus tentavit (Thuc. I, 59), sed anno belli secundo, Olymp. LXXXVII, 3 occupata novos Atheniensium colonos accepit. Thuc. II, 70. Exeunte bello iterum amissam, Conon cum Pydna Methoneque Atheniensibus restituit. Dinarch. in Dem. p. 11. Olymp. vero XCIX, 2/3 Olynthus, cuius latum his in regionibus erat imperium, Potidaeam quoque possidere dicitur Xenoph. Hellen. V, 2, 15. Sed Ol. CIV, 1 Athenienses eam simul cum Torone Timotheo duce recuperarunt.

---

20 saepius a Macedonibus ad Athenienses deficiebat. Occupatam a Conone secundum Dinarch. in Demosth. p. 11, tunc quoque Athenienses possidebant.

Diod. S. XV, 81. Inde ab hoc tempore in Atheniensium ditione usque ad haec, in quibus versamur, tempora fuisse videtur. Olynthiis igitur recuperare urbem cupientibus Philippus, eorum copiis suas adiungens (Dem. Olynth. II, p. 22) expugnatam simul cum Anthemunte, Macedoniae oppido (Dem. Phil. II, p. 70) possidendam concessit.

Potidaeam a Philippo captam Olymp. CV, 3 Diodorus S. refert l. XVI, 8 cum Amphipolis et Pydnae occupatione coniungens, quod re vera anno post factum est. Plutarchus enim in Alexandro c. 3. Potidaeam captam et Alexandrum uno tempore natum, quo Olympici ludi vix celebrati fuerint, his verbis refert: *Φιλίππῳ δ' ἄρτι Ποτίδαιαν ᾑρηκότι, τρεῖς ἧκον ἀγγελίαι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον· ἡ μὲν Ἰλλυριοὺς ἡττᾶσθαι μάχῃ μεγάλῃ διὰ Παρμενίωνος· ἡ δ' Ὀλυμπιάσιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι· τρίτη δέ, περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου γενέσεως.* Quibus ex verbis omnino consentaneum fit, Potidaeae occupationem in ineunte Olymp. CVI a. 1 esse constituendam.

3. p. 230. *Τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου — πρῶτον μὲν ὑμεῖς οὕτω διέκεισθε, ὥστε κ. τ. λ.*
Olymp. CV, 4 — CVI, 1.

Bellum Phocense, quod idem sacrum vocatur, tum primum exarsisse certissimis scriptorum testimoniis constat, quum Philomelus indignatos ob irrogatam sibi ab Amphictyonibus mulctam Phocenses, ut per vim Delphicum templum expugnarent, concitavit. Diod. S. XVI, 23. Captos autem a Phocensibus Delphos Pausanias refert Ol. CV a. 4, archonte Athenis Agathocle. Phoc. X, 2. Idem a Diodoro confirmatur XVI, 14. Hic enim inde ab illo anno Demophilum, Ephori scriptoris filium, belli sacri historiam descripsisse, eamque ab expugnato Delphico templo incepisse testatur. Tum ad eundem annum usque Callisthenem rerum in Graecia gestarum enarrationem

continuasse, denique ab eodem facto et tempore Diyllum sui operis fecisse initium refert. Contra tot tantaque testimonia minus profecto Marmoris Oxon. auctoritas valet, in quo Ol. CV, 3 arch. Cephisodoro templum Delphicum spoliatum notatur (ep. 76. lin. 87). Armis tamen Ol. demum CVI, 2 arch. Callistrato acrius dimicari coeptum videtur esse. V. Diod. S. XVI, 23 sq. Quamobrem Diodor l. c. hoc demum anno belli sacri descriptionem incipit, ubi more sibi solito primam quoque illius originem repetit; quo fit, ut ipsam Delphici templi expugnationem in eodem tempore collocare videatur. Unde hic per novem annos bellum Phocense mansisse dicit (c. 23), quippe quod eius finem ad Ol. CVIII a. 3 referat (XVI, 59); superiori autem loco (c. 14) undecim annorum fuisse scribit, a vero nempe spoliati templi anno, Ol. CV, 4, usque ad Ol. CVIII, 3. Accuratius tamen Pausanias per decem annos continuos gestum ait bellum Phocense esse (X, 2 et 3 in.), sicuti et Aesch. in Ctes. p. 74 decennale bellum Phocense vocat, cum quibus denique et Athenaeus consentit l. XIII, p. 560 B., quamvis Pausanias errore captus nescio quo terminatum bellum Ol. CVIII, 1 archonte Theophilo dicat. Finis enim belli sacri, sive eum Phalacci cum Philippo pactum statuis esse in Ol. CVIII, a. 2 exeuntem, seu dirutas ex decreto Amphictyonum urbes ad eiusdem Ol. a. 3 ineuntem conferendus est, quod infra (cap. III, 7) a nobis uberius demonstrabitur. Cf. eadem de re Weisk. de Hyperb. diss. III, p. 18 sq.

Quae tamen prima belli huius exitiosi causa fuerit, minus inter scriptores constat. Diodorus Sic., qui (XVI, 23) propterea mulctam Phocensibus ab Amphictyonum concilio indictam refert, quod agrum Cirrhaeum, Delphico templo sacratum, coluissent, tamquam in eorum esset ditione, alterius belli sacri ad-

versus Amphissenses, quod prorsus silentio praeterit, huc transtulisse causam videri facile posset (v. infra cap. V.). Nam Iustinus VIII, 1. Phocensibus crimini datum refert, quod Boeotiam depopulati essent; Pausanias vero propriam belli originem nescire se fatetur: *χρόνῳ δὲ ὕστερον κατέλαβεν αὐτοὺς [τοὺς Φωκέας] ζημιωθῆναι χρήμασιν ὑπὸ τῶν Ἀμφικτυόνων· οὐ δὲ ἔχω τοῦ λόγου τὸ ἀληθὲς ἐξευρεῖν, εἴτε ἀδικήσασιν ἐπεβλήθη σφίσιν, εἴτε Θέσσαλοι κατὰ τὸ ἐκ παλαιοῦ μῖσος γενέσθαι τὴν ζημίαν τοῖς Φωκεῦσιν ἦσαν οἱ πράξαντες* (X, 2). Sed Diodorus, quum sine dubio integris adhuc superioris aetatis scriptoribus, Demophilo Diylloque (XVI, 14) usus sit, nullo idoneo argumento potest in dubitationem vocari. Nempe ager ille Cirrhaeus idem fuisse videtur, de quo continua Locros inter et Phocenses erat controversia, quae Olymp. iam XCVI ansam Thebanis praebuit ad bellum contra Lacedaemonios commovendum. V. supra cap. I, nr. 3 et Xen. Hell. III, 5, 3 et 4, ibique Schneideri adnot. Ea de causa per totum hoc bellum sacrum Locrenses acerrime cum Boeotis adversus Phocenses certabant. Idem ager postea excisis Phocensibus a Locris Amphissensibus occupatus Aeschine auctore bellum Amphissense excitavit, per quod Chaeronensi pugna fractis Graecorum viribus ad Philippum principatus Graeciae transiit. Cf. infra cap. V.

Bellum igitur Phocense postquam his de causis Olymp. CV, 4 initium ceperat, summas universae Graeciae turbas excitasse notum est, ex quo praesertim maior Graecarum civitatium pars ad eius societatem accessisset. Primum enim soli Locrenses Thebanique, quippe proximi Amphictyonici iudicii executores, magna cum vehementia Phocenses adorti sunt. Diod. S. XVI, 25 et 27. Inde vero ab Olymp. CVI, 3 et ceterarum rerum publicarum plurimae certamini se immiscuerunt, quas omnes Diodor.

l. c. c. 29 enumerat. Phocensium praeter Locrenses Thebanosque Thessali acerrimi hostes fuerunt. His omnibus a Phocensium parte Lacedaemonii maxime resistebant et Athenienses, illi quidem palam armis pecuniisque sacrilegos adiuvantes, quum et ipsis ob occupatam a Phoebida Cadmeam arcem mille talentorum multa ab Amphictyonibus facta esset (Diod. l. c.); Athenienses quamquam bello tum cum Philippo impediti armis dimicare minus audebant, foedere tamen se cum Phocensibus coniunxerunt (Diod. XVI, 27. Dem. π. παραπρ. p. 360. Aesch. in Ctes. p. 70 in.), ex quo Pylarum praecipue angustias navibus custodisse per aliquod belli intervallum videntur. V. cap. h. nr. 6. Ad foedus hoc odio praesertim Thebanorum adducti sunt, qui deportata ad Leuctra Olymp. CII, 2 victoria superbiebant. Exacerbabant eos enim Oropus urbs, a Thebanis surrepta (v. cap. sup. nr. 6), deinde dirutae ab iisdem opulentae Boeotiae civitates Plataeae, Orchomenus, Thespiae (cap. sup. nr. 5). Cf. Dem. or. pro Megalopol.

4. *οὐ δι' ἐμέ· οὐ γὰρ δὴ ἔγωγ' ἐπολιτευόμην πω τότε.*
Olymp. CVI, 3.

Demosthenes vero bello Phocensi exardescente nullam adhuc in administranda republica auctoritatem adeptus, nihil ad eius originem contulisse se dicit. Nam Olymp. demum CVI, 3 orationem de Symmoriis habuit, quam orationum eius publicarum primam fuisse Dionys. Hal. (ep. ad Amm. §. 4) tradit. Exorto igitur iam bello sacro rei publicae gubernacula Demosthenem primum capessisse patet. Cf. Plut. Demosth. c. 12.

5. p. 247. *ἑώρων δ' αὐτὸν τὸν Φίλιππον, πρὸς ὃν ἦν ἡμῖν ὁ ἀγών, ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον.*

Olymp. CVI, 4.

Bellum Phocense dum per Graeciam commovebatur, Philippus Potidaea expugnata gentibusque barbaris, quae rebellarant, Thracibus, Paeonibus, Illyriisque depressis et ad pacem tuendam coactis (Diodor. XVI, 22), postquam Philippos quoque condiderat loco aurifodinis perquam abundante, cui olim Crenides nomen erat (Diod. XVI, 8), consiliis iam ad altiora erectis urbes in septentrionali maris Aegei ora Macedoniae vicinas redigere in ditionem suam susceperat. Prima post Amphipolin, Pydnam, Potidaeam Methone succubuit, urbs ad extremum sinum Thermaeum iacens, Macedoniaeque finitima. Exarserat inde ab Olymp. CV, 3 bellum Philippi cum Atheniensibus. Methonaei, qui Peloponnesiaci belli temporibus ab Atheniensium parte pugnabant (Thuc. IV, 129, VI, 7), in hac quoque opportunitate eorum socii fuisse videntur. Ad Athenienses enim haud dubie referenda sunt Diodori S. verba haec: *Φίλιππος δ' ὁρῶν τοὺς Μεθωναίους ὁρμητήριον παρεχομένους τὴν πόλιν τοῖς πολεμίοις ἑαυτοῦ, πολιορκίαν συνεστήσατο,* (XVI, 34). Obsessos igitur ea de causa Methonaeos Philippus expugnavit excisaque tum urbe, agrum inter Macedones dispertitus est. In hac vero oppugnatione sors tulit, ut teli iactu alterum percussus oculum rex ea parte visum amitteret. Diod. l. c. ibique Wessel. cui adde Harpocr. v. *Μεθώνη.* Iustin. l. VII, 6.

Methonem expugnatam duobus locis Diodorus tradit, eorumque altero (XVI, 31) rem in Olymp. CVI a. 3 confert, altero (XVI, 34) in Olymp. CVI, 4. Etenim Philippus obsidere Methonaeos incepit vere Olymp. CVI, 3; sed per aliquod tempus tolerata ab iis obsidione (Diodor. XVI, 34) urbem tandem

expugnasse videtur currente demum anno Olymp. CVI, 4. Factum id esse post Potidaeam occupatam et antequam in Thessaliam descendisset Philippus, Demosthenes auctor est in or. Olynth. p. 11 et 12. Cf. h. cap. nr. sq. not.

6. p. 236. *ἵνα μὴ δεῦρο ἀπαγγειλάντων αὐτῶν, ὅτι μέλλει καὶ παρασκευάζεται πορεύεσθαι, ἐξέλθοιτε ὑμεῖς, καὶ περιπλεύσαντες ταῖς τριήρεσιν εἰς Πύλας, ὥςπερ πρότερον κλείσαιτε τὸν πορθμόν.* — p. 241. *μέχρι τούτου Εὔδικος καὶ Σῖμος, οἱ Λαρισσαῖοι, ἕως Θετταλίαν ὑπὸ Φιλίππῳ ἐποίησαν.*

Olymp. CVII, 1.

Methone vix expugnata Philippus in Thessaliam accitus est, ut opem ferret Thessalis adversus Pherarum tyrannos. Qua occasione prima Philippo gravissimaque opportunitas oblata est ad summam sequenti deinde tempore in Graecia auctoritatem potentiamque impetrandam. — Erat ex antiquis temporibus Pheris, opulenta Thessaliae urbe, tyrannorum dominatio, qui ut totam Thessalorum gentem sibi subiicerent, continuam operam dabant. His acerrime resistebant Aleuadae, Larissae imperitantes, Thessalorum nobilissima gens. Diod. S. XV, 61. Cf. Ruhnk. ad Timaei lex. Platon. v. *Ἀλευάδ.* Inde continua certamina in Thessalia exorta sunt, in quibus modo Macedones, modo Thebani, praeter alias Graeciae civitates Aleuadas subsidiis adiuvabant. Eiusmodi turbas tempore proxime antecedenti ortas aliquot scriptores referunt, unam Olymp. XCIV, 1 Xenoph. Hell. II, 3, 4, aliam Olymp. CII, 4 Diod. S. XV, 61. Inde ab hoc anno Alexander Pheris tyrannidem obtinebat, qui Olymp. CIV, 1 coactus a Thebanis est, ut universis Thessaliae urbibus libertatem concederet. Diod. S. XV, 80. Is Olymp. CV, 4 imperium amisit, a Lycophrone Tisiphonoque per dolum interemptus. Qui

quum rursus totius Thessaliae dominationem affectarent accitis in societatem Phocensibus, Aleuadae proposito sibi tyrannorum excidio Philippum ex Macedonia auxilio arcessiverunt. Factum id esse duorum ex gente Aleuadarum praecipua opera, Eudici atque Simi, testis est Harpocr. (v. *Εὔδικος* et *Σῖμος*), quos propterea Demosthenes de cor. p. 241 in proditoribus recenset; alios idem addit p. 324. Philippus arrepta confestim opportunitate votis suis gratissima, postquam suppressis feliciter tyrannis urbibus libertatem vindicaverat, perpetuam tum, quamque in posterum consiliis suis utilissimam cognoverat, Thessalorum societatem et amicitiam sibi conciliavit. V. Diodor. XVI, 14, sub Ol. CV, 4, quem tamen cave ne ita h. l. intelligas, ac si illo iam anno Philippus suppetias Thessalis venerit. Refert enim, quod facere interdum solet, extremum statim rerum eventum, qui tamen Olymp. demum CVI a. 4 adductus esse videtur. *) Hoc enim anno exortum iam bellum Phocense erat, in quo, praeter Thebanos et Locrenses, Thessalos maximam partem habuisse notum est. Eo igitur tempore Thessali ad duos simul hostes, tyrannos et qui

*) Id patet ex or. Olynth. II, quae Olymp. CVII, 4 a Demosthene habita est, verbis his: *πάλιν αὖ πρὸς Ποτίδαιαν* (Olymp. CV, 4) *Ὀλυνθίοις ἐφάνη τι τοῦτο συναμφότερον* [*ἡ Μακεδονικὴ δύναμις*]· *νυνὶ δὲ Θετταλοῖς στασιάζουσι καὶ τεταραγμένοις ἐπὶ τὴν τυραννικὴν οἰκίαν ἐβοήθησε*· p. 22. Cf. or. Olynth. I, p. 12, in qua res his temporibus gestae hoc ordine referuntur: *τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβὼν* (Olymp. CV, 3), *μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτίδαιαν* (Olymp. CVI, 1), *Μεθώνην αὖθις* (Olymp. CVI, 4), *εἶτα Θετταλίας ἐπέβη*· *μετὰ ταῦτα Φεράς, Μαγνησίαν* (urbes Thessalas) *πάνθ' ὃν ἐβούλετο εὐτρεπίσας τρόπον ᾤχετ' εἰς Θρᾴκην* (Olymp CVII, 1).

illis iuncti erant, Phocenses, quum sese impares esse sentirent, auxilia Philippum rogarunt. Qui primum victor, mox ab Onomarcho, Phocensium tum temporis duce, magnis cum copiis Lycophroni socio auxilium ferente, in summum discrimen adductus Thessaliaque decedere coactus est. Sed mox maiori cum exercitu in Thessaliam reversus provocatis continuo ad arma omnibus Thessalis acerrimum cum Onomarcho proelium commisit, in quo tam egregiam de Phocensibus victoriam deportavit, ut ducem ipsum captum suspendio afficeret. Diod. S. XVI, 35. Qua victoria elatus quum transferre bellum in ipsam Phocidem vellet, et Pylas, per quas solas a septentrionali parte adiri Graecia poterat, traiicere conaretur, ab Atheniensibus, confestim auxilio advolantibus, quominus quae constituerat exsequeretur, impeditus est. Postremum id factum esse Diodor. (XVI, 38) narrat Ol. CVII, 1, archonte Aristodemo. Longe diversam temporis notam affert Dionysii Hal. (de Dinarcho nr. 13) locus, qui vulgo sic legitur: *πρὸς Βοιωτόν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος. — εἰ καὶ μὴ τοῖς ἄλλοις οἱ Δημοσθένους ἀφαιρούμενοι τοῦτον τὸν λόγον καὶ Δεινάρχῳ προσάπτοντες ἐλέγχοιντο, τῷ χρόνῳ γ'οὖν ἐπιδειχθεῖεν ἂν ψευδόμενοι. μέμνηται γὰρ ὡς νεωστὶ τῆς εἰς Πύλας ἐξόδου γεγενημένης· ἡ δ' εἰς Πύλας Ἀθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θουμήδου ἄρχοντος ἐγένετο.* — Sed vocem *Πύλας* depravatam esse et ex coniectura negligentis librarii in textum irrepsisse pro vera lectione *Ταμύνας*, quam exhibet or. adv. Boeot. p. 999, alii iam monuerunt. V. Corsini F. A. diss. III. c. 19, Böckh. Oecon. civ. Ath. Vol. II p. 61, not. 194. — Contra in Demosthenis orationibus expeditionis huius prima mentio invenitur in or. c. Phil. I, p. 44, his verbis facta: *δεῖ γὰρ ἐκείνῳ [Φιλίππῳ] τοῦτο ἐν τῇ γνώμῃ παραστῆναι, ὡς ὑμεῖς ἐκ τῆς ἀμελείας ταύτης τῆς ἄγαν, ὥςπερ εἰς Εὔβοιαν καὶ πρότερόν ποτέ φασιν εἰς Ἁλίαρτον καὶ τὰ τελευταῖα πρῴην εἰς Πύ-*

λας, ἴσως ἂν ὁρμήσαιτε. Orationem autem hanc seu primam certe eius partem, in qua verba illa exstant, Ol. CVII, 1 a Demosthene habitam esse, Dion. H. refert in ep. ad Amm. §. 4. Itaque quum in ea Demosthenes ad novos apparatus bellicos maiori intentione instruendos Athenienses cohortetur (ἐπὶ τὰς ἐξαίφνης ταύτας ἀπὸ τῆς οἰκείας χώρας αὐτοῦ [Φιλίππου] στρατείας εἰς Πύλας, καὶ Χεῤῥόνησον καὶ Ὄλυνθον), orationem ipsam hieme a. 1 Ol. CVII habitam verisimile est, expeditionem autem illam ad Pylas Philippo praecludendas seu vere Ol. CVI, 4, seu mediam circa aestatem, i. e. Ol. CVII a. 1 ineunte missam ab Atheniensibus esse. Eandem ipsam Atheniensium expeditionem Dem. in or. π. παραπρ. p. 443 his verbis tangit, quibus simul Diodori narrationem affatim confirmat: ὅτε Φωκέας ἐκράτησε [Φίλιππος] τὸ πρῶτον καὶ διέφθειρε τοὺς ξένους αὐτῶν καὶ τὸν ἡγούμενον καὶ στρατηγοῦντα Ὀνόμαρχον, τότε τῶν ὄντων ἀνθρώπων ἁπάντων οὐδενὸς οὔτε Ἕλληνος οὔτε βαρβάρου Φωκεῦσι βοηθήσαντος πλὴν ὑμῶν, οὐχ ὅπως παρῆλθεν ἢ διεπράξαθ᾽ ὧν ἠβουλήθη τι παρελθών, ἀλλ᾽ οἰδὲ προςελθεῖν ἐγγὺς ἠδυνήθη. Eiusdemque facti meminit iterum in ead. or. p. 367, ubi expeditionis illius impensas ad ducenta talenta aestimat. —

Classis igitur, qua hoc tempore Thermopylae Philippo ab Atheniensibus praeclusae sunt, ipsis Athenis allato imminentis impressionis nuncio emissa est. Securi enim tum temporis adhuc Athenienses fuerunt. Quum tamen semel essent Philippi ferocitatem experti, et ad acriorem vigilantiam Demosthenis oratione contra Philipp. I. exsuscitati, paratam deinde ad observandum traiectum classem Orei, urbe septentrionalis Euboeae, in ancoris tenuisse videntur. Certe Olymp. CVIII, 2 Proxenum imperatorem eundem ad finem in illa regione versatum esse constat ex Dem. or. π.

παραπρ. p. 356 et 389; Aesch. π. παραπρ. p. 45. Excisis tamen Phocensibus (Olymp. CVIII, 3) Pylas quoque Philippus suam in potestatem redegit, easque deinde per mercenarios in continua tenebat custodia. V. Dem. Phil. II, p. 67, III, p. 119, π. παραπρ. p. 404.

7. p. 271. *Τίς — ὑμῶν οὐκ οἶδε τὸν ἀποψηφισθέντα Ἀντιφῶντα, ὃς ἐπαγγειλάμενος Φιλίππῳ τὰ νεώρια ἐμπρήσειν τὰ ὑμέτερα εἰς τὴν πόλιν ἦλθεν; κ. τ. λ.*

Olymp. CVII.

Antiphon iste, homo ceterum ignotus, iniuria in album civium Atheniensium irrepserat. Quo quum postea, nova civium recensione (*διαψηφίσει*) facta, esset expunctus (*ἀποψηφισθείς*), indignatus ad Philippum sese recepit, eique ad comburenda Atheniensium navalia ultro operam suam obtulit. Quum tamen ad facinus perpetrandum Athenas clam rediisset, comprehensus a Demosthene eam incepti poenam dedit, quam h. l. Demosthenes refert. V. Ulpian. ad h. l. Plut. Dem. c. 14. Dinarch. in Demosth. p. 46.

Iam vero difficilior nos quaestio de tempore torquet. In qua tamen hoc manifestum primum est, exitiosum illud consilium non posse alio tempore ab Antiphonte captum esse, nisi quo bellum Philippo cum Atheniensibus intercederet. Res vero, quae continuo p. 272 sq. or. de cor. a Demosthene memorantur, quum, ut cap. IV monstrabimus, eo temporis spatio factae sint, quod pacem Olymp. CVIII, 2 initam et bellum Olymp. CX, 1 renovatum intercessit, omnia haec autem ad ordinem et cursum vitae Aeschineae referantur, consequens est, Antiphontis hanc machinationem ante Olymp. CVIII, 2 esse constituendam. Bellum, quod eo tempore inter Athenienses et Philippum agebatur, quamquam expugnata iam Amphipoli, Olymp. CV, 3, exarserat, maiori tamen intentione ab Olymp.

demum CVII, 1 geri coepit, postquam Philippus per Pylas in Phocidem transgredi, classeque ad Marathonem usque procedere ausus erat. V. or. Philipp. I. Eo igitur tempore, quo maxime Philippus vires Atheniensium in re navali positas esse ad Pylas cognoverat, opportune profecto ei accidit, quum homo Atheniensis, ad delenda Atheniensium navalia ultro se ei obferret. Ad idem tempus alio quoque satis firmo argumento deducimur. Etenim Demosthenes Aeschinis operam in servando Antiphonte navatam iuvenile eius facinus vocat: *ἓν μὲν τοίνυν τοῦτο τοιοῦτο πολίτευμα τοῦ νεανίου τούτου*, de cor. p. 272. Iam Aeschines annos 45 natus orationem adv. Timarchum peroravit (Aesch. adv. Timarch. p. 7 ad f.), haud dubie mox post res in Phocide a Philippo compositas, quo tempore Demosthenes de accusando eo legationis male gestae cogitabat, et aliquod tempus ante orationem ea de re a Demosthene Ol. CIX, 2 habitam; id est Ol. CVIII a. 3 aut 4. V. Argmt. I ad Aesch. or. adv. Timarch. Dem. *π. παραπρ.* p. 341, 416. Taylor. praefat. ad Timarcheam. Itaque natus Aeschines est Ol. XCVII a 2 vel 3. In or. vero *π. παραπρ.* p. 50 f., postquam inter peripolos per duos annos militiam esset auspicatus, primum se stipendium meruisse Aeschines refert in expeditione Phliasiorum auxilio missa: *πρώτην δ' ἐξελθὼν στρατείαν τὴν ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένην, καὶ συμπαραπέμπων μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν καὶ τῶν Ἀλκιβιάδου ξένων τὴν εἰς Φλιοῦντα παραπομπήν.* Quae verba Schneider. ad Xenoph. Hellen. VII, 2, §. 18 recte refert ad *τὴν παραπομπήν*, id est ad praesidium Phliasiis datum a Charete, Atheniensium tum temporis in Peloponneso duce, quod commemoratum a Xenophonte l. c. Diodorus S. XV, 75 sub Olymp. CIII a. 2 consignavit. Eo igitur tempore Aeschines 24 aetatis annum agebat. Olymp. deinde CV, 3 bellum Philippo cum Atheniensibus de Am-

phipoli excitatum est, transacto iam ab Aeschine anno aetatis tricesimo. Eo tempore verisimile est Aeschinem causis privatis defensitandis ad futuram reipublicae administrationem conformare se incepisse. Tum vero, quum eripere Antiphontem periculo conatus est, aliquam in rebus publicis auctoritatem obtinuisse eum iam inde consentaneum est, quod eodem ipso tempore creatus dicitur ad causam populi de Deliaco templo coram Amphictyonibus agendam. Unde probabiliter, ut videtur, factum illud Olymp. CVII constitui potest, quo tempore Aeschines annum aetatis tricesimum quintum excesserat, et paullo antea, Olymp. CVI, 3, post renunciatam Atheniensium in Euboea victoriam corona erat donatus: Aesch. *π. παραπρ.* l. c.

8. *Τοιγαροῦν εἰδυῖα ταῦτα ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου, τὰ τούτῳ τότε πεπραγμένα, χειροτονησάντων αὐτὸν ὑμῶν σύνδικον ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δήλῳ — τοῦτον μὲν εὐθὺς ἀπήλασεν ὡς προδότην, Ὑπερίδῃ δὲ λέγειν προςέταξε.*

Ad Olymp. CVII sive CVIII Boeckhius (in Oeconom. civ. Ath. Vol. I, p. 441) causam quoque de Delo retulit. Insulam hanc, Apollinis templo insignem, ob sacram eius inter omnes Graecos auctoritatem vindicare sibi Athenienses ex priscis inde temporibus contendebant. V. Böckh. l. c. Unde continua inter Delios et Athenienses suberat simultas et controversia. Quae tandem effecit, ut Athenienses bello Peloponnesiaco, Olymp. XXCIX, 2, suspicione ducti veteres insulae incolas, incestus insimulatos, agro exturbarint, ad absolvendam, ut Thucydides (V, 1) refert, insulae lustrationem, quam Olymp. XXCVIII, 3 peregerant (Thuc. III, 104), seu potius secundum Diodorum (XII, 73), quod clandestinum cum Lacedaemoniis foedus iniisse Delios incusabant. Eosdem tamen Olymp. XXCIX, 4 oraculi iussu re-

stituere coacti sunt. Thuc. V, 32. Post bellum igitur Peloponnes. Delii Pausaniam, Plistoanactis filium, qui Ol. XCIV, 1 Lacedaemoniis denuo Athenas obsidentibus praefuit, adierunt, de iure suo acturi. Sed rex explosos imprudenter repudiavit. V. Plut. in Apophth. Lacon., emendat. a Dorvillo l. infra laudando. Inde iam quid sibi velit causa de Delo, h. l. a Demosthene commemorata, satis liquet. Manente enim Delios inter et Athenienses de templo controversia, Delii tandem causam ad Amphictyones detulerunt, ut ab his, cui praeesse templo iure conveniret, iudicaretur. Ita rem illustrat auctor vitt. X oratt. in Hyperide Vol. XII, p. 273 ed. H.: *συστάντος δὲ πρὸς Δηλίους ἀμφισβητήματος, ποτέρους δεῖ προΐστασθαι τοῦ ἱεροῦ, αἱρεθέντος Αἰσχίνου συνειπεῖν, ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ Ὑπερείδην ἐχειροτόνησεν, καὶ ἔστιν ὁ λόγος Δηλιακὸς ἐπιγεγραμμένος.* Cf. Apollon. in vit. Aeschin. Ruhnk. hist. crit. or. Gr. in Hyperide p. 149. Plura de Delo huc pertinentia suppeditant Dorvilli exercitt. de Delo in Miscell. Observat. Vol. VII, P. 1.

9. Disseritur de psephismatum, quae exstant p. 265, rebus ac tempore.

De decretis his disputare hoc loco constituimus, minus quod eodem temporis intervallo, ad quod rebus modo excussis deducti sumus, lata ea quoque demonstrare evidenter posse opinemur, sed quia id vero nobis simillimum esse videtur, et in pervestiganda tabularum harum aetate circa res inter Olymp. CVII et CVIII actas maximam partem oratio versetur, necesse est. Perdifficile est enim decreta ista ad certum temporis momentum conferre. Nam eorum in altero ne archon quidem affertur; in priori autem qui vocatur archon Demonicus, quum fastis huius aetatis consignatus non sit, illis archontibus adnumerandus

est, qui a Corsino pseudeponymi vocati sunt, et chronologiam rerum Philippi praesertim aetate gestarum hucusque perturbant. Hoc igitur misso, quippe qui ad investigandam aetatem nihil expediat, alia aetatis indicia quaerantur, necesse est. In quo primum nulli videtur dubitationi esse obnoxium, utrumque decretum uno eodemque die latum et propterea ad eundem annum referendum esse. Callias enim Phrearrhius, qui utrumque coram populo recitasse dicitur, in una nimirum eademque concione ea conscripsit. Id quod ex eo vel maxime patet, quod in altero solo archon qui fuerit, et mensis diesque exarati sunt.

Iam vero quod ad res attinet, quarum in utroque mentio fit, expeditionem Atheniensium in Imbrum et Salamina, etsi eae tam sunt ambiguae, nulla ut inde certa temporis nota peti possit, iure tamen Corsinus in F. A. diss. VIII, c. 16, ubi de archonte Demonico agit, argumentatus est, non posse decreta haec ultra citrave Philippi Macedonis tempora exarata esse ob Nausiclem et Charidemum, expeditionibus illis praefectos, qui a Demosthene ipso in superioribus (p. 264) ut homines noti et aequales citantur. Utrumque nomen satis obvium est in rebus aetate Demosthenis gestis. Nausicles rursus occurit de cor. p. 288, ubi Nausiclis archontis nomen praefixum decreto ei est, quod Elatea capta de ineunda Atheniensium cum Thebanis adversus Philippum societate Olymp. CX, 1 conscripsit Demosthenes. Idem ab Aeschine (*π. παραπρ.* p. 30 f.) decem legatorum unus fuisse dicitur, quos Olymp. CVIII, 2 Athenienses pacis cum Philippo ineundae causa in Macedoniam miserunt, ab eoque Aeschines ad legationem illam commendatum se esse refert. Idem in ead. orat. extr. p. 52 Nausiclem in amicis suis et aequalibus recenset. Tum una cum Nausicle atque Diotimo Demosthenes administrasse rem publicam fertur apud Pseudoplutarch. vit. X or. p. 261.

Vol. XII ed. H. Cf. Aesch. in Ctes. p. 76 med. Eundem denique subsidiorum, quae Phocensium auxilio ab Atheniensibus missa sint, ducem vocat Diodor. XVI, 37, Olymp. CVII, 1. — Charidemi nomen etiam crebrius cum in Demosthenis vita, tum in universa illorum temporum historia memoratur. In quo tamen monendum primum est, ne Charidemus is, de quo alterum decretum agit, confundatur cum Charidemo Orita, militum mercenariorum in Chersoneso duce, quem civitate ab Atheniensibus donatum Demosthenes acerbissimis conviciis persecutus est oratione in Aristocratem (Olymp. CVII, 1 secundum Dionys. Hal. ep. ad Amm. §. 4), quippe quod multorum malorum auctor illis in regionibus populo Atheniensi exstitisset. Fecit hoc Schott. in vitis parallel., et Iacobs. in adnotatt. ad versionem vernaculam Dem. orr. publ. (ad. or. Olynth. III. p. 29). Charidemus hic noster vir fuit spectatae inter Athenienses virtutis, qui perfunctus est prima ad Philippum legatione de urbe Amphipoli Olymp. CV, 3, Theopompo teste apud Suid. v. τί ἐστιν. Idem num fuerit Charidemus is, quem Olymp. nimirum CVII, 2 decem navibus in Chersonesum missis praetorem praefecisse Athenienses Demosthenes refert (or. Olynth. III, p. 29), atque copiis Atheniensium in Hellesponto praefectus, quem Athenienses Chalcidicis urbibus Olymp. CVII, 4 a Philippo pressis auxilio misisse Philochorus narrat apud Dionys. l. c. c. 9, et qui in iisdem regionibus versatus videtur esse Olymp. CXI, 1, quum Philippus mortem obibat (Aesch. in Ctes. p. 64 f.), infra videbimus. Charidemo Atheniensi post pugnam Chaeronensem in extremo civitatis discrimine novarum rerum cupidi summam reipublicae administrationem tradebant. Plut. Phoc. c. 16. Eundem denique Alexander Thebis dirutis pro pace Atheniensibus concedenda una cum Hyperide, Lycurgo et sex aliis ad supplicium expoposcit. Plut. vit. Demosth.

c. 23. Phoc. 17, Curtius l. III c. 5, qui Charidemum rebus civitatis tum in peius delapsis solum exulasse atque ad Darium regem contulisse se narrat, inceptis Alexandri adversaturum, magnoque Persis usui eum fuisse tradit, donec ob linguae libertatem iussu Darii interfectus sit. Cf. Arrian. exped. Alex. I, c. 10. Dinarch. in Dem. p. 25 sq. Factum id est Olymp. CXI, 4. Hoc enim anno eundem Charidemi interitum Diodor. S. (XVII, 30) copiosius enarrat, ubi virum eum vocat *θαυμαζόμενον ἐπ' ἀνδρείᾳ καὶ δεινότητι στρατηγίας*.

Itaque Charidemus et Nausicles quum Demosthenis aetate floruerint, consequens est, et illam in Imbrum et alteram in Salamina expeditionem eiusdem temporis spatio esse circumscriptam. Annus tamen, quo acciderint expeditiones illae, propter mancam huius aetatis cognitionem vix potest accurate constitui. Insulas Lemnum, Imbrum atque Scyrum vetustissimas Atheniensium in mari Aegeo possessiones fuisse constat. In eas Philippus, quippe quod vicinae essent Thraciae et Hellesponto, postquam terra marique exturbare his regionibus Athenienses susceperat, saepius incursiones faciebat. Sed etiam antequam Philippum inter et Athenienses acriter dimicari coeptum sit, sociali bello, Lemnum, Imbrum aliasque hac in regione sitas Atheniensium insulas impugnatas a sociis rebellibus esse devastatasque, auctor est Diod. S. XVI, 21, sub Olymp. CVI, 1. Num igitur eodem anno susceptam esse expeditionem eam statuamus, cuius in decreto I mentio fit? Haec Corsini opinio est (F. A. diss. VIII, c. 16), et Schoemanni (de comitiis Ath. p. 139). De quo tamen equidem valde dubito. Nam expeditionis illo anno adversus socios rebellantes eas in regiones ab Atheniensibus missae qui imperatores fuerunt, optime noti sunt. Chares enim et Iphicrates, atque Timotheus summam eo tempore

imperii gerebant. In decreto vero Nausicles copiarum pedestrium praetor (ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων) dicitur, quem constat inter tres principes rei militari praefectos fuisse. Praeterea quum eadem aetate Athenienses et cum ceteris Graecis, et cum Persis pacem agerent, Salaminia illa expeditio, quam alterum decretum exhibet, hoc temporis spatio nullo modo constitui potest. Descendendum igitur est ad aetatem posteriorem, qua bellum Philippo cum Atheniensibus gestum est, ante pacem Olymp. CVIII a. 2 conciliatam. Bello hoc, quod in his Chersonesi praesertim Hellespontique regionibus gerebatur, Lemnum quoque et Imbrum, quum iis Athenienses tamquam propugnaculis uterentur (Dem. Phil. I, p. 49), in summo fuisse discrimine, Demosthenes et Aeschines referunt. V. Or. in Neaer. p. 1346. Aeschines π. παραπρ. p. 37 f., ubi multa de statu belli illius rationeque disputat, haec verba profert: *Φίλιππος δὲ ὁρμηθεὶς ἐκ Μακεδονίας, οὐκέθ' ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως πρὸς ἡμᾶς ἠγωνίζετο, ἀλλ' ἤδη περὶ Λήμνου καὶ Ἴμβρου καὶ Σκύρου, τῶν ἡμετέρων κτημάτων.* Quae non obiter ab Aeschine dicta, sed re vera Philippi incursiones illas in insulas regionesque susceptas significare, manifestum est cum ex universa horum temporum historia, tum Demosthenes ipse in or. Phil. I. Lemnum atque Imbrum a Philippo devastatas esse testatur his verbis: *οὐχ ὥςπερ τὸν παρελθόντα χρόνον εἰς Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ' ἔχων.* Haec Demosthenes in or. Phil. I, p. 49, i. e. posteriori orationis illius parte, quam nonnulli viri docti praeeunte Dionysio Hal. in ep. ad Amm. §. 10 sextam Philippicam vocant, et a prima parte dispescentes anno Olymp. CVIII, 2 habitam esse contendunt.*) Ut igitur in quem annum illa

*) Leland. in interpret. Angl. Demosth. orat. Iacobs. in

Philippi in Imbrum et Lemnum incursio incidat, cognoscatur, egrediendum e via est, quaerendumque, bene faciant, nec ne, qui orationem adversus Philipp. I in duas partes divellunt. Verum ea de re disputatum iam multis est exploratumque ab aliis, qui unius orationis duas illas partes esse demonstrare conati sunt*), in quorum sententia et argumentis quamquam acquiescere possem, paucis tamen rem adhuc illustrare confirmareque non displicet, quae ad nostrum finem maxime pertinere videantur.

Etenim pro non dirimenda oratione argumentum omnium firmissimum ipsa mihi videtur interna ambarum partium cohaerentia esse, qua dissoluta prima certo orationis pars manca evaderet. In prooemio enim Demosthenes argumenta, de quibus loqui constituerit, his verbis refert: *τὸν δὲ τρόπον τῆς παρασκευῆς — καὶ τὸ πλῆθος ὅσον, καὶ πόρους οὕςτινας χρημάτων, καὶ τἄλλα ὡς ἄν μοι βέλτιστα καὶ τάχιστα δοκεῖ παρασκευασθῆναι,* p. 43. Iam de ratione apparatus bellici deque copiarum numero inde a verbis *πρῶτον μέν* p. 44 usque ad *ἴσως δὲ ταῦτα μέν* p. 48 disserit, de pecuniarum subsidiis usque ad *πόρου ἀποδείξεις*. Hic si finis orationis fieret, plus esset Demosthenes initio pollicitus, quam deinde persecutus. Verba vero illic prolata: *καὶ τἄλλα ὡς ἄν μοι βέλτιστα καὶ τάχιστα δοκεῖ παρασκευασθῆναι* cum extremae partis argumento egregie congruunt. Verum Iacobsius suam sententiam confirmari maxime temporum in utraque parte discrepantia existimat. In illa enim de gliscente adhuc, in altera vero parte de exorto iam iustoque bello ser-

---

vers. vern. p. 109 sqq. Ruediger in Prolegom. ad Philipp. I, p. 14. sqq.

*) A. G. Becker Demosth. als Staatsm. u. Redn. Vol. I, p. 268. Weisk. de Hyperbole diss. I, p. 38 sqq. Bremi Philol. Beitr. I, p. 27.

monem fieri contendit. At in prima etiam parte orator: *εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἀ. Ἀθ.*, ait, *δυςπολέμητον οἴεται τὸν Φίλιππον εἶναι, σκοπῶν τό τε πλῆθος τῆς ὑπαρχούσης αὐτῷ δυνάμεως καὶ τὸ τὰ χωρία πάντα ἀπολωλέναι τῇ πόλει* p. 41. Praeterea epistolam superbam, quam Euboeensibus scripsisse Philippum in altera parte orationis Demosthenes dicit (p. 51), non posse nisi post Olymp. CVIII, 1 scriptam esse Iacobs. censet. Nam Olymp. CVII, 4 impugnare Philippum Euboeam primo esse conatum statuit. Quod tamen unde ceperit nescio, nisi ex Demosth. or. in Mid. p. 566—568, ubi Atheniensium in Euboeam expeditio commemoratur, Plutarchi auxilio contra Philippi mercenarios missa. Hanc tamen in Olymp. CVI a. 3 incidere Boeckhius docuit (Zeitverhältnisse der D. R. g. Meid. in Actis Acad. Berol. 1818—19. Cl. Philol. p. 82 sq.). Cf. Comment. nostr. Cap. IV, nr. 6. Quod si constat, potuit Philippus Olymp. iam CVI, 4 aut CVII, 1 classem Atheniensium ad Geraestum, Euboeae promontorium spoliare, et sacram triremem Marathone diripere, quod ut recens factum in altera or. parte (p. 49) memoratur.

His igitur de causis persuasum mihi habeo, totam potius orationem post Olynthiacas Demosthenis orationes, Olymp. CVII, 4 habitas, constituendam esse, quod innuit Harpocr. v. *ἱερὰ τριήρη*, quam in duas eam orationes dirimi posse. Sed huic rursus sententiae prima orationis pars prorsus obstat, quae quum dicebatur, Olynthum impugnatam quidem iam a Philippo nondum tamen eversam esse, haec eius verba perspicue docent: *ταῦτα μὲν οἶμαι δεῖν ὑπάρχειν ἐπὶ τὰς ἐξαίφνης ταύτας ἀπὸ τῆς οἰκείας χώρας αὐτοῦ στρατείας εἰς Πύλας, καὶ Χεῤῥόνησον, καὶ Ὄλυνθον*, p. 44. Itaque tum Olynthum liquet amicitiam sibi Atheniensium iam conciliasse, quod factum esse Olymp. CVII anno circiter primo ex Dem. in Aristocr. oratione, eodem anno habita (p. 656), concludi facile potest.

Eo tempore Philippus rebus in Thessalia feliciter gestis in Thraciam invasit (Dem. Olynth. I, 13) et in Chersoneso Heraeum, Atheniense castellum, obsidione clausit (Olynth. III, p. 29), quatuor tribusve annis, ut Demosthenes dicit, ante tempus, quo Olynth. or. IIIh abita est, mense Maemacterione, Olymp. nimirum CVII, 1. Nuntio hoc Athenas allato perturbatos summopere Athenienses fortiter resistere decrevisse quidem, postquam tamen compertum esset, Philippum aut mortuum, aut certe morbo esse afflictum, opus in posterum remisisse, donec sequentis anni Boedromione Charidemum in illas regiones miserint. Morbo vero afflictum Philippum tamquam praesenti tempore Demosthenes indicat in or. Phil. I, p. 43: *τέθνηκε Φίλιππος, οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ἀσθενεῖ.*

Ex his igitur argumentis indiciisque orationem Philippicam I non ultra Ol. CVII a. 1 constituendam esse opinor. Quod si constat, impressionem illam Philippi in Lemnum et Imbrum circa Olymp. CVI a. 4 factam esse, contenderim. Nolim enim Olymp. CVII a. 1, quia hoc anno Nausicles cum subsidiis in Phocidem missus traditur ap. Diod. XVI, 37.

Res vero, quas alterum decretum exhibet, etiam densiori obscuritate premuntur. Quaenam est enim expeditio illa Salaminia, quaenam pugna ad fluvium? Fluvius ipse haud dubie *ἐν τῇ Σαλαμῖνι* intelligendus est, id est Salamina aut praeterfluens aut interfluens, ut pugna haec ad fluvium nullo modo confundenda sit cum *μαχῇ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ,* in Dem. or. de cor. p. 300 memorata, quae paullo ante Chaeronense proelium accidit. V. infra c. V. In eo errore Taylorus deprehenditur. Quare nec quid sibi velit Hieron. Wolfii explicatio: „pugna ad fluvium Elissum commissa“ intelligo, nisi Cephissum cogitaverit. Pugna ad fluvium si secernenda ab expeditione Salaminia, eademque esset ac illa in or. de cor. p. 300

citata, quae Olymp. CX, 2 commissa est, tum saltem necesse esset, ut in eundem annum expeditio quoque in Salamina suscepta referretur. Id tamen quo possit testimonio confirmari, alius videat; ego nihil habeo. Ex nostra igitur sententia quum ἡ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ μάχη pugna sit ad fluvium Salamina praeterfluentem seu interfluentem commissa, de Salamine quaerendum restat, qui locus hac voce possit intelligi, quae sit expeditio in eum missa. Itaque primum in opinionem venit Salamis insula, clade Persarum celebris. Ad quam etiam ἡ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ μάχη optime referri videtur posse. Fluebat enim per insulam hanc fluvius Bocarus, cui inferioribus temporibus Bocaliae nomen fuit; eratque ibidem castellum Atheniensium situm Budoron, sivi Budorion. Strab. IX, c. 1, p. 394. At quinam hostis Philippica aetate tam prope Athenas ausus est accedere? Duo modo sunt, quae coniectando magis qnam argumentando statui possint. Demosthenes enim in or. Philipp. I, p. 39 factam paullo antea Philippi in Marathona impressionem memorat, et direptam inde ab eo sacram triremem. Num igitur eadem occasione Philippum, seu mercenarios eius eo audaciae processisse coniicias, ut etiam Salamina impugnaverint? Opportune hoc quidem pro sententia nostra in Olymp. CVI, 4 aut CVII, 1 incideret; eademque certe coniectura nisus Bredowius (in Enchirid. histor. antiq. ad Olymp. CVIII, 1) ait: kühner hiedurch greift Philipp die Athener zur See an, und schlägt sie bei Salamis. Sed Demosthenes, qui ceteroquin nulla in re Atheniensibus parcit, nec, quod eorum detrimento factum sit, quidquam occultat, cur rem tam memorabilem prorsus silentio praetermiserit, vix posset explicari. Id igitur si minus virisimile videatur, num Thebanos Corinthiosve, vel etiam Megarenses, infirmitate tum temporis Atheniensium et negligentia usos audax eiusmodi facinus perpetrasse credideris? quod cum Thebanis eo tem-

pore propter foedus cum Phocensibus ictum Athenienses dimicaverint, adversus Megarenses vero et Corinthios bellasse eos eodem tempore Demosthenes dicat: *οὐδ' ἐπὶ μὲν Κορινθίους καὶ Μεγαρέας ἁρπάσαντας τὰ ὅπλα πορεύεσθαι, Φίλιππον δ' ἐᾷν πόλεις Ἑλληνίδας ἀνδραποδίζεσθαι.* Olynth. III, p. 34. — Nugari profecto crederer, si ista proponere vellem. — Omnino in universa horum temporum ratione nullum occurrit indicium, ex quo impressio in Salamina Atticam iure coniici et reddi verisimilis posset.

Itaque ad Salamina, Cypri oppidum, referenda nimirum est expeditio illa, de quo Reiskius iam cogitavit, quum fluvium Salamina, Cypri oppidum, praeterfluentem designari hic censeat, Diodorum S. laudans Vol. II, p. 114, 39. Res h. l. a Diodoro relata, unica est, quantum nos quidem scimus, in universo huius aetatis spatio, quacum coniungi haec decreti nostri expeditio Salaminia possit. Cyprus enim, tum temporis Persarum imperio subiecta, Olymp. CVII, 2 ab Artaxerxe defecit. Qui eodem ipso tempore, bello cum Aegyptiorum rebellante rege occupatus Idrieum, Cariae satrapam, redigere in Persarum potestatem insulam iussit. Idrieus igitur congregatis undique mercenariis classem contra defectores misit ducibus Euagora et Phocione Atheniensi, qui urbem praesertim Salamina diu obsessam insequenti tandem anno Olymp. CVII, 3 expugnarunt. Haec Diodorus XVI, 42 et 46. Ex reliquis scriptoribus neque Plutarchus nec Corn. Nepos in Phocionis vita facti illius ullam mentionem faciunt. Fluvium Salamina praeterfluentem Ptolemaeus Pediaeum affert. Eademne igitur opportunitate Athenienses Persis auxilia miserunt? Diodorus Athenienses atque Lacedaemonios, quum ab Artaxerxe ad belli adversus Aegyptios societatem invitati essent, recusasse eam refert: *Ἀθηναῖοι μὲν οὖν καὶ Λακεδαιμόνιοι τὴν φιλίαν ἔφασαν, τὴν πρὸς τοὺς Πέρσας τηρεῖν,*

συμμαχίαν δὲ ἀποστέλλειν ἀντεῖπον· Thebanosque solos et Argivos misisse regi subsidia tradit. Sed aliud bellum cum Aegyptiis erat, alia Cypri defectio, in qua opprimenda Athenienses quoque copias adfuisse, uberrimus testis afferri ipse Phocion posset, nisi quis nimia religione ductus occurreret, invitatum a Persis, quod sane aetate hac saepius fieri solebat, Phocionem dicens expeditionis illius Salaminiae imperium suscepisse. Certe tamen nullum argumentum reperiri potest, quod ad negandam opinionem de latis ab Atheniensibus in expugnanda Salamine auxiliis idoneum sit. Sed quominus decreti nostri expeditionem Salaminiam cum illa conferamus, obstare Charidemus videtur, quem eodem tempore, Olymp. CVII, 2, in Chersonesum ab Atheniensibus missum esse, supra statuimus ex Demosth. or. Olynth. III, p. 29. At Charidemi duo erant, ut supra docuimus, Orita alter, alter Atheniensis; hic decreti nostri Charidemus, ille et ipse civis Atheniensis inde ab Olymp. CVI, 4 (v. supra), et, si coniecturae locus detur, post orationem in Aristocr., Ol. CVII, 1, in Hellesponti regionibus dux ab Atheniensibus constitutus. Idem etenim iam aliquo tempore antea commendatus Atheniensibus ad imperium esse fertur, ut qui solus posset Amphipolin recuperare, or. in Aristocr. p. 625. Is igitur in Chersonesum missus statuatur, necesse est, Olymp. CVII, 2, quo tempore Charidemus *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* ad expugnandam Salamina Persis auxilia tulerit.

Quae igitur tota hac disputatione investigasse nobis videmur, haec sunt: Nausicles Olymp. haud dubie CVI, 4 in Imbrum legatus ibi de re publica Atheniensium ea ratione meritus est, quam Calliae primum decretum describit; Olymp. CVII, 2 Charidemus et Diotimus in Cypri urbem Salamina Persis auxilio missi accepta in pugna ad fluvium damna propriis impensis restituerunt. Quam ob rem ille atque hi utri-

que corona donati sunt ex decretis Calliae, Boedromionis XXVI latis Olymp. CVII a. nimirum 3, cuius archon eponymus Apollodorus Fastis consignatus est, prorsus diversus a Demonico, quem praefert decretum I.

10. p. 241. *μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον — οὐκ ἀπεῤῥιμμένοι;*

Olymp. CVIII, 1.

Olynthi, urbis in Chalcide opulentissimae et cum ceteris Chalcidicis civitatibus foederatae (Demosth. *π. παραπρ.* p. 426), Philippus quo tempore eius societate maxime indigebat, Ol. CV, 4, erepta Atheniensibus Potidaea Olynthiisque tradita, amicitiam sibi conciliavit. V. cap. h. nr. 2. Ex qua inter eam Philippumque foedus initum est *ἐπὶ τῷ κοινῇ πολεμεῖν πρὸς Ἀθηναίους, κἂν ἄλλο τι δόξῃ, κοινῇ σπείσασθαι.* Liban. in *ὑποθ.* ad Dem orr. Olynth. p. 7. Qua de causa Olynthii gestum iam antea cum Atheniensibus bellum deinde iuncti Philippo sustinebant. Unde in or. Dem. c. Mid. p. 566 et 578 expeditio Atheniensium adversus Olynthum memoratur, Ol. sine dubio CVI. a. 2 aut 3 facta (v. Böckh. über d. Zeitverhältnisse der Demosth. R. g. Meid. in Actis Academ. Berol. A. 1818—19. Class. histor. philolog. p. 82). Sed Philippus quum continuis bellis inde ab Ol. CVI, 4 Methonem et Apolloniam expugnasset, urbesque Graecas in Thracia sitas in potestatem suam paullatim omnes redigeret, ipsi iam Olynthii periculosam sibi cum rege societatem rati, ad Athenienses inclinare coeperunt. Itaque Olymp. aut CVI iam a. 4 aut CVII, 1 ineunte pace cum eis facta, bellum diuturnum composuerunt. Dem. in Aristocr. p. 656. Olynth. III, p. 30. Eaque prima discordiae Philippum inter et Olynthum causa fuisse fertur Demosth. et Liban. ll. cc. Mox belli palam incipiendi singularis occasio ansam prae-

buit. Receperant enim Olynthii per misericordiam, post caedem unius, duos fratres eius, quos Philippus ex noverca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat. Verba sunt Iustini (VIII, 3), scriptoris exquisita quadam orationis vehementia Philippo maledicentis. Tali ergo praetextu Olynthum Philippus aggreditur, adversus consociatas ei urbes Chalcidicas primum arma movens. Hic Olynthii periculo imminente adacti ad Athenienses legatos mittunt, utque foedere facto opem sibi ferant, implorant. Athenienses foedus ineunt, et ter Olynthiorum repetitis precibus, Demosthene in primis auctore, qui hac occasione tres suas orationes Olynthiacas habuit, ter uno anno classes magnis cum copiis in Chalcidem mittunt, quarum primae Charetem, secundae Charidemum, tertiae rursus Charetem praeficiunt. V. Philochor. ap. Dionys. Hal. ep. ad Amm. c. 9. Dem. π. παραπρ. p. 426. Sed pravitate imperatorum factum est, ut expeditiones hae perniciei magis Olynthiis fuerint, quam saluti. Theopomp. ap. Athen. XII, p. 532. C. D. X, p. 436. C. Itaque uno anno nondum elapso postquam proditionis ope omnes Chalcidicas urbes in suam potestatem redegerat Philippus, principem iam urbem Olynthum aggressus obsidione clausit. Demosth. l. c. Diod. S. XVI, 53. Ab Olynthiis deinde fortiter pro salute extrema pugnatum est. Verum Lasthenes, homo in re publica gerenda princeps, diuque iam Philippi commodis addictus eductum adversus hostem equitatum, in quo summa vis Olynthiorum bellica posita erat, prodidit irruendique in urbem Philippo potestatem fecit. Quo facto Philippus civibus in servitutem redactis urbem evertit. Dem. Phil. III, p. 125, 128. π. παραπρ. p. 426. Diod. S. l. c.

Diodorus bellum Olynthiacum urbisque expugnationem in Olymp. CVIII a. 1 confert. Sed bellum unius anni spatio gestum est. Dem. π. παραπρ. p.

426. Exarsit Olymp. CVII, 4, archonte Athenis Callimacho, quo missae ab Atheniensibus sunt tres illae expeditiones Olynthiacae teste Philochoro ap. Dion. H. l. c. §. 9. (Cf. Pseudoplut. vit. X orat. in Demosth. Vol. XII, p. 262 ed. H.); finitumque est per expugnationem Olynthi archonte Theophilo, Ol. CVIII, 1, secundum Dionys. l. c. §. 10 et Pseudoplut. l. c., in ipso, ut videtur, huius anni initio. Eversa enim Olyntho Philippus continuo Olympicos ludos in Macedonia maximo cultu celebrasse dicitur. Diodor. l. c. Dem. π. παραπρ. p. 401. Cf. Aesch. π. παραπρ. p. 30 init. et nostr. cap. III, 1.

Una cum Lasthene agitasse apud Olynthios commoda Philippi Euthycrates fertur. Dem. π. παραπρ. p. 425, 451. Uterque miseram proditionis praemio sortem accepit. Dem. de Cherson. p. 99. Ab ipso Philippo superbe tractatos eos Plut. refert in Apophthegm. p. 96. Vol. VIII ed. H. A Macedonibus enim vero proditorum nomine appellati quum aegrius ferrent, et quererentur apud Philippum, ille *σκαιοὺς φύσει καὶ ἀγροικοὺς Μακεδόνας καὶ τὴν σκάφην σκάφην λέγοντας* facete et prorsus eleganter respondit.

Caput tertium.

Rerum gestarum inde a tempore, quo primum pacem cum Philippo componere Athenienses instituerant, usque ad Philippi in Phocidem impressionem et ad improsperam Phocensium fortunam, de quibus omnibus Demosthenes or. de cor. p. 231 — 239 disserit, partim vera investigatur conditio, partim tempora, quantum potest accuratissime, constituuntur. Argumenta: Pacis compositae terminatique belli sacri ratio et historia enarratur. Decretum, quod p. 235 exstat, utrum plebiscitum sit, an Senatus consultum, et legatorum numerus in eodem consignatus num sit integer et genuinus inquiritur. Singularum rerum series chronologica, in primis decretorum tempora constituuntur. Depravati in utroque decreto mensium dierumque numeri tentatur explicatio.

Universum hoc or. de cor. caput ad eam rerum Philippi aetate gestarum partem spectat, per quam praesertim Philippus eam in Graecia auctoritatem assecutus est, ut iam omnium rerum arbitrium ad eum deferretur. Quam ob rem quum prima inde rixarum opprobriorumque materia Aeschini Demosthenique originem ducat, nihil mirandum est, si eorum uterque, ne ruinae libertatis auctor esse videatur, ab omni se vitio vacuum ostendere studeat, maximam delictorum partem in alterum transferat. Quo criminandi studio abrepti quum necessario oratores admodum de veritate declinent, multa rerum et ambiguitas nascitur et repugnantia. Accedit autem, quod ubi oratores conspirant, ibi monumenta publica, quae in hac or. de cor. parte exarata sunt, miro saepe et vix explicabili modo ab eorum testimoniis discedunt. Quo fit, ut or. de cor. pars ea, quam disputationis huius argumentum esse voluimus, in primis magnis prematur dif-

ficultatibus, quae in temporum praesertim discrepantiis insunt, tum etiam in ambigua singularum rerum ratione. Illae expediri non facile poterunt, antequam haec sit accurate perspecta. Ea igitur disputationis via persequenda erit, ut primum, id quod ipsa Demosthenis enarratio exigit, pacis factae compositique belli sacri ratio et nexus exponatur et illustretur, tum ad eas, quae decretis offeruntur, difficultates transitus fiat.

Exstant autem iisdem de rebus uberrima antiquitatis testimonia, Demosthenis et Aeschinis de male gesta legat. orationes, quae licet ipsae eorundem adversariorum irritato animi affectu res aliquantum fucatas et obscuratas referant, quum tamen certe tribus modo annis post eos, de quibus hic agitur, eventus habitae sint (v. Dionys. H. ep. ad Amm. §. 10, Argmt. II ad Dem. or. π. παραπρ.), si caute adhibeantur, verae rerum conditionis copiosa argumenta suppeditant.

Olymp. CVIII, ²/₃.

1. Philippus eversa Olyntho postquam omnes septentrionalis Graeciae regiones in suam potestatem redegerat, nihil ardentius in votis habebat, quam ut pacandae Graeciae, bello sacro laceratae, ad se arbitrium deferretur. Etenim bello Phocensi composito in Amphictyones receptum se iri, Pylisque potiturum et totius ita Graeciae principatum assecuturum se esse sperabat. Quam consiliorum eius rationem ipse rerum eventus docuit. Votis suis obnoxios habebat in primis Thessalos, pro quibus Olymp. iam CVI, 4 aut CVII, 1 cum Phocensibus conflixerat (v. cap. II, nr. 6), veteri eos odio in Phocenses accensos (Aesch. π. παραπρ. p. 46 m.), eorumque excidium optantes, ut possent Pylaeam recipere, qua orbati erant, dum Phocenses Thermopylas obtinebant et Delphos (Dem. π. παραπρ. p. 443. de pace p. 62). Et Thessalorum Philippique in Phocidem iter parabatur Olymp. iam CVIII, 2

ineunte, antequam Athenis de pace cum Philippo componenda agi coepisset. Aesch. l. c. p. 45 m. Eodem tempore in Phocide Boeotiaque, ubi bellum sacrum gerebatur, res in eo statu versabantur, ut Philippi consiliis maximam opportunitatem adferre viderentur. Utraque pars enim diuturnitate belli acerrimi exhausta iam erat et defatigata. Thebani in ipsa Boeotia a Phocensibus pressi, qui Orchomenum, Corsias et Coroneam praesidiis obtinebant, et Olymp. CVIII, 2 clade affecti (Diod. XVI, 56, 58. Demosth. π. παραπρ. p. 444) ipsi iam externa auxilia circumspicere cogebantur. Phocenses, etsi armis superiores, consumptis tamen iam templi divitiis, inter se dissidebant. Aesch. l. c. p. 45 m. Diod. XVI, 56. Ita dum omni ex parte favere inceptis suis opportunitatem videret, uni tamen obstabant Athenienses, bello tum cum eo occupati, iidemque Phocensium socii. Eorum enim praetor Proxenus cum classe ad Oreum, Euboeae urbem, versabatur (Aesch. l. c. p. 45 m. coll. Demosth. p. 389), unde facile praecludi transitus poterat, id quod Ol. iam CVII, 1 Philippus expertus erat (v. supra c. II, 6), si petiturum se cum exercitu Thermopylas Athenienses comperissent; atque 50 triremium classem paratam Athenienses habebant, ut si quid eiusmodi fieret, continuo impediretur (Dem. π. παραπρ. p. 444). Ea de causa pacem sibi cum Atheniensibus conciliare optabat. Dem. l. c. p. 442. Ipsis vero Atheniensibus nihil tum temporis pace exoptatius erat. Bellum enim de Amphipoli et segniter, et ob eam ipsam causam infelicissime ab eis gerebatur, tum quod apparatus opportuno tempore instrui non poterant (Dem. l. c. p. 387) per inopiam et perniciosam trierarchiae rationem, qua de re oratione iam adv. Philipp. I et oratt. Olynth. Demosthenes conqueritur, tum ob imperatorum pravitatem (Aesch. π. παραπρ. p. 37). Eversa Olyntho omnes eorum illis in regionibus socii inter-

ierant, aut in Philippi potestatem transierant, ipsi plerisque possessionibus orbati iam erant continuis Philippi in Thraciam impressionibus (Dem. Olynth. II, p. 25), earumque gravissima, Chersonesus in summo discrimine versabatur, quum tunc iam omnes in eam copias colligere Philippus posset. Quominus tamen pacem a Philippo peterent, animi superbia impediebat. Post captam Olynthum oratores, Aeschines, tum adhuc osor Philippi, Eubulus ipseque haud minime Demosthenes populum incitabant, ut legatos mitteret ad alias Graeciae civitates, maxime Peloponnesiacas, adversus Philippum excitandas. Dem. π. παραπρ. p. 344, 439. Diod. XVI, 54. Quas tamen exhortantibus obtemperare prohibebant non tam desidia, quam intestinae ipsarum turbae. V. nostr. cap IV, nr. 5. — At Philippus interea ipse se Atheniensibus pacis amantem offerebat inde ab Olymp. CVIII a. 1. Atque primum legati Euboeenses, de pace Athenis agentes, iussos quoque se esse a Philippo dicebant, ut Atheniensibus annunciarent, velle se cum eis transigere pacemque inire. Non multo post Phryno Rhamnusius inter Olympicas inducias a praedonibus Macedonicis captus est, redemptusque quum Athenas rediisset, rogabat populum, legatum sui causa ad Philippum ut mitteret, pecuniam, qua redimere se coactus esset, requisiturum. Missusque tum Ctesiphon est. Qui quum esset Athenas reversus, pacem Philippum ex animo optare renunciabat. Haec populus summa laetitia accepit, et uno animo comprobavit decretum, quod tum primum Philocrates Agnusius tulit: licere Philippo caduceatorem legatosque pacis ineundae causa Athenas legare. Et quamquam contra decretum eius Lycinus violatarum legum accusationem instituerat, nihilominus, Demosthene patrono assumpto, Philocrates absolutus est. Sub eadem tempora Athenienses, ut captos in expugnatione Olynthi cives quosdam suos liberarent, Ari-

stodemum actorem miserunt, qui quum Athenas rediisset, regis benevolentiam studiumque in Atheniensium civitatem coram senatu populoque summis laudibus efferebat, eumque ad pacem quam maxime propensum esse denuo testabatur. His igitur apud populum renunciatis, iterum decrevit Philocrates legatos ab Atheniensibus esse creandos, qui de pacis conditionibus cum Philippo agerent. Ita factum est, ut prima ad Philippum legatio mitteretur,*) cuius primas partes Aeschines, Philocrates atque Demosthenes exceperunt (Aesch. π. παραπρ. p. 30. sq.), medio fere Ol. CVIII a. 2. Agebatur in Macedonia in primis de Amphipoli, prima illa belli materia, quam ut recuperarent, Athenienses optabant. Aesch. π. παραπρ. p. 32. Philippus vero non solum, ut quas ipse dictaret, pacis conditiones, eis Athenienses accederent, cupiebat, verum etiam ut eam certe et sine mora componerent. Quam ob rem abeuntibus ex Macedonia Atheniensium legatis, ipse in Thraciam cum exercitu solvit, ad debellandum Thracum regem Cersobleptem (Aesch. l. c. p. 39 in.), simul tamen ut Athenienses metu, ne Chersonesum aggrederetur, si contradicendo moram facerent, acrius ad pacem, quam vellet, confirmandam compelleret, praereptaque per pacem Atheniensibus opem ferendi facultate Thracia commode potiretur. Athenienses contra ut aut aequiorem redderent Philippum, aut in observanda pace magis religiosum, de convocandis Athenas omnibus Graeciae civitatibus co-

*) Haec Aesch. ex ordine refert in or. π. παραπρ. p. 29 sq. Eadem partim affert or. in Ctes. p. 62 m. Ab actoribus Neoptolemo et Aristodemo Ctesiphonteque primum Athenienses incitatos esse, ut legationem ad Philippum mitterent, eosque ceteram pacis agitandae curam Philocrati tradidisse Demosthenes π. παραπρ. p. 344, 372, 443.

gitabant (Dem. l. c. p. 439, 441), ut aut belli continuandi secum communionem facerent, aut pacis, si eam iustis et aequis conditionibus concedere Philippus voluisset, participes fierent.*)

---

*) ἵνα κοινῇ καὶ πολεμοῖεν, εἰ δέοι, Φιλίππῳ μετὰ Ἀθηναίων, καὶ τῆς εἰρήνης, εἰ τοῦτο εἶναι δοκοίη σύμφορον, μετέχοιεν. Aesch. π. παραπρ. p. 35. Aeschines vero non cogitasse solum Athenienses de convocandis Graeciae civitatibus ad commune concilium Athenis habendum, sed missos etiam legatos iam esse contendit, Demosthenique exprobrat, quod non exspectato eorum reditu pacem confirmare Athenienses iusserit: l. c. et or. in Ctes. p. 62. Abiisseque legatos Athenis dicit, quum bellum adhuc Atheniensibus cum Philippo intercederet. Quam ob rem eleganter refellit adversarium Demosthenes in or. de cor. p. 232. Idem tamen in or. π. παραπρ. p. 346 Aeschinem insimulat, quo die Athenienses pacem cum Philippo decreverint, confirmarintque, id eis potissimum suasisse, ut ne ulli Graecorum succurrerent, qui ipsis prius auxiliatus non esset, idque: ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων καὶ ἀκουόντων, οὓς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων μετεπέμψασθε ὑπὸ τούτου πεισθέντες, ὅτ' οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν· praeter veritatem, scilicet ut Aeschinem, quem ante legationem adeo Philippi osorem fuisse dicit, ut vel Graecas civitates ad belli adversus eum communionem excitare conatus esset, quum ex Macedonia redux prorsus contraria suaserit, corruptum interea a Philippo eo evidentius demonstraret. Ita vero quum Demosthenes in or. de cor. et de m. g. leg. secum dissentire videatur, Aeschines contra ubique sibi constet, diiudicatu difficile est, utrum tum temporis, quum de pace cum Philippo conciliianda Athenienses agebant, missa sit legatio ad ceteras Graeciae civitates ad pacis communionem invitandas, nec ne. Enim vero Aeschines refellens Demosthenis criminationem in or. π. παραπρ. p. 346 decretum etiam sociorum recitari iubet, cuius haec verba affert: ἐπειδὴ βουλεύεται ὁ δῆμος ὁ Ἀθην. ὑπὲρ εἰρήνης πρὸς Φίλιππον, οἱ δὲ πρέσβεις οὔπω πάρεισιν, οὓς ἐξέπεμψεν ὁ

Iam reversis ex Macedonia Atheniensium legatis, quum Philippi quoque legati mox urbem adventuri

---

δῆμος εἰς τὴν Ἑλλάδα παρακαλοῦντας τὰς πόλεις ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν Ἑλλήνων, δεδόχθαι τοῖς συμμάχοις, ἐπειδὰν ἐπιδημήσωσιν οἱ πρέσβεις, καὶ τὰς πρεσβείας ἀπαγγείλωσιν τοῖς Ἀθηναίοις καὶ συμμάχοις, προγράψαι τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίας δύο κατὰ τοὺς νόμους, ἐν δὲ ταύταις βουλεύσασθαι περὶ τῆς εἰρήνης τοὺς Ἀθηναίους. π. παραπρ. p. 35. f. Recitatum hoc decretum coram populo esse Aeschines refert: ὅτε ἡ πόλις τὴν εἰρήνην ἐποιεῖτο, id est mense Elaphebolione (v. infra nr. 3); Elaphebolionis XVIII, quo et insequenti die XIX de pace confirmanda agebatur, recitatum esse crediderit, qui decretum sociorum, quod Aesch. or. in Ctes. p. 63 f. affert, idem atque illud esse opinetur. Sed huius decreti argumentum diversum est. Suasisse enim in eo Aeschines socios dicit primum, ut de pace sola consultarent Athenienses, tum: προσέγραψαν, inquit, ἐν τῷ δόγματι, ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων ἐν τρισὶ μησὶν εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγράφθαι μετ' Ἀθηναίων, καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνθηκῶν. Nihil igitur hic de exspectandis Atheniensium legatis, nihil de habendis post eorum adventum comitiis, quod si re vera in decreto exaratum fuisset, enotandum hic profecto Aeschines non dereliquisset. Itaque hoc decretum recitatum est Elaphebolionis XVIII, illud, si coniecturae locus detur, eiusdem mensis die VIII, quo Demosthenes de comitiis, die XVIII et XIX Elaphebolionis habendis, decretum tulit, id quod ipsi illi sociorum decreto Aeschines or. π. παραπρ. l. c. opponit, ut quid socii iudicarint, quid Demosthenes pertulerit, cognoscatur. Quod si re vera ita se habuit, missam esse ad Graeciae civitates legationem eodem tempore, quo legati Athenienses pacis conciliandae causa in Macedoniam abierint, concedendum Aeschini esset. Sed is miro prorsus modo legatos in Graeciam missos esse dicit ἔτι τοῦ πολέμου πρὸς Φίλιππον ὑμῖν ἐνεστηκότος π. παραπρ. p. 35 m., et παρακαλοῦντας ἐπὶ Φίλιππον in Ctes. p. 62 in. Iam vero una legatio nota est ad civitates maxime Peloponnesiacas adversus

essent, omnes Athenis in eo consentiebant, pacem esse componendam. Aeschines suasisse se pacem dicit, quod bello rem publicam perditum iri intellexerit l.

Philippum excitandas, quam decrevit Eubulus, suasit Aeschines ipse, et idem etiam obiit haud longo tempore post Olynthum eversam, id est circa Olymp. CVIII, 2. Dem. *π. παραπρ.* p. 344, 438 sq. Hanc si intelligit Aeschines, tum totam suam criminationem evidentissime commentitur. Eam enim obibat Aeschines, qui idem legatus ad Philippum missus est. Ea igitur reversa iam tum sit, necesse est, quum legatio pacis causa ad Philippum mitteretur, id quod factum est circiter mense Maemacterione Olymp. CVIII, 2 (v. infra nr. 3). Itaque Athenienses iterum civitates legatione adierunt, simulque Philippum ad pacem invitarunt? Aut id, aut potius mentitus est Aeschines et malevole in or. *π. παραπρ.* contorsit ad rationem decreti Elaphebolionis VIII a Demosthene lati sociorum decretum, re vera non diversum ab illo, quod affert or. in Ctes., in quo nihil de exspectandis legatis exaratum erat, sed de accersendis solummodo ad pacis communionem reliquis Graeciae civitatibus. Nam si re vera diversum esset, id certe in or. in Ctes. non praeteriisset Aeschines, quod ad confirmandam criminationem suam praeclare aptum fuisset. Sed alia fuit vera rei conditio. Reversis enim ex Macedonia legatis, quum de pace iam agendum erat, dissentiebant inter se ii, qui rem publicam administrabant; alii ut convocarentur ad pacis societatem Graeciae civitates suadebant, ipsique socii sententiam tulerunt, ut pax quidem fieret, sed ea conditione, trium ut mensium spatio quisquis Graecorum voluerit, accedere et nomen dare posset (Aesh. in Ctes. p. 63 m.), alii, ut continuo cum Philippi legatis ageretur. Prius dissuasisse Aeschinem, postquam ex Macedonia reversus esset, contendit Demosthenes *π. παραπρ.* p. 439, 441. Ipse si cunctamina Graecorum non exspectanda esse iubebat, quo eum arguit Aeschines (in Ctes. p. 63. f.), id fecit haud dubie, quod Philippo tum cum copiis in Thracia versante per moram ei periculum adferri videbatur.

c. p. 38. Demosthenes negat se ad pacem contrahendam quidquam contulisse de cor. p. 232. Reversus tamen ex Macedonia ita se gessit, omnem ut non in pace sola, sed etiam in foedere conciliando operam ponere videretur. *) Neque id solum, sed maturabat etiam pacis confirmationem, quod Philippum in Thracia versantem et Chersoneso imminentem sciebat (v. supra not.). Ipse vero Philippus amicissima erga Athenienses consilia simulabat. Eius enim epistolam legati Athenienses ex Macedonia retulere, in qua Atheniensibus qua posset ratione gratificaturum se esse pollicebatur. Optabat enim, praeter pacem ut foedere quoque cum eis iungi posset, inque epistola scripsit: ἔγραφον δ' ἂν καὶ διαῤῥήδην, ἡλίκα ὑμᾶς εὖ ποιήσω, εἰ εὖ ᾔδειν καὶ συμμαχίαν μοι γενησομένην (Dem. π. παραπρ. p. 354. or. de Halon. p. 85), quo certius Athenienses a societate cum Phocensibus amoveret. Quibus promissis Athenienses allecti facilius se ad quaeque Philippi vota accomodabant. Primum enim Philippi le-

*) Prima enim, quae reversis ex Macedonia legatis habita est, concione laetus de prospero legationis eventu decretum tulit de coronandis et ad coenam in prytaneo invitandis Atheniensium legatis, qui secum essent in Macedoniam profecti; tum, ut non de pace modo, verum etiam de foedere cum Philippi legatis ageretur, suasit, denique id effecit, ut senatus consultum fieret de assignando spectandi in Dionysiis loco regis legatis, ubi Athenas venissent. Aesch. π. παραπρ. p. 34 sq. Quae omnia decretis ab Aeschine confirmantur. Cf. or. in Ctes. p. 62 f. 63, 64 in. Conspirat quodammodo Demosthenes ipse, ubi dicit, se in concionibus illis, quibus de pace confirmanda ageretur, omni modo id curasse, ut secundum sociorum decretum pax aequa omnibus, Atheniensibus pariter ac sociis fieret (π. παραπρ. p. 345); Philippi vero legatos tum hospitio excepisse se, tum publice coluisse confitetur cum in or. de cor. p. 234, tum π. παραπρ. p. 414.

gati, quum brevi post Atheniensium legatorum in urbem reditum Athenas advenissent (Aesch. in Ctes. p. 63 m.), et de pace iam confirmanda coram populo ageretur, ex sociis Atheniensium, qui pacis participes fieri vellent, Phocenses non posse Philippum in foedus recipere professi sunt. Dem. l. c. p. 444. Haec Atheniensium rem publicam administrantium ii, qui a partibus Philippi stabant, summa ope adiuvarunt, eorumque maxime Philocrates, qui tamen ne a pace foedereque prorsus excluderentur Phocenses, coactus a populo est, ut in decreto, quo pax confirmata est, et cuius ipse auctor fuit, verba *πλὴν Ἁλέων*) καὶ Φωκέων* exstingueret, eorumque loco *Ἀθηναίους καὶ τοὺς Ἀθηναίων συμμάχους* exararet. Dem. l. c. p. 391. Ceterum in pacis conditionibus hae praecipuae fuisse videntur, ut Philippus Amphipolin et reliqua, quibus bello potitus sit, obtineret (Dem. de pace p. 63. or. de Halon. p. 81, 83), Chersonesum Atheniensibus cederet. Dem. *π. παραπρ.* p. 365.

His igitur conditionibus quum primum pax et foedus **) ab Atheniensibus decreta confirmataque essent, creati continuo decem legati a populo sunt, qui

---

*) Halus, Thessaliae oppidum, quod cum Pharsaliis inimicitias habebat, ideoque a Parmenione, Philippi praetore, obsidebatur, quum prima ad Philippum legatio pacis conciliandae causa in Macedoniam tendebat (Dem. *π. παραπρ.* p. 392); idem Philippus expugnavit quinque vel sex mensibus post, quum altera ad Philippum legatio iuris iurandi causa missa Athenas revertebatur. Dem. l. c. p. 352, 353, ad q. l. Ulp. adnotat: Halenses Atheniensibus studuisse, Pharsalios Philippo; coniectura haud dubie ex ipso Demosthene petita.

**) Nam foedus etiam cum pace ictum afferunt Dem. *π. παραπρ.* p. 354, 356, 368. Aesch. *π. παραπρ.* p. 46 m.

ad exigendum a Philippo pacis ius iurandum in Macedoniam proficiscerentur. Philippus autem ubi haec Athenis agebantur, in Thracia Cersobleptem debellabat. Ibi quum prope Chersonesum versaretur, Demosthenes metuens, ne rerum opportunitate Atheniensium detrimento abuteretur Philippus, quamdiu iure iurando non esset obstrictus, legati ut quam celerrime urbe abirent primum suasit, deinde facta a populo festinandae legatorum profectionis senatui auctoritate, ipse senator decretum tulit, ut legati quam citissime Athenis solverent, eosque Proxenus dux, qui naves ad Oreum, Euboeae urbem, in ancoris tenebat, ubicumque Philippus versaretur, deduceret. Dem. l. c. p. 388, 389.

Verum hi quum neglecto senatus consulto terra per multas ambages essent profecti in Macedoniam, quinquaginta dierum tempus consumpserunt, donec Philippus debellato Cersoblepte, et Dorisco, Hieronoro, aliisque castellis, quae ab Atheniensium exercitu custodiebantur, in potestatem suam redactis, Pellam reversus est. Dem. *π. παραπρ.* p. 390.*) Hic continuo Philippus arma ad iter Phocense parabat (Aesch. l. c. p. 41 f. 43 in.), advenerantque simul Thebanorum et Lacedaemoniorum (Aesch. l. c. p. 41 extr. sq. 46 m. Dem. l. c. p. 384), Thessalorum (Aesch. l. c. p. 46 m.) ipsorumque, ut videtur, Phocensium legati (Dem. Phil. III, p. 113)**): nimirum Thebani, ut suo

*) Aeschines simul cum Philippo ex Thracia redeunte legatos Pellam advenisse contendit *π. παραπρ.* p. 41 m. De Thracica hac Philippi expeditione, inter ipsam pacis pactionem suscepta, infra (cap. IV, nr. 1) pluribus agemus.

**) Sed hi fortasse postea. Comitatos enim eos h. l. Demosthenes dicit Philippum esse, quum iter iam in Phocidem faceret.

commodo Philippus bellum sacrum componeret, rogantes, Lacedaemonii, ipsi Phocensium cum Atheniensibus socii, contra Thebanos (Aesch. l. c. p. 46 m.), ut iure et aequitate. Ipseque Aeschines rogasse se tum Philippum testatur, ut Thebanorum superbiam coerceret, *μὴ μεθ' ὅπλων, ἀλλὰ μετὰ ψήφου καὶ κρίσεως* Amphictyonicas turbas componeret, Delphos convocaret Amphictyones, et sacrilegii auctores, non Phocensium urbes poena afficeret; quod si enim Thebanorum iniurias adiuturus esset, parum sibi ab eis gratiarum esse exspectandum. Aesch. l. c. p. 42, 43 in. Philippus vero instructis interim copiis iter ingressus est, comitantibus legatis Atheniensium, quibus, quum in ipso iam erat itinere, et Pheris, Thessalica urbe, commorabatur, tum demum cum sociis ius iurandum dedit (Dem. *π. παραπρ.* p. 390 sq. cf. p. 396 et argmt. II ad Dem. or. *π. παραπρ.*)*): exclusis Phocensibus et Cersoblepte, quorum loco Cardiani in pacis foederisque societatem recepti sunt secundum Demosthenem l. c. p. 395.

Exacto hac ratione iure iurando legati, quum Philippus iam ad Thermopylas stabat, quas Phalaecus Phocensium dux tuebatur, post trimestre fere temporis

*) Aliter in or. de cor. p. 236. Dato enim iure iurando detinuisse Philippum legatos Demosthenes dicit in Macedonia, donec expeditionem adversus Phocenses praeparasset. Fortasse igitur in or. *π. παραπρ.* non de Philippi iure iurando Demosthenes disserit, sed de eo, quod a sociis Philippi datum est. Id tamen utut est, — nam ambigue loquitur Demosthenes in or. *π. παραπρ.* — comitatos tamen legatos Philippum in Thessaliam esse vel ipsa Philippi epistola docet, quam Pheris, redeuntibus legatis, Athenas misit. In ea enim dedisse se ius iurandum cum sociis, qui adfuissent, declaravit; absentes vero velle se Athenas postea mittere (Aesch. l. c. p. 45 in.); detinuisseque sese legatos, ut sibi in recon-

spatium urbem reversi sunt. Dem. l. c. p. 359. Hic Demosthenes Aeschinem et Philocratem Athenienses, de Philippi ad Thermopylas adventu sollicitos, male renunciata legatione et vanis promissis decepisse criminatur. Philippum enim dicebat Aeschines talibus consiliis uti, quae magna reipublicae commoda mox forent allatura. Non ad Phocensium enim excidium Philippum venire, sed ad coercendos Thebanos. Ne igitur eum Pylas cum armis ingressum anxie ferrent; continuo enim Boeotiam a Thebanorum servitute liberatam, Thespias Plataeasque restitutas nunciatum iri; denique Oropum redditurum eis Philippum esse affirmabat. Istae enim erant causae odii Atheniensium in Thebanos. Demosthenes vero quum assurrexerit, et monere populum conatus sit, ne vanis se promissis decipi sineret, invectum in se Philocratem tanta superbia esse refert, ut ipse iam explosus conticuerit. V. Dem. *π. παραπρ.* p. 346 sqq. — p. 353. p. 355. Cf. or. de pace p. 59. Phil. II, p. 72 sq.*)

Ita vero fallacibus legatorum promissis intempestive confisus populus non solum ad Philippi incepta quietum sese tenebat, sed decretum etiam Philocratis ratum esse iussit, in quo primum pax modo inita ad posteros usque extensa est, deinde quae Philippus aggressus esset, laudata comprobataque, denique haec exarata sunt: *ἐὰν μὴ ποιῶσι Φωκεῖς ἃ δεῖ, καὶ παραδιδῶσι τοῖς Ἀμφικτύοσι τὸ ἱερόν, ὅτι βοηθήσει ὁ δῆμος ὁ*

---

ciliandis Halensium et Pharsaliorum inimicitiis adiutores essent. Dem. l. c. p. 352.

*) Aesch. *π. παραπρ.* p. 44 in. renunciasse se populo eadem dicit, quae in Macedonia ad Philippum pronunciasset: aequum nempe sibi videri, ut Thebae Boeotia essent, non Boeotia Thebae — prorsus leniter et eleganter; sed eo ipso Demosthenis criminationem apprime confirmat.

Ἀθηναίων ἐπὶ τοὺς διακωλύοντας ταῦτα γίγνεσθαι. Dem. l. c. p. 356. Postremis his populus ratus Philippum in communi Amphictyonum concilio cunctas res ex sententia Atheniensium et Thebanorum detrimento compositurum esse, id voluit, ut sine mora Philippo Phocenses se dederent. Ea vero quum Athenis decernebantur, congregati ad Pylas stabant cum copiis, praeter Philippum Thessalis iunctum, Thebani quoque et Locrenses (Dem. l. c. p. 361. Aesch. l. c. p. 46 m.), cuncti Phocensium hostes; ex Phocensium sociis Lacedaemonii exercitum reduxerant (Dem. l. c. p. 365), malam fraudem praesagientes, ut vult Demosthenes, magis quod omni rerum arbitrio antea pacto ad Philippum delato, in tali opportunitate abstinere a Phocensium societate cogebantur. Ipsos vero etiam Athenienses Philippus aequi iudicis nomine, ut cum armis egrederentur, iustis opem laturi, una secundum Aesch. l. c. p. 46 m., duabus secundum Demosth. l. c. p. 357 epistolis provocabat.*) Idem eodem nomine Phocensibus, ut sponte se traderent, persuadere conabatur. Dem. l. c. p. 359. Quibus quamquam primum Phalaecus obtemperare detrectasset, in Atheniensibus adhuc spem sibi salutis reliquam esse ducens, tandem tamen temporum necessitati cedere coactus est. Philippi enim Thessalorumque, Locrensium et Thebanorum exercitus adversus se congregatos, Phocidem a Lacedaemoniis desertam videbat, Athenienses

*) Quo magis consopiret Athenienses, ex Demosthenis sententia; adversus Thebanos, Aeschines ait, qui diffidentes Philippo cum armis exierint; quibus si obsecuti essent, ex optato res eis eventuras fuisse; sed impeditos Athenienses, quominus egrederentur, esse contendit a Demosthene, ceterisque, qui Thebanis studuerint, eo praetextu, ut ne Philippus obsidum loco copias comprehenderet.

vero cum Philippo conspirare ex decreto illo Philocratis cognosse se opinabatur.*) Pactus igitur Phalaecus cum Philippo est ea conditione, ut tradita Philippo Phocide suis cum militibus impuni sibi abire liceret. Diod. S. XVI, 59. Aesch. l. c. 46 f. Philippus vero per Pylas continuo Phocidem ingressus summa celeritate cunctis urbibus pacto seu vi potitus est. Aesch. in Ctes. p. 65. Diod. S. l. c. Dem. l. c. p. 379.**) Athenienses contra de pacto Phalaeci istaque rerum conversione certiores facti a Dercylo quodam legato, nuperrime cum aliis ad Philippum misso, quum de-

---

*) Demosthenes non Phalaecum necessitate adactum sed Phocenses deceptos Aeschinis Philocratisque vanis promissis (aderant enim, ait Demosthenes, eorum legati, quum reversi ex Macedonia Atheniensium legati legationem ad populum referrent, ut de eo, quid sibi sperandum esset, certiores fierent: Dem. *π. παραπρ.* p. 359) et ad deprimendos Thebanos venire Philippum ratos, sponte se suosque Philippo tradidisse contendit l. c. p. 357, 358, 361: ad conflandam scilicet adversario invidiam. Aliter enim rem se habuisse et Philocratis illud decretum docet, et ipsum maxime Phalaeci pactum. Neque etiam Phocensium legati Athenis aderant, sed rectius Aeschines l. c. p. 45 m. *Φαλαίκου τοῦ Φωκέων τυράννου δρομοκήρυκες*, neque Phocenses cum Philippo pacti sunt, sed solus Phalaecus.

**) Dem. *π. παραπρ.* p. 360: *μηδεμίαν τῶν πόλεων τῶν ἐν Φωκεῦσι ὑλῶναι πολιορκίᾳ μηδ' ἐκ προςβολῆς κατὰ κράτος, ἀλλ' ἐκ τοῦ σπείσασθαι πάντας ἄρδην ἀπολέσθαι*, ut tanto acrius adversarium crimine proditorum Phocensium premat. Verum etiam Diod. l. c. *ὁ δὲ βασιλεὺς ἄνευ μάχης ἀνελπίστως καταλύσας τὸν ἱερὸν πόλεμον*. Sed fuisse urbes, quae non sponte Philippo se dederint, sed vi resistere conatae sint, docet Philippi epistola de cor. p. 238 sq., quam statim post occupatam Phocidem scriptam esse infra demonstrabimus, sicuti id ipsum, post pactum Phalaeci Philippum continuo Phocidem esse ingressum.

ceptos se iam persentirent, indignati continuo arma movere, bellicosque apparatus instruere decreverunt ex decreto Callisthenis, quod exstat in or. de cor. p. 238. V. Dem. l. c. p. 360, 368, 379, 380. Aesch. π. παραπρ. p. 46 sq.*) Qua de causa Philippus missa Athenas epistola ne pacem modo compositam turbare vexareque instituerent, Athenienses admonuit (de cor. p. 239). Interea convocato Amphictyonum concilio, ut de reliqua Phocensium fortuna iudicaret discerneretque, potestatem fecit. Ab hoc igitur factum est decretum illud Phocensibus exitiosum, quod Demosth. π. παραπρ. p. 360 citat, et cuius singula argumenta Diodorus affert XVI, 60. Ex hoc enim Amphictyonum decreto urbes in Phocide omnes dirutae,**) ipsi Pho-

*) In his omnibus Aeschines etsi discedit paullum a Demosthenis narratione, quippe qui omni se abluere culpa studeat, Athenienses tamen Philippo confisos et deceptos ab eo esse, luculenter ipse confirmat. Ita enim tum temporis fuisse affectos eos refert, ut ad deprimendos magis Thebanos, quam ad exstinguendos Phocenses advenire Philippum speraverint. Neque spes, ait, fefellisset eos, nisi quae debuissent, ipsi neglexissent facere. Ipsos enim Philippi familiares in Macedonia affirmasse legatis Atheniensium, Philippum urbes Boeoticas instauraturum esse; Thebanos vero, quum ad Pylas descendisset Philippus, diffidentes et de rerum discrimine sollicitos, cum armis egressos esse; quod quum vidisset Philippus, ipsos ut in Phocidem egrederentur, Athenienses epistola provocasse. Sed quum decepti a Demosthene aliisque domi maluissent manere, perniciosam istam rerum conversionem ipsos sibi accelerasse. Aesch. π. παραπρ. p. 46. Cf. p. 43. f.

**) Dem. π. παραπρ. p. 385 *τῶν Φωκέων ἄρδην ὄλεθρος, καὶ ὅλων τῶν τειχῶν καὶ τῶν πόλεων ἀναίρεσις.* Accuratius Pausan. X, 3 duas et viginti urbes enumerat, ita ut Abis solis parcitum sit. Cf. Wessel. ad Diod. XVI, 60.

censes armis orbati et vicis inhabitare coacti sunt. Quam sortem miseram ut aufugerent, magna eorum pars exules patria excesserunt. Cf. Dem. l. c. p. 366. de pace p. 61. Quae porro hucusque in Amphictyonibus iura obtinebant Phocenses, nunc iam in Philippum collata sunt, ut ille dehinc eorum loco Amphictyon et Pythicorum ludorum praeses existeret. Dem. l. c. p. 445. Denique magna Phocidis pars, et plures in Boeotia urbes, Orchomenus, Corsiae, Coronea in Thebanorum ditionem cesserunt. Dem. l. c. p. 385. de pace p. 62. Quibus exacerbati Athenienses neque legatos ad Amphictyonum concilium nec theoros ad ludos Pythicos, qui eodem anno celebrabantur, miserunt. Dem. l. c. p. 380 sq. Unde Philippus suos Thessalorumque legatos Athenas mittere coactus est, qui Atheniensibus persuaderent, ut receptum se in Amphictyonum numerum sua quoque sententia confirmarent, Dem. l. c. p. 375. Per quam occasionem Demosthenes orationem de pace habuisse fertur Dion. H. (ep. ad Amm. §. 10. Cf. argmt. ad Dem. or. c.), Olymp. CVIII, 3.

Rebus ita suo ordine expositis et ad veritatem excussis, ad alteram disputationis huius partem de rerum iustis temporibus, multo difficiliorem eam et intricatiorem descendimus. Quae quum maxime monumentis publicis, huic orationis parti insertis, vexetur, statim accedentes ad eam offendimus in universa primi decreti de iure iurando a Philippo exigendo conditione perquam desperata, quam explorare illustrareque prius necessarium esse censemus.

2. p. 235. *ψήφισμα.*

Decretum hoc tum quod ad res attinet, tum quod ad tempora, intricatissimis nodis obstrictum est. Qui

quum tales sint, ut vel ad fidem integritatemque eius in dubium vocandam valeant, eo maiorem investigationis explicationisque operam requirunt. Atque prima difficultas in legatorum, qui ad exigendum a Philippo ius iurandum creati in decreto nominantur, numero ac nominibus inest. Suscepisse enim iussu populi hanc legationem in decreto quinque dicuntur: Eubulus, Aeschines, Cephisophon, Democrates, Cleon. Horum vero numerus aeque ac nomina cum iis minime congruunt, quae aliunde notissima sunt, et fidem habent exploratissimam. Nam primum non quinque, sed decem legatos constat, alteram ad exigendum a rege ius iurandum legationem obiisse. Unde non sine causa adscriptum in uno cod. exstat: *ἀπορητέον περὶ τοῦ τῶν πρέσβεων ἀρίθμου.* Id qui sibi persuasum esse velit, alterutram modo de falsa legat. orationem inspiciat. Quam ob rem vel unum solummodo locum ex utroque oratore afferre satis erit, quo res clare et expresse confirmatur. Aeschines enim decem creatos esse ab Atheniensibus legatos ait, quibus undecimum ex sociis accessisse, *π. παραπρ.* p. 41 in. Cum eo conspirat Demosthenes his maxime verbis: *ἴστε δήπου πρῴην, ὅτ' εἰςήγγειλεν Ὑπερίδης Φιλοκράτην, ὅτι παρελθὼν ἐγὼ δυςχεραίνειν ἔφην ἕν τι τῆς εἰςαγγελίας, εἰ μόνος Φιλοκράτης τοσούτων καὶ τοιούτων ἀδικημάτων αἴτιος γέγονεν, οἱ δ' ἐννέα τῶν πρέσβεων μηδενός. π. παραπρ.* p. 376. In nostro autem decreto nonnisi quinque legatorum nomina exarata ceteraque non casu omissa sunt, sed in decreto ipso scriptum exstat: *πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Ἀθηναίων ἤδη πέντε.* Verum et alia ex parte de legatis his haud exigua suspicio excitatur. Excepto enim Aeschine nullus ex ceteris neque ab Aeschine nec a Demosthene in orr. de m. g. leg. affertur, sed qui ab utroque oratore in secunda ad Philippum legatione partem aliquam habuisse dicuntur, iidem sunt, quos et primam ad eum de pacis condi-

tionibus legationem obiisse constat. Erant autem in priore illa legatione decem legati in Macedoniam missi: Ctesiphon, Aristodemus, Iatrocles, Cimon, Nausicles, Dercylus, Phryno, Philocrates, Aeschines, Demosthenes. V. argumentum 2 ad Dem. or. π. παραπρ. Passim memorantur ab Aesch. π. παραπρ. p. 30 m. et p. 34 m. Ex his singuli rursus afferuntur, ut qui alterius quoque legationis munus obierint; sic Demosthenes, Philocrates, Aeschines, Phryno ap. Dem. π. παραπρ. p. 412. Philocrates et Aeschines ibid. p. 395. Iatrocles p. 402. ap. Aesch. π. παραπρ. p. 44. Dercylus ap. Dem. l. c. p. 396. Philocrates et Demosthenes ap. Aesch. in Ctes. p. 65 init. Quorum tamen omnium in decreto nostro solus Aeschines exstat. Qua in re nihil adeo mirandum est, quam quod Philocrates absit. Iste enim, quod colludens cum Aeschine commodis Philippi omnino inserviret, tot tetris stigmatis a Demosthene perustus, ob id tamen saepissime scelestus patriae libertatisque proditor ab eo notatur, quod una cum Aeschine legationem illam sibi mandatam flagitiose gesserit, falsoque deinde ad populum renunciata decretum scripserit, quo et Phocensium fortuna Philippo prodita, et pax illa turpissima cum Philippo ad posteros etiam extensa sit. Dem. π. παραπρ. p. 356. Quamobrem ille, quod praesertim et Phocensium interitus et sequentis tempestatis auctor exstiterit, ab Hyperide, post belli Phocensis finem eisangelia ad populum delatus fugaque ante iudicium capta ad mortem damnatus est. Dem. π. παραπρ. p. 376. Aesch. in Ctes. p. 65 init. π. παραπρ. p. 29 in. Dinarch. in Dem. p. 20 ed. R. Itidem vero Demosthenes quoque alterius legationis huius particeps fuit, nec adeo exigua in ea provincia functus est. Id quamvis tota quidem or. Demosthenis de m. g. leg. evidentissime doceat, ut tamen omnis dubitatio removeatur, argumento sint loci nonnulli. P. 406 bis

Demosthenes ad Philippum legatum se esse testatur: *βουλομένου γὰρ ἐμοῦ τὰ δίκαια, ὥςπερ ἐπρέσβευσα δίς, οὕτω καὶ λόγον ὑμῖν δοῦναι δίς, προςελθὼν Αἰσχίνης οὑτοσὶ τοῖς λογισταῖς — ἀπήγγειλε μὴ καλεῖν ἐμὲ εἰς τὸ δικαστήριον, ὡς δεδωκότα εὐθύνας καὶ οὐκ ὄντα ὑπεύθυνον.* Quibus verbis quid magis congruere possit quam illud Aeschinis: *ὁ γὰρ μισαλέξανδρος καὶ μισοφίλιππος ὑμῖν οὑτοσὶ ῥήτωρ δὶς ἐπρέσβευσεν ἐν Μακεδονίᾳ, ἐξὸν μηδ' ἅπαξ* in Ctes. p. 64 in.? Cf. de altera hac Demosthenis ad Philippum legatione praeterea Dem. *π. παραπρ.* 393, 394, in primis 395 et innumerabiles alios ll. p. 400, 402, 404, 413, 421, 430, 445, de pace p. 59, Phil. II, p. 72 sq. Aesch. *π. παραπρ.* p. 42 sq. Munus autem, quod hac in legatione curandum Demostheni erat, non pertinebat proprie ad exigendam a Philippo pacis iure iurando confirmationem. Singularis eius fuit provincia. Abiit enim decimus ipse legatus captivorum redimendorum causa, qui in Macedonia a Philippo retinebantur. V. Aeschinem *π. παραπρ.* p. 41 in., qui tamen fictum a Demosthene esse talem legationis praetextum arguit; Dem. *π. παραπρ.* p. 393: *ὃν τοίνυν χρόνον ἦμεν ἐκεῖ* (in Macedonia) *καὶ καθήμεθ' ἐν Πέλλῃ, σκέψασθε τί πράττειν ἕκαστος ἡμῶν προείλετο. ἐγὼ μὲν τοίνυν τοὺς αἰχμαλώτους ἀνασώζειν καὶ ζητεῖν, καὶ παρ' ἐμαυτοῦ τε χρήματ' ἀναλίσκειν καὶ Φίλιππον ἀξιοῦν, ὧν ἡμῖν ἐδίδου ξενίων, τούτους λύσασθαι.* Idque munus solum plena auctoritate (*αὐτοκράτωρ*) curasse, in ceteris consiliarium modo fuisse se contendit ibid. p. 395. cf. 394, 410, 450. Itaque in confesso est, decem legatos alteram quoque ad Philippum legationem obiisse, in quibus, id quod certissime constat, Demosthenes fuit ac Philocrates, Aeschines, Phryno, Iatrocles.

Ad unam hanc difficultatem accedit alia, haud minor, ea, quod dubitari potest, psephisma hoc plebiscitumne sit, an senatus consultum, ad creandos iu-

ris iurandi exigendi causa legatos, an ad eorum iter maturandum potius spectet.*) Qua de re, quum ea excussa et diiudicata, quaestioni nostrae de decreti huius conditione multum lucis affluere videam, eaque ad tempus decreti constituendum plurimi sit momenti, disserere iam nunc aptum arbitror et necessarium. Itaque reversis ex Macedonia Atheniensium legatis quum simul, seu brevi intercedente temporis spatio, Philippi quoque legati ad Dionysiorum solemnia Athenas advenissent, duae deinceps populi conciones factae sunt, Elaphebol. die XVIII et XIX, quarum in altera de pace cum Philippo deliberatum, in posteriori pax simul cum foedere confirmata est. V. infra. Cogitatum continuo tum est de iure iurando a Philippo exigendo deque legatis creandis, quibus negotium hoc demandaretur. Eosque creatos a populo fuisse iam Aeschines dicit, quum Elaphebolionis die XXIV concio populi haberetur, in qua, Demosthene proedro, de pace a sociis, qui eius participes esse vellent, Philippi legatis iuranda actum sit: *ἤδη δὲ ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τοὺς ὅρκους, οὔπω δὲ ἀπηρκότων ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν, ἐκκλησία γίγνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης ὁ νυνὶ κατηγορῶν ἐμοῦ λαγχάνει προεδρεύειν.* Aesch. *π. παραπρ.* p. 39 init. et *Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνός* [*Ἐλαφηβολιῶνος*], *εἰς*

*) Praeter Biagium de decret. Athen. p. 342 Petitus solus, quod equidem scio, fuit, qui decretum hoc senatus consultum esse statuit (Leg. Att. III, 1 p. 278 sqq.), sed postridie ad populum ferendum, ad comprobandam nempe suam de statis in quaque prytania comitiorum diebus opinionem, in hoc tamen quo errore captus v. ap. Schömann. de comit. l. I, c. 2, p. 41. Corsinus (F. A. Diss. III, 17) et Taylor. (not. ad Dem. de cor. p. 235) inter populiscitum senatusque consultum fluctuant.

ὢν τῶν πρέσβεων, ἑβδόμῃ φθίνοντος. l. c. p. 40 m. Commorati autem deinde sunt legati Athenis per reliquos quoque Elaphebolionis dies, donec Munychionis III factum est senatus consultum, quo protinus urbe abire iussi sunt: *οὐ μόνον τοίνυν διετρίψαμεν τὰς λοιπὰς ἡμέρας τοῦ μηνός, ἀλλὰ Μουνυχιῶνος ἐξωρμήσαμεν. καὶ τούτου τὴν βουλὴν μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι. ἔστι γὰρ αὐτῆς ψήφισμα, ὃ κελεύει ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς ὅρκους. — ψήφισμα. χρόνος. ἀκούετε, ὅτι Μουνυχιῶνος ἐψηφίσθη τρίτῃ ἱσταμένου.* Aesch. l. c. p. 40 m. Id senatus psephisma quin idem sit, ac quod *π. παραπρ.* p. 389 recitari Demosthenes iubet, nullus dubito. Consumptis enim praeceptisque iam comitiis, quum esset senatui a populo profectionis legatorum maturandae potestas facta, senatorem tum temporis se conscripsisse decretum testatur, quo citissime legati iter inire iuberentur: *ἐπειδὴ γὰρ ἐκκλησία οὐκέτ' ἦν ὑπόλοιπος οὐδεμία διὰ τὸ προκατακεχρῆσθαι, οὗτοι δ' οὐκ ἀπῄεσαν, ἀλλ' αὐτοῦ διέτριβον, γράφω ψήφισμα βουλεύων, τὴν βουλὴν ποιήσαντος τοῦ δήμου κυρίαν, ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις τὴν ταχίστην, τον δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται, γράψας ὥςπερ νῦν λέγω, τοῖς ῥήμασιν οὕτως ἄντικρυς.* Quibus cum verbis si confers ea, quae de decreto nostro Demosthenes in or. de cor. p. 233 dicit: *ἐγὼ μὲν τοίνυν ἔγραψα βουλεύων ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται*, facile decretum hoc idem atque illud esse consenseris. Sed huic sententiae et psephismatis forma repugnare, nec verba utriusque decreti ita sibi respondere videntur, ut possit continuo non diversum censeri. In illo enim scripserat Demosthenes: *ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις τὴν ταχίστην, τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται*, in nostro autem decreto Proxeni imperatoris nulla pror-

sus fit mentio. Deinde non senatus consultum, sed de creandis legatis populiscitum esse verba *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ πρέσβεις ἑλέσθαι* haud ambigue indicare videntur. Nihilominus repugnantiae istae sine magna difficultate solvi potuerint. Nam quum, ut modo vidimus, maturandi itineris legatorum populus senatui potestatem fecisset, quid ni Demosthenes formula *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* uti in senatus consulto potuit, non senatus solius, sed populi quoque auctoritate ac voluntate conscripto? Deinde quod ad verba attinet *τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται*, ea in decreti autographo exarata fuisse, dubitari nequaquam sinit additum a Demosthene *γράψας, ὥσπερ νῦν λέγω, τοῖς ῥήμασιν οὕτως ἄντικρυς*. At apographa solebant oratores non ad verbum describere, sed ad tempestivum magis usum accommodare, alia, quae ad rem minus pertinere videbantur, omittendo, alia in brevius colligendo.*) Atque eiusmodi apographa magna decretorum pars est, quae exstant in or. de cor. Itaque in hoc nostro quoque decreto de industria a Demosthene Proxenus imperator omissus esse possit, quo magis omnis retardati itineris culpa in ipsis legatis appareret, qui proxima via ad Philippum tendere a senatu populoque iussi erant. Nam quominus populiscitum esse decretum hoc statuamus, obstant primum ipsa Demosthenis verba: *ἔγραψα βουλεύων* de cor. p. 233, quae nonnisi de rebus in senatu decretis usurpantur.**) Tum si populiscitum et senatus consultum deinceps tulisset De-

*) Cf. ea de re Biagi de decr. Ath. p. 385 sqq.

**) Ita de cor. p. 234: *εἰ δὲ βουλεύων ἐγὼ προςάγειν τοὺς πρέσβεις ᾤμην δεῖν* etc., qua de re senatus consultum a Demosthene factum est. V. Aesch. *π. παραπρ.* p. 35 init.

mosthenes, et in utroque legatos maturare iter iussisset, utriusque profecto et in orat. de. m. g. leg. et in nostra de cor. mentionem fecisset.

Iam igitur, quod reliquum est, ut ad legatorum numerum revertatur oratio, respiciendum nobis ante omnia ad aliud decretum videtur esse, a nostro prorsus diversum, quod Aeschines memorat *π. παραπρ.* p. 41. m. Quum enim legati alteram legationem obeuntes in Macedoniam advenissent, resque iam in eo esset, ut cum Philippo ex Thracia modo reverso de iis, quae populus iussisset, ageretur, recitatum antea coram legatis decretum Aeschines refert, secundum quod eos munere eis demandato perfungi oportuisset (*ἀνεγνώσθη μὲν τὸ ψήφισμα, καθ' ὃ ἐπρεσβεύσαμεν*). In hoc consignata omnia ea fuisse manifestum est, quae populus in Macedonia exsequi legatos voluerit. — *καὶ τὰ τεταγμένα ἡμῖν πρὸς τῷ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν συνηριθμούμεθα. — εἶπον συνειλεγμένων τῶν πρέσβεων, ὅτι μοι δοκοίησαν τὸ μέγιστον πρόσταγμα τοῦ δήμου δεινῶς ἀγνοεῖν —. τὸ μὲν γὰρ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν καὶ περὶ τῶν ἄλλων διαλεχθῆναι, καὶ περὶ τῶν αἰχμαλώτων εἰπεῖν, καὶ εἰ τοὺς ὑπηρέτας ἔπεμψεν ἡ πόλις, περιθεῖσα πίστιν αὐτοῖς, ἅπαντ' ἂν πραχθῆναι νομίζω —. ἀφίγμεθα δ' ἡμεῖς ἔχοντες τοῦ δήμου ψήφισμα, ἐν ᾧ γέγραπται· πράττειν δὲ τοὺς πρέσβεις καὶ ἄλλ' ὅ, τι ἂν δύνωνται ἀγαθόν.* Ex his igitur liquet legatis praeter legationis summam, quae in iure iurando exigendo posita erat, alia quoque mandata fuisse, ut captivorum redemptionem. Cognitum autem supra iam est ex Dem. or. de m. g. leg., Demosthenem non nisi captivorum redimendorum causa legationem hanc obiisse, inque hoc solo negotio plena usum esse potestate (*αὐτοκράτορα*) *π. παραπρ.* p. 395 (cf. ll. supra ll.). Decretum vero, de quo agimus, solam iuris iurandi exigendi curam exhibet. Quid igitur, si quinque legati illi, quorum nomina ibidem exarata sunt, in eum potissimum finem electi sint, ut

pacem iure iurando a Philippo confirmandam curarent, reliquorum quinque unicuique singularis quaedam provincia demandata sit? Ut brevi dicam, quae probabilis sententia de decreto hoc statui possit: post pacem a populo sancitam confirmatamque creati continuo universo ex populo quinque legati sunt (*ἐκ πάντων Ἀθηναίων ἤδη πέντε*)*) inter Elaphebolionis diem XIX et XXIV, ii, qui in decreto nostro exstant,**) hisque sola iuris iurandi cura demandata est. Praeter hos deinceps sive a senatu seu ipso a populo alii quinque electi sunt, qui illorum aut auxiliarii, aut observatores esse cupiebant, utque publica auctoritate possent legationem comitari, observanda exsequendaque alia commoda libenter susceperunt, quae populus praeter pacem cum Philippo compositam fieri sibi optabat. In his unus Demosthenes fuit, qui captivorum redimendorum causa legatum se in

---

*) *Ἐξ Ἀθηναίων* vel *ἐκ πάντων Ἀθηναίων* additamentum solemne in decretis est, ubi de creandis tribus, quinque pluribusve, magistratibus sermo fit nullo tribuum respectu habito. Sic or. adv. Timocr. p. 707 *πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων*, et idem in decreto in Zenonis honorem lato ap. Diog. L. VII, nr. 10, *χειροτονῆσαι πρέσβεις τρεῖς ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων*, in Böckh. Inscr. Att. nr. 107, *δέκα ἄνδρες ἐξ Ἀθην. ἁπάντων* ap. Andocid. de pace p. 92 R.

**) Eorum Aeschines eodem munere in priore iam legatione functus est. Ceteri noti sunt ex ipsa or. de cor. Praeter Eubulum enim Anaphlystium, virum reipublicae administratione eo tempore celeberrimum, qui et ipse interdum ad Philippi partes inclinabat, (v. Demosth. de cor. p. 232. cf. p. 281. Aesch. in Ctes. p. 57 m.) occurrunt Democrates Phlyensis in decreto de cor. p. 291, Cephisophon Rhamnusius et Cleon Cothocides in accusat. Ctes. de cor p. 244, utrique, ut inde coniici potest, Aeschinis familiares.

Macedoniam abiisse contendit, quod re vera tamen potius fecit, ut eo praetextu reliquos observare posset, ne quid perniciosius in publicum commodum machinarentur; reliqui, ut decem legatorum numerus expleatur, Philocrates, Phryno, Iatrocles, Dercylus fuere, quos Demosthenes Aeschinesque in orr. de f. leg. passim afferunt (v. supra), eosdem, qui priorem quoque ad Philippum legationem obierunt. His autem cunctis traditum populiscitum est, singula quaeque praescripta continens, quae et observanda et perficienda eis in Macedonia essent, id quod Aesch. π. παραπρ. p. 41 m. τὸ ψήφισμα καθ' ὃ ἐπρεσβεύσαμεν vocat, accuratiusque ibidem describit. Iam vero Demosthenes, quum, ut ipse effatur (de cor. p. 234 et π. παραπρ. p. 388 sqq.), metueret, ne Philippus sacramento nondum obstrictus ista temporis opportunitate ad commoda sua abuteretur, quantumque posset interea in Thracia occuparet, ut primum legati creati sunt, mandataque populi acceperunt, rogabat populum aeque ac legatos, quam possent celerrime urbe abirent (π. παραπρ. p. 388), eiusque sine dubio suasu factum est, ut praesumptis iam in ipso prytaniae Pandionidis initio statis comitiorum diebus, populus senatui maturandae legatorum profectionis potestatem tribueret. Ex qua, legatis diutius in urbe tempus terentibus, senatus Demosthenis decretum III Munychionis die sanxit et promulgavit, id quod ab Aesch. π. παραπρ. p. 40 m. Demostheneque ibid. p. 389 affertur. Idem si in nostro or. de cor. loco ad verba exaratum occurit, omnino consentaneum est, non omnes decem in eo legatos afferri, sed eos solos, quibus primis solisque exigendum a Philippo sacramentum demandatum sit, ideoque properandi itineris summa necessitas adfuerit. Hac unica via difficultates in decreto isto positas removeri posse quodammodo censeo.

Quod vero de illa legatorum creatione statui, id exemplis etiam illustrari confirmarique facile possit. Decem enim legatos Demosthenes creandos proposuit, qui Thebas proficiscerentur ad foedus Athenienses inter Thebanosque adversus Philippum conciliandum (de cor. p. 382). Sed in decreto, quod ea de re a Demosthene conscriptum est, nonnisi quinque legatorum nomina exstant (p. 291). Similique modo et in priori ad Philippum legatione actum esse, concludi potest ex Dem. or. *π. παραπρ.* p. 344, ubi de Aeschine haec verba Demosthenes facit: *γίγνεται τῶν πρέσβεων τούτων εἷς καὶ οὗτος, οὐχ ὡς τῶν ἀποδωσομένων τὰ ὑμέτερα, οὐδ' ὡς τῶν πεπιστευκότων τῷ Φιλίππῳ, ἀλλ' ὡς τῶν φυλαξάντων τοὺς ἄλλους. διὰ γὰρ τοὺς προειρημένους λόγους καὶ τὴν πρὸς τὸν Φίλιππον ἀπέχθειαν ταύτην εἰκότως περὶ αὐτοῦ πάντες εἴχετε τὴν δόξαν. προσελθὼν τοίνυν ἐμοὶ μετὰ ταῦτα συνετάττετο κοινῇ πρεσβεύειν, καὶ ὅπως τὸν μιαρὸν καὶ ἀναιδῆ φυλάξομεν ἀμφότεροι τὸν Φιλοκράτην πολλὰ παρεκελεύσατο.*

Itaque si decretum hoc senatus consultum illud est de maturanda legatorum profectione, quod affert Demosthenes *π. παραπρ.* p. 389, et Aeschines ibid. p. 40 m. Munychionis tertio latum esse dicit, consequens etiam est, pro *Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ* scribendum esse *Μουνυχιῶνος τρίτῃ.* Sed chronologicam hanc difficultatem sequenti commentatione accuratius explorabimus. Neque vero nunc omnia iam ita expedita sunt, ut dubitationi nullus relinquatur locus. Sed ingenue confiteor, duas adhuc neque exiguas restare difficultates. Earumque prima sita est in Eubulo Anaphlystio, qui inter quinque illos legatos, iuris iurandi exigendi causa creatos, citatur. Iste enim vir rei publicae administratione clarissimus et summa apud Athenienses auctoritate si vere legationi illi interfuisset, eius in primis si minus Demosthenes, Aeschines certe in or. *π. παραπρ.* mentionem fecisset, quippe

quem in pace hac componenda cum eo conspirasse Demosthenes praedicet. V. or. de cor. p. 232. Verum Eubulum hunc in legatione illa nullam prorsus partem habuisse, clarissimum indicium exstat in fine orationis Aeschineae. Provocat enim ibi Aeschines Eubulum, ut probitatem suam suo testimonio confirmare velit his verbis: *παρακαλῶ δὲ Εὔβουλον μὲν ἐκ τῶν πολιτικῶν καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν συνήγορον,* non addens, collegam sibi eum in legatione obeunda fuisse, quod addidisset, si re vera Eubulus iste cum eo esset in Macedoniam profectus. Eubulique huius intercessione absolutum esse Aeschinem constat, quum causam de male gesta legatione ageret. Quem quidem Spinthari filium, Probalisium, Pseudoplut. vocat (vit. X orr. in Aesch.), et qui eum exscripsit Photius (cod. 264), utrique tamen errore capti iudice Ruhnkenio (hist. crit. orr. Gr. p. 145, in orr. Gr. ed. R. Vol. VIII), qui recte Anaphlystium ubique intelligi vult, ubi simpliciter Eubulus commemoretur. Quae quum ita sint, quaeri iam possit, decretum hoc ad aliamne legationem pertineat, pacemque fortasse Ol. CX, 3 post cladem Chaeronensem compositam, et, quod inde consequens est, profectumne non a Demosthene sit, sed ab aliis posterioribusque temporibus insertum et cum vero decreto confusum? Sed huic sententiae reliqua decreti conditio aperte repugnat. Eubulus igitur is, qui in decreto occurrit, aut morbo impeditus est ab obeunda legatione, aut diversus est a celebri illo Eubulo, quem provocat Aeschines in or. de male gesta legatione, aut quovis alio modo in decretum irrepsit.

Alteram difficultatem excitat *ἡ πρώτη ἐκκλησία,* in qua pax cum Philippo decreta dicitur esse. Hac enim voce manifesto significatur concio prima ex quatuor statis in quaque prytania comitiorum diebus. Praesidebat autem, quo tempore de pace Athenis agebatur, in senatu tribus Pandionis, id quod tum ex ipso

decreto nostro liquet, tum quod apud Aeschinem π. παραπρ. p. 39 init. Elaphebolionis die XXIV Demosthenes proedrus fuisse dicitur, qui ipse Pandionidi tribui erat accensus. Unde manifestum est eo anno, qui, ut infra (nr. sq.) ostendemus, Ol. CVIII secundus fuit, tribum Pandionidem octavum in prytaniarum serie locum obtinuisse, idque, quum annus ille intercalaris non fuerit (v. tabul. cycli Meton. in Ideleri Enchirid. chronol. Vol. I), a die Elaphebolionis XI seu XII. Cf. Schoemann. de comit. p. 48. Boeckh. Oecon. Ath. civ. Vol. II, p. 180. Inde vero a XII Elaphebolionis die Dionysiorum solemnia intercedebant, quibus peractis ut Elaphebol. XVIII et XIX de pace in comitiis continuo ageretur, Demosthenes decreverat. Aesch. in Ctes. p. 63 m. et π. παραπρ. p. 36 in. Prima igitur concio, quam decretum exhibet, facta esset Elaphebol. die XVIII. At eo die de pace consultatum modo est, facta autem pax est et confirmata insequenti demum die, Elaphebol. XIX: ἡ μὲν εἰρήνη Ἐλαφηβολιῶνος ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα ἐγένετο. Demosth. π. παραπρ. p. 359. Idem: εἰς τὴν ὑστεραίαν, ἐν ᾗ τὴν εἰρήνην ἔδει κυροῦσθαι l. c. p. 345; τῇ μὲν προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν συμβουλεύειν τὸν βουλόμενον, τῇ δ' ὑστεραίᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι. Aesch. π. παραπρ. p. 36 med. Cf. in Ctes. p. 63. Nova igitur inde decreti et verae rerum conditionis oritur discrepantia, quae eiusmodi est, ut dubitandum iam sit, decretum hoc utrum re vera ex tabulis publicis deprompserit Demosthenes, an ex mememoria conscripserit, atque ita composuerit, ut sibi opportunitati praesenti aptissimum videretur. Posterius si statueretur, et reliquae discrepantiae, quas supra monstravimus, lucem inde idoneam nanciscerentur, earumque fortasse maxima, quae in quinque legatis illis sedem suam habet. Mirum enim omnino videri potest, quod legationis huius secundae nusquam in or.

de cor. sese participem Demosthenes indicavit. Quod quum omnino fecisse videatur, ne quam de se suspicionem excitaret, eam ut eo certius effugeret, quinque solummodo legatos in decreto afferre aptissimum videri sibi potuit; quippe quod si decem afferret, ipse sibi memorandus fuisset.

Tot vero tantisque dubitationibus quum sit obnoxia decreti huius conditio, in ipsa etiam temporis discrepantia caute agendum esse patet. Sed ea de re iudicari recte non poterit, ante quam alterius decreti tempus fuerit exploratum.

3. Decreta p. 235 et 238 exarata Philippique epistola p. 239 in quod tempus incidant, inquiritur. Singularum rerum, tempore illo gestarum, series chronologica constituitur.

In utroque illo decreto manifestus error chronologicus insidet, quem perspectum olim iam a Corsino Tayloroque, sed rebus haud satis subtiliter investigatis, nunc, ne in posterum vexet temporum rationem, exstirpare necesse est. Etenim secundum ea, quae iisdem de rebus in utraque oratione *π. παραπρ.* referuntur, neque primum decretum Hecatombaeone mense, neque alterum Maemacterione, sed utrumque potius extremis anni mensibus latum est. Haec una est, quae ad menses spectat, temporum discrepantia; alia in dierum numeris, alia denique in anni notatione sita est. Utrumque decretum enim praefixum fert archontem Mnesiphilum, quod tamen nomen inter eponymos horum temporum inveniri in fastis non potest. Statim igitur Mnesiphilus iste, ut qui ad constituenda tempora nil expediat, silentio in praesentia praetermittendus est, ut opportuniori loco ad eum quoque sicut ad ceteros Pseudeponymos revertatur oratio, postquam annus, ad quem decreta illa refe-

renda sint, cognitus fuerit. Eum autem, sicuti dies et menses, quibus exarata sint decreta, aliis ex argumentis, ad artis criticae praecepta pensatis examinatisque accuratissime ut constituamus, ipsa nos monumentorum intricata illa conditio ducit.

Iam temporum iustam rationem perspici optime posse ita puto, si primum rerum dies ex ordine, tum annus constituantur.

Itaque Athenienses de pace cum Philippo ineunda primum deliberant tempore *τῶν σπονδῶν μυστηριωτίδων*, mense igitur circiter Boedromione, quo acta Eleusine esse mysteria magna constat. Aesch. *π. παραπρ.* p. 45 extr.

Ex decreto Philocratis decem legatos ire in Macedoniam iubent, invitaturos Philippum, ut si transigere secum vellet, legatos Athenas mitteret, quibuscum de pace componenda ageretur.

Reversis legatis, VIII Elaphebolionis die ex decreto Demosthenis concio fit, in qua populus de pacis conditionibus deliberat, ut quum primum Philippi legati urbem advenissent, sine mora cum eis transigeretur. Aesch. in Ctes. p. 63 in.

Intercedunt Dionysia, ad quae Philippi legatos advenisse Athenas manifestum est vel ex ipsa or. de cor. p. 234 extr. Cf. Aesch. in Ctes. p. 63.

His celebratis eiusdem mensis diebus XVIII et XIX continuo de pace ac foedere cum legatis regiis agitur. Pax decernitur Elaphebolionis XVIII, confirmatur, simul cum foedere, dato iure iurando eiusdem mensis XIX. Aesch. in Ctes. p. 64 *π. παραπρ.* p. 36. Dem. *π. παραπρ.* p. 359.

Die tum XXIV Elaphebolionis aut XXIII*) socii Athenienses, qui aderant, pacem cum Philippo

*) *ἑβδόμη φθίν.* XXIII Elaphebolionis dies est. Acta

factam iure iurando confirmant. Aesch. in Ctes. p. 64 *ἕκτῃ φθίνοντος τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος;* at *π. παραπρ.* p. 40 in. *ἑβδόμῃ*, ubi *ἕκτῃ* dicit Cersobleptem a Philippo e regno esse eiectum. Eundem diem hic significari eo patet, quod eo ipso Demosthenem proedrum, id est h. l. epistatam in concione fuisse dicit.*) —

---

enim haec sunt, ut continuo monstrabimus, Ol. CVIII a. 2, quo ex Metonis cyclo Elaphebolio mensis cavus fuit. V. Tabul. chonol. in Ideleri Enchirid. Vol. I, p. 383. Quam ob rem anno illo Elapheholionis dies XXI *ἐνάτη φθίν.* dicebatur. Cf Ideler. l. c. p. 280 sqq.

*) Aesch. in Ctes. p. 64 m. *ἕκτῃ φθίν. Ἐλαφηβολ.* factam esse concionem dicit, in qua latum a Philocrate decretum sit, *ἐν ᾧ γέγραπται ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους τοῖς πρέσβεσι τοῖς παρὰ Φιλίππου ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων·* eo die vero quum Cersobleptis legatus non adfuerit daturus ius iurandum, exclusum manifesto Cersobleptem esse a pacis foederisque societate per machinationes Philocratis atque Demosthenis. Etenim Philocrates decretum tulerat, Demosthenes, proedrus, populum in suffragium misit: *ἀνάγνωθί μοι, τίς ἦν ὁ ταῦτα γράψας καὶ τίς ταῦτ' ἐπιψηφίσας πρόεδρος*, et: *ὁ δ' ἐπιψηφίσας Δημοσθένης.* — Idem in or. *π. παραπρ.* p. 39 sqq.: *ἑβδόμῃ φθίν. Ἐλαφηβολ.* factam esse concionem ait, *ἐν ᾗ Δημοσθένης — λαγχάνει προεδρεύειν.* In ea recitatam legem esse Aleximachi de admittendo ad ius iurandum cum ceteris sociis Critobulo, quem Cersobleptes in hunc finem Athenas misisset. Quum vero populus ad decernendum iret, surrexisse Demosthenem seque *τὸ ψήφισμα οὐκ ἐπιψηφιεῖν* declarasse; *ὡς δ' ἡ παροῦσα ἐκκλησία διελύθη, ἐξώρκιζον τοὺς συμμάχους οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις.* Itaque in hac illaque concione fuit Demosthenes *ὁ ἐπιψηφίσας πρόεδρος* i. e. *ἐπιστάτης* (v. Schoem. de comit. p. 92 et 120); et unam eandem concionem obversari hic Aeschini, patet. Aut igitur Aeschines memoria falsus est, aut, quod probabilius videtur, commiscet duarum concionum tempora,

Nonnullis vero diebus antea novi legati ad exigendum a Philippo ius iurandum creati erant. Aesch. π. παραπρ. p. 39.

Hi Athenis solvunt senatus consulti a Demosthene lati (de cor. p. 235) iussu Munychionis III. Aesch. π. παραπρ. p. 40 m.

Itineris die vicesimo tertio Pellam advehuntur, quinquagesimo cum Philippo conveniunt, postquam ex Thracia reverterat. Dem. π. παραπρ. p. 390.

Athenas redeunt Scirophorionis XIII, quo tempore ad Thermopylas Philippus iam appropinquaverat. Dem. l. c. p. 359.

Eiusdem mensis XVI coram populo legationis eventum renunciant. Aeschines atque Philocrates sollicitos ob adventum Philippi ad Thermopylarum angustias Athenienses demulcent ac consopiunt. Dem. π. παραπρ. p. 359, de cor. p. 237.

Scirophorionis denique die XXVII (τῇ τετράδι φθίν.) concio habetur Atheniensium in Piraeo, cui Dercylus, Chalcide veniens, actum iam de Phocensibus esse Philippumque extremam eorum fortunam Thebanorum Thessalorumque prodidisse arbitrio, refert. Dem. π. παραπρ. p. 359. Idque quinto antea die factum est ex Demosthenis computatione, Scirophorionis XXIII, quo nempe

quarum altera, ἑβδόμῃ φθίν., de sociorum iure iurando agebatur nondum praesente Cersobleptis legato, altera deinceps, ἕκτῃ φθίν., facta est, quum advenisset Critobulus. In illa Demosthenes vere ἐπιστάτης fuit, alteri inter proedros praesidebat. Ita quatuor existent conciones inter Elaphebolionis diem XVIII et Munychionis III; ad quod id optime congruit, quod Demosthenes Munychionis III, quum de maturanda legatorum profectione in senatu rogationem faceret, consumptas iam statas conciones esse dicit π. παραπρ. p. 389.

Phalaecus tradita Phocide liberum sibi a Philippo discessum pactus sit. Inopinata autem hac rerum conversione perterritos Athenienses decretum Callisthenis (de cor. p. 238) de excubiis fugaque ex agris capessenda confirmasse testatur Demosthenes π. παραπρ. p. 368 et 379.

Annum vero, quo facta sint haec, Aeschines accurate definit. Themistocle enim archonte, ait (in Ctes. p. 62), Demosthenem senatoriam dignitatem sortitum esse, et haud longe post Philocratem de creandis ad Philippum pacis causa legatis decretum tulisse. Reliqua autem, quae subsecuta sunt, dum agebantur, Demosthenes senatoria dignitate fungebatur. Senator decretum tulit de maturando legatorum itinere Munychionis III. Dem. π. παραπρ. p. 389. de cor. p. 233, 235. Idem proedrus fuit, quo die socii pacem cum Philippo initam iure iurando confirmabant, Elaphebolionis die XXIII. Aesch. in Ctes. p. 64. π. παραπρ. p. 39. Unde consequens est, ut omnia ea, quae modo enarravimus, usque ad Piraeensem illam concionem, uno sint eodemque anno facta, id est Olymp. CVIII anno secundo, cuius archon epon. Themistocles fuit. Eodemque archonte Dionys. Hal. (epist. ad Amm. §. 11), cuius auctoritas aeque ac Philochori valet, quippe quem in his ubique ante oculos habuisse videatur, pacem Philippo cum Atheniensibus compositam esse refert.

Ut vero omnis ea de re dubitatio profligetur, unum alterumve adhuc liceat temporis afferre indicium. — Demosthenes, quum cum altera legatione in Macedoniam esset profectus, promisisse illic sibi Philippum refert, captivos Athenienses, quibus redimendis summam Demosthenes in legatione illa operam dabat, velle se ad Panathenaea Athenas remittere. Dem. π. παραπρ. p. 394. Quamvis in his Demosthenes non accurate expresserit, Panathenaea magna es-

sent an parva, id tamen inde consequens est, non potuisse nisi anno superiori exeunte eiusmodi promissum a Philippo esse factum, quum festum illud mense Hecatombaeone celebraretur. V. Corsini F. A. P. II, p. 357. Böckh. Oeconom. civ. Ath. Vol. II, p. 165 sqq. Exacerbatos autem tristi Phocensium clade Athenienses nec theoros ad ludos Pythicos, nec legatos ad Amphictyones misisse Demosthenes dicit *π. παραπρ.* p. 380. Pythici ludi autem quum tertio quoque Olympico anno celebrarentur, non possunt illa, quae sortem hanc Phocensium praecesserunt, in alium annum conferri, nisi in Olymp. CVIII secundum, unde etiam Panathenaea illa magna esse, manifestum est.

In tanta vero temporum conspiratione et constantia quid iudicandum est de decretis illis, Demosthenis de maturanda legatorum profectione (de cor. p. 235), Callisthenis de excubiis fugaque ex agris capessenda (ibid. p. 238); quid de ea, quam prae se ferunt, temporis nota? Nam ut taceam de archonte Mnesiphilo, utrique praefixo, illud Hecatombaeonis XXX, alterum Maemacterionis XXI latum fertur. — Corsinus (F. A. diss III, c. 13 et 17), eo quem proposuimus ordine rerum perspecto, nodum facillime dirimit, quum in utroque decreto mensium nomina dierumque numeros expungenda censeat esse, inque illo (p. 235) aut *Μουνυχιῶνος τρίτῃ*, si eo legati iam pridem electi abire iussi sint, aut si ad legatorum creationem spectet, *Ἐλαφηβολιῶνος ἐννάτῃ φθίνοντος*, in Callisthenis autem decreto *Σκιροφοριῶνος τετράδι φθίνοντος* rescribendum proponat. Nos vero in priori, Demosthenis, decreto nonnisi *Μουνυχιῶνος τρίτῃ* reponendum esse supra docuimus; in quo tamen dubium reliquimus, anne ipse Demosthenes de industria iustum tempus depravarit. Quod tamen ad Callisthenis decretum attinet, in eo rectene Corsinus, cui adsentitur Taylorus (not. ad or. de cor. p. 235), mensem

diemque mutandum censuerit, omnino addubitandum est. Quod enim utrique statuerunt, decretum hoc de σκευαγωγίᾳ eodem die, quo Dercylus, Chalcide veniens, congregatis in Piraeo Atheniensibus nuncium de prodita a Philippo Phocensium salute attulerit, i. e. Scirophorionis XXVII latum esse, id adhuc valde potest in dubitationem vocari. Id quod recentissime factum quoque a Weiskio est (de Hyperbole III, p. 18 sqq.), qui in primo quidem decreto Elaphebolionem pro Hecatombaeone subsistuendum esse non dubitat; in altero autem, si oratorius narrandi modus observetur, tempora pro consilio ὑπερβολικῶς vel extrahens vel contrahens, servari lectionem posse opinatur. Hyperbolice enim Phocenses Ol. CVIII, 2 Scirophorionis die XXIII periisse dici, hoc quidem die, quo Phalaecus pactus sibi sit liberum a Philippo discessum; expugnatas tamen Phocensium urbes eversasque demum esse Olymp. CVIII, 3 mense Maemacterione, facto antea Amphictyonum, qui tum extra ordinem congregati essent, decreto; quo demum comperto Athenis fugam illam ex agris decreto Callisthenis iussam esse (p. 20).

Egregia sane sententia et quae ad explicandam temporis in priori decreto depravationem pulcherrime conveniret, si vera rerum conditione satis posset confirmari. Nam sicuti universum illud decretum magis ex memoria conscriptum, et ad praesentem oratoris usum accommodatum supra deprehendere nobis videbamur, ita nunc etiam de industria a Munychione III in Hecatombaeonem ultimum delatum appareret, quo clarius iudices intelligerent, Aeschinem tribus mensibus, Metagitnione, Boedromione, Pyanepsione, in legatione contritis (βραχὺ φροντίσαντες οἱ χρηστοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας. de cor. p. 235), Maemacterione ineunte ex Macedonia reversum fallacibus illis promissis Athenienses decepisse,

continuo vero (μετὰ ταῦτ' εὐθύς, οὐκ εἰς μακρὰν p. 239) Phocensium urbes eversas et ipsos Athenienses Maemacterionis XXI fuga ex agris capta propriae saluti consulere coactos esse. — Itaque, quum tali modo inter utramque Corsini ac Weiskii sententiam animus fluctuet, nos ad rem, qualis fuerit et quo tempore facta, acrius inquirendam nostra ratio cogit. Quod maioris perspicuitatis gratia ita instituemus, ut primum, quid Demosthenes referat, deinde quid adversarius, recenseamus, denique quae ex utriusque enarratione elici possit vera rei conditio, perscrutemur.

Demosthenes igitur quo tempore reversi ex Macedonia Atheniensium legati post pacem a Philippo iure iurando confirmatam in prima concione ad populum de legationis eventu referrent, Philippum advenisse iam ad Thermopylas dicit π. παραπρ. p. 351. Quod cum per se verisimile est, quia summam Philippus operam dabat, ne Atheniensibus, si cunctaretur, consilia sua cognoscendi impediendique copiam faceret, tum ex eo manifestum, quod dum pacem iurabat, Pheris iam in Thessalia erat, et cum exercitu in Phocidem tendebat l. c. p. 390. Concio illa facta est Scirophorionis die XVI (l. c. p. 359), in eaque Philocrates decretum tulit, in quo praeter cetera scriptum quoque erat: Phocenses templum Delphicum Amphictyonibus restituerent, quod qui impedire conati fuerint, armis esse Athenienses adversus eos acturos (l. c. p. 356). Aderant autem, haec quum Athenis decernebantur, Phocensium legati (rectius Phalaeci speculatores), ut, quid ab Atheniensibus exspectari posset, mature cognoscerent. Ab his igitur de decreto isto certior factus Phalaecus, Athenienses cum Philippo conspirare ratus, sponte se suosque Philippo dedidit, cum eoque pactus est, ut traditis in potestatem Philippi Phocidis urbibus ipsi suis cum militibus impuni

abire liceret, l. c. p. 357 sq. 361.*) Id pactum, per quod bello Phocensi finis impositus est, accidit Scirophorionis die XXIII, l. c. p. 359. Argumentum Demosthenes his verbis affert: *τῇ τετράδι φθίνοντος ἐκκλησιάζετε μὲν τόθ' ὑμεῖς ἐν Πειραιεῖ περὶ τῶν ἐν τοῖς νεωρίοις· ἧκε δὲ Δερκύλος ἐκ Χαλκίδος, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν, ὅτι πάντα τὰ πράγματ' ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος, καὶ πέμπτην εἶναι ταύτην ἡμέραν ἐλογίζετ' ἀφ' οὗ γεγόνασιν αἱ σπονδαί* (p. 360). Hoc autem nuncio accepto cognitaque fraude Philippi Athenienses adeo indignatos esse perterritosque, ut de belli apparatibus illico cogitarent, alio loco Demosthenes tradit. Refert enim (p. 378 sqq.), postquam decem illi legati iuris iurandi causa ad Philippum missi Athenasque reversi populum falsis promissis decepissent, nempe Philippum ad Themopylas traiecisse, non ad parandum Phocensibus interitum sed Thebanorum insolentiam puniturum, novos a populo legatos electos esse, nimirum qui Philippo decretum illud Philocratis traderent, cum eoque accuratius de Phocensium fortuna colloquerentur, (cf. Argmt. II ad or. Dem. *π. παραπρ.* p. 337). Inter hos ipsum se narrat creatum esse et Aeschinem; se vero eiurasse legationem, Aeschinem aegrotum se simulasse, et fratrem sui loco proposuisse. Haec legatio quum Athenis abiisset, quinque aut sex diebus post intervenisse pactum illud Phalaeci, quo diiudicata sit misera Phocensium sors; statimque Dercylum, legatorum unum, Chalcide reducem Atheniensibus in Piraeo

*) Demosthenes cum Philippo pactos Phocenses dicit, Phalaecum consulto praeteriens. Hic enim ex pacto in Peloponnesum cum exercitu discessit. Non potuit igitur cum Philippo propterea pacisci, quod vanis Aeschinis promissis imprudenter confisus esset; id quod contendit Demosthenes, ut eo maxime adversarii demonstret perfidiam. V. *π. παραπρ.* p. 358.

congregatis nunciasse, quali modo de Phocensibus actum esset; *) deinde sic pergit: *καὶ ὑμεῖς, ὦ α. Ἀθ. ταῦτ' ἀκούσαντες — καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐψηφίζεσθε, καὶ τὰ φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν* (p. 379). Ea de re autem agit decretum Callisthenis, quod in or. de cor., rursus tamen mutilatum, occurrit, quum de festis Herculanis in urbe celebrandis nihil contineat. Itaque secundum Demosthenem Callisthenis decretum manifesto statim post concionem illam Piraeensem latum sit, id est, aut ipso iam Scirophorionis die XXVII, populo praeter ordinem ad novam concionem congregato (*συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν*), aut die aliquo proxime insequenti.

Quibus, ex solo Demosthene petitis, nulla ex parte, quod ad temporis computationem attinet, Aeschines repugnat in or. *π. παραπρ.* p. 40, 45 sq. Dixerit enim fortasse aliquis Demosthenem, quum aperte summa industria eo tendat, ut conflandae Aeschini invidiae causa eum a Philippo corruptum tamdiu Athenienses vanis promissis detinuisse demonstret, donec ille quae cupierit in Phocide peregisset, eodem hic consilio res atque tempora coarctasse. At id si verum esset, tum profecto Aeschines eum falsatorem coarguendum non dereliquisset, quum praesertim eo maxime Demosthenes nitatur argumento, quod de Phocensium fortuna tam repente sit actum. Sed quamquam ipse Demosthenes:

---

*) *ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασι* Demosthenes, hyperbolice. Compererant enim legati solummodo pactum Phalaeci cum Philippo. Ex quo tamen quum Philippo subigendae Phocidis esset potestas facta, Demosthenes ubique ita loquitur, ac si simul cum Philippo pactus Phalaecus sit, et Phocensium excidium consecutum, quod tamen re vera factum est aliquot mensibus post, congregato Amphictyonum concilio.

περὶ [τῶν χρόνων] δ' ἄν τις ἀντιλέγῃ τούτων, ait, *ἀναστὰς ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι εἰπάτω*, nihil tamen Aeschines ad computationem illam respondet, et etiamsi dicat: *καὶ λογισμόν τινα ἡμερῶν συνηριθμεῖτο πρὸς ὑμᾶς, ἐν αἷς ἐγὼ μὲν ἀπήγγελλον τὴν πρεσβείαν, οἱ δὲ Φαλαίκου τοῦ Φωκέων τυράννου δρομοκήρυκες τἀνθένδε ἐκεῖσε διήγγελλον, πιστεύσαντες δὲ οἱ Φωκεῖς ἐμοὶ εἴσω Πυλῶν αὐτὸν παρεδέξαντο, καὶ τὰς πόλεις τὰς αὑτῶν παρέδοσαν* (p. 45), tali argumento addit Demosthenem ut calumniatorem niti, longe alia autem ratione, fortuna scilicet et belli decennalis diuturnitate, Phocenses perditos esse.

Itaque Aeschines non repugnat Demostheni; immo vero confirmat res a Demosthene relatas, quod ad ordinem chronologicum attinet. Demosthenes enim postquam Aeschinem, quum vix ex altera ad Philippum legatione Athenas redux tertio ad eum legatus a populo esset creatus, valetudine simulata rogasse senatum retulerat, ut sui loco fratrem cum ceteris ad regem legaret (*π. παραπρ.* p. 379), addit (ibid. p. 380): legatis his medio itinere, quippe audito iam Phalaeci pacto, per quod Phocenses perditi sunt, Athenas reversis, illico Aeschinem sanum iam et nulla sibi a populo legatione demandata ad Philippum se contulisse, ut in medio Thebanorum et Macedonum exercitu reportatam de Phocensibus victoriam celebraret, pravitatisque suae praemia merita adipisceretur. Ad hoc opprobrium Aeschines respondet *π. παραπρ.* p. 40 f. Infirma iam valetudine, ait, reversum se esse ex priore illa, iuris iurandi nempe exigendi causa missa legatione, nihilominus tamen magna cum alacritate eam renunciasse. Mox ad Amphictyones legatus quum esset electus,*) non eiurasse legationem, sed

*) *αἱρεθεὶς πρεσβευτὴς ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτύονας.* Demo-

obiturum se promisisse, si ullo modo potuisset. Cum autem collegae eius Phocensium rerum conversione audita inopinato revertissent (*πυθόμενοι τὰ περὶ τοὺς Φωκέας συμβάντα ἀνέστρεψαν.* p. 40 f.), concione facta praesentem iam et corpore confirmato, cum populus nihilominus omnes, qui primum creati essent, ad obeundam legationem adigeret,*) inanem praetextum commentiri se iam noluisse. Quibus egregie confirmat tertiam illam ad Philippum seu ad Amphictyones legationem missam esse, quum legati iuris iurandi exigendi causa ad Philippum missi vix essent ex itinere reversi; tum legatio haec quum medio adhuc esset itinere, pactum Phalaeci cum Philippo consecutum esse; porro eam ex improviso Athenas reversam continuo rursus esse ad Amphictyonum concilium legatam, denique, quum ibidem (p. 46 m.) Athenienses impedimenta ex agris

---

sthenes contra: *ἐπειδὴ γὰρ ἀπεστέλλετ' αὖθις αὖ τὸ τρίτον τοὺς πρέσβεις ὡς τὸν Φίλιππον, ἐπὶ ταῖς καλαῖς καὶ μεγάλαις ἐλπίσι ταύταις, αἷς οὗτος [ὁ Αἰσχίνης] ὑπέσχητο* (*π. παραπρ.* p. 378). Accuratius fortasse et verius Aeschines. Etenim legatio haec Atheniensium tertia pertulisse psephisma illud Philocratis videtur, quo populus Philippum, ratus communi eum Amphictyonum concilio belli sacri componendi reservata Phocensium salute potestatem esse facturum, collaudavit, Phocensesque templum Delphicum Amphictyonibus restituere iussit, reliqua sperans Philippum Thebanorum detrimento exsecuturum esse.

*) *προςαναγκάζοντος τοῦ δήμου μηδὲν ἧττον πρεσβεύειν ἡμᾶς τοὺς ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντας ἅπαντας. π. παραπρ.* p. 40 f. Legatos affert Aeschines l. c. p. 46 se, Stephanum et Dercylum; unde Dercylum eum, qui confestim ex itinere reversus Scirophorionis die XXVII Athenas nuncium de pacto Philippum inter et Phalaecum facto attulisse a Demosthene dicitur (*π. παραπρ.* p. 359), legationis illius tertio ad Philippum missae fuisse participem liquet.

convexisse referat, quo tempore ipse tertiam illam, ad Amphictyonum concilium legationem obiret, et ante suum, Stephani, atque Dercyli ceterorumque legatorum, qui ad Amphictyones missi essent, adventum, Phalaecum ex pacto dimissum esse; nonne inter breve temporis spatium reversam ex Macedonia legationem, foedus cum Phalaeco ictum, et decretum Callisthenis de σκευαγωγίᾳ factum esse testatur?

Quod igitur reliquum est, ea iam, in quibus expositae modo utriusque oratoris enarrationes certissime conveniant, in pauca conferentes proponamus: Itaque Scirophorionis XVI Athenienses rati Philippum salvis Phocensibus in communi Amphictyonum conventu turbas Amphictyonicas iure compositurum esse, decernunt, Phocenses ut templum Delphicum Amphictyonibus restituant, simulque legatos mittunt, de iusta belli sacri componendi ratione coram Amphictyonibus acturos. Hi per Euboeam ad Philippum tendunt, cum Thessalis ad Thermopylas versantem, quas adhuc praecludebant Phocenses.*) Chalcide vero certiores fiunt de pacto Phalaeci, qui traditis in potestatem Philippi Thermopylis et Phocidis urbibus in Peloponnesum discesserit. Interrupto igitur itinere Athenas revertuntur, et Scirophorionis XXVII Dercylus inopinatam rerum conversionem Atheniensibus in Piraeo congregatis renunciat. Haec ita constant, ut

*) Eodem ipso tempore adfuisse apud Philippum Phocensium quoque et Thebanorum legatos, coniici potest ex Demosth. or. Phil. III, p. 113 et Aesch. π. παραπρ. p. 46 f. Posteriori loco Aeschines quum ante suum, Stephani Dercylique et ceterorum Amphictyonum adventum Phalaecum ex pacto discessisse dicat, innuere videtur, constitutum iam antea fuisse, ut rato tempore, et salvis adhuc Phocensibus Amphictyones convenirent, de bello sacro iure componendo acturi.

nihil habeant dubitationis. Num vero nuncio hoc accepto Athenienses de apparatibus bellicis, fugaque ex agris capessenda continuo cogitarint, id adhuc possit in dubitationem vocari. Cogitarunt certo, si statim post pactum illud Phalaeci Philippus Thebanorum Thessalorumque votis obsequens Pylis traiectis in Phocidem proficiscebatur, ut urbes in potestatem suam redigeret, id quod contendit Demosthenes, quum dicat: *ἧκε δὲ Δερκύλος ἐκ Χαλκίδος, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν, ὅτι πάντα τὰ πράγματ' ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος, π. παραπρ.* p. 360; innuitque ipse etiam Aeschines, quum reversos legatos itinere dicat *πυθομένους τὰ περὶ τοὺς Φωκέας συμβάντα,* ibid. p. 40 f. Veruntamen id ambiguum in praesentia relinquentes ad ea potius tendimus, quae magis explorata sunt. Atque primum nuncio illo accepto nihil non fecisse Athenienses, per se consentaneum est. Quam ob rem id certissime constat, legatos illos, interrupto itinere Athenas reversos, rursus esse ad obeundam legationem adactos, id quod Aeschines testatur (l. c. p. 46), et Demosthenes, quum statim post inopinatam illam rerum conversionem ad Philippum contulisse se Aeschinem dicat (l. c. p. 380). In his enim legatis abiit iam fratris loco Aeschines ipse restituta interim valetudine (Aesch. l. c.). Hanc legationem Aeschines variis locis *τὴν ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτύονας πρεσβείαν* (l. c. p. 40 f.), *τὴν τρίτην ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτ. πρ.* p. 47 in. et *τὴν τρίτην ἐπὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἀμφικτυόνων* p. 46 f.*), atque (*π. παραπρ.* p. 50 init.) ducentos secum ex universa Graecia legatos adfuisse testatur. Manifesto igitur Aeschines hanc legationem obiens communi illi Amphictyonum concilio interfuit, quod post pactum Phalaeci Phocensibusque in potestatem suam redactis convocasse Philippum Diodorus

---

*) *τρίτην.* Duas enim antea ad Philippum obierat.

(XVI, 59) refert, ut de sacrilegii poena iudicaret, et a quo factum est decretum illud Phocensibus exitiosum, quod idem affert (XVI, 60). Idque clarissime ipse etiam Aeschines docet, quum advenisse Phocensium legatos opem sibi in causa de legatione male gesta laturos dicat, *οὓς ἐγὼ τὴν τρίτην πρεσβείαν ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτύονας πρεσβεύων ἔσωσα Οἰταίων ἐγχειρούντων λέγειν ὡς δεῖ τοὺς ἡβῶντας ὠθεῖν κατὰ τοῦ κρημνοῦ, καὶ παρήγαγον εἰς τοὺς Ἀμφικτύονας ὥστε ἀπολογίας τυχεῖν.* l. c. p. 47 init. Quum autem Aeschines brevi tempore post Phalaeci pactum nunciumque ea de re Athenas allatum legatus Athenis abierit, Amphictyonum illud concilium consedisse patet mense Metagitnione aut Boedromione, certe ineunte anno tertio Olymp. CVIII. Itaque nunc iam quaeritur, anne tum demum Athenienses fugam ex agris capessendam decreverint, quum ex decreto Amphictyonum Philippus diruere Phocidis urbes coepisset, et decretum igitur Callisthenis re vera mense demum Maemacterione latum sit. — Aeschines Athenienses convexisse impedimenta ex agris dicit, quum ipse iam legationem illam ad communem Amphictyonum conventum obiret, (*ἐσκευαγώγησαν ἐκ τῶν ἀγρῶν Ἀθηναῖοι πρεσβεύοντος ἐμοῦ τὴν τρίτην ἤδη πρεσβείαν ἐπὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἀμφικτ.* l. c. p. 46 m.); Demosthenes statim Aeschinem, postquam Dercylus nuncium illum de inopinata rerum conversione Athenas attulisset, perturbatique Athenienses fugam ex agris capesserent, ad Philippum properasse contendit, Thebanisque modo Phocide potitis in medium eorum exercitum mediasque Thebas esse profectum, et quum ad Philippum advenisset, *τἀπινίκια τῶν πραγμάτων καὶ τοῦ πολέμου, ἃ Θηβαῖοι καὶ Φίλιππος ἔθυον*, celebrasse (*π. παραπρ.* p. 380), quae quodammodo Aeschines ipse confirmat p. 50 init. Quibus omnibus utrique oratores haud ambigue indicare videntur, concilium illud Amphictyonicum occupata

iam Phocide Delphis habitum esse. Immo Demosthenes (l. c.) de Aeschine: εἱστιᾶτο ἐλθών, ait, καὶ σπονδῶν μετεῖχε καὶ εὐχῶν, ἃς ἐπὶ τοῖς τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων τείχεσι καὶ χώρᾳ καὶ ὅπλοις ἀπολωλόσιν εὔχετο ἐκεῖνος, ac si tum iam decretum illud Amphictyonicum de Phocensium excidio factum esset; nulla alia, ut videtur, de causa, quam ex qua Phocenses statim post pactum Phalaeci perditos eorumque urbes eversas esse dicit. Verum etiam haec cum vere factis quodammodo congruere possent, si statim post pactum Phalaeci et ante Amphictyonum conventum Phocidem occupasset Philippus, eaque perfecisset, quae continet eius ad Athenienses epistola, ad quam iam convertimur.

Etenim nuncio accepto, Athenienses in bello apparando occupari, Philippus eis epistolam mittit eam, quam recitari iubet Demosthenes de cor. p. 238. In ea Atheniensibus nunciat, traiecisse se Pylas et Phocidem subegisse, in urbibus, quae sponte deditionem fecissent, praesidia locasse, alias, quae imperio non paruissent, vi cepisse, incolisque in servitutem redactis solo aequasse. Iam ista Phocidis occupatio quaeritur, utrum statim post pactum Phalaeci cum Philippo acciderit, an convocato demum Amphictyonum concilio factoque eorum decreto, Phocensibus exitioso? Posterius Weiskius opinatur. At primum Philippus ipsas Thermopylas pacto Phalaeci occupavit ideoque mense iam Scirophorione traiecit; tum ex illo Amphictyonum decreto Abis exceptis omnes Phocensium urbes devastandae erant (v. ll. cc. cap. h. nr. 1 extr.). Praeterea Demosthenes in or. π. παραπρ. haud ambigue occupatam post pactum Phalaeci Phocidem pluries indicat, in eo tantummodo a Philippi epistola dissentiens, quod neque vi nec per obsidionem subactam Phocidem dicit, quippe qui ubique monstrare studeat, Phocenses Philippum ad coercendos Theba-

nos in Graeciam descendisse ratos, quod iactaverint Aeschines atque Philocrates, sine ulla suspicione Philippo se commisisse. Sic p. 360: *ἔτι τοίνυν τὸ μηδεμίαν τῶν πόλεων τῶν ἐν Φωκεῦσιν ἁλῶναι πολιορκίᾳ, ἀλλ' ἐκ τοῦ σπείσασθαι πάντας ἄρδην ἀπολέσθαι, μέγιστόν ἐστι σημεῖον τοῦ διὰ τούτους πεισθέντας αὐτούς, ὡς ὑπὸ τοῦ Φιλίππου σωθήσονται, ταῦτα παθεῖν,* et p. 358 sqq.: *καὶ γάρ τοι παραδόντες αὐτοὺς Φιλίππῳ καὶ ἑκόντες ἐγχειρίσαντες ἐκείνῳ τὰς πόλεις ἁπάντων τῶν ἐναντίων, ὧν πρὸς ὑμᾶς οὗτος ἀπήγγειλεν, ἔτυχον.* Cf. p. 365, 379, 380. Clarius dicta Demosthenis explicat Aeschines: *πιστεύσαντες δὲ οἱ Φωκεῖς ἐμοὶ εἴσω Πυλῶν αὐτὸν παρεδέξαντο, καὶ τὰς πόλεις τὰς αὐτῶν παρέδοσαν. π. παραπρ.* p. 46. Sed ipse etiam: *ὡς γὰρ τάχιστα εἴσω Πυλῶν ὁ Φίλιππος παρῆλθε, καὶ τὰς μὲν ἐν Φωκεῦσι πόλεις παραδόξως ἀναστάτους ἐποίησε* or. in Ctes. p. 65 in. Denique cum Demosthene conspirans Diodorus (XVI, 59) res post pactum Phalaeci gestas hoc ordine refert: *οἱ δὲ Φωκεῖς συντριβέντες ταῖς ἐλπίσι παρέδωκαν ἑαυτοὺς τῷ Φιλίππῳ. ὁ δὲ βασιλεὺς ἄνευ μάχης ἀνελπίστως καταλύσας τὸν ἱερὸν πόλεμον, συνήδρευε μετὰ τῶν Βοιωτῶν καὶ Θετταλῶν. ἔκρινεν οὖν συγκατάγειν τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων συνέδριον, καὶ τούτῳ τὴν περὶ τῶν ὅλων διάγνωσιν ἐπιτρέψαι.*

Philippus igitur Scirophorionis XXIII cum Phalaeco pactus continuo Thessalorum Thebanorumque votis obsequens (Aesch. *π. παραπρ.* p. 46 f.) Phocidem occupavit, scilicet ne mora Phocensibus resistendi, Atheniensibus opem ferendi facultatem praeberet, utque delato ante communem Amphictyonum conventum ad Thebanos et Thessalos omnium rerum arbitrio, ipse eo certius in Amphictyones recipi posset. Occupanti tamen restiterunt aliquot urbes. Non enim totius populi consensu, sed solus Phalaecus propriaeque salutis gratia urbes pacto tradiderat. Resistentes igitur Philippus vi cepit, delevitque, aliis praesidia

imposuit, quae continerent terram, donec convocatis ab Amphictyonibus de summa rerum et sacrilegii poena iudicaretur.

Quae si ita se habuerunt, non quod ex decreto Amphictyonum Philippus urbes diruere coeperat, Athenienses σκευαγωγίαν decreverunt, sed quod pacto Phalaeci comperto quum eius discessu totam Phocidem desertam viderent, mala fraude circumventos se esse experti sunt, et ne Philippus occupata Phocide cum Thebanis iunctus continuo Atticam peteret, metuebant, denique quod sua ista intercessione Phocenses servari adhuc posse arbitrabantur.

His igitur explicatis, reliquum iam est, ut res, postremo loco excussae, eo ordine proponantur, qui ex cognita modo temporum ratione necessario prodit:

Archonte Themistocle, Olymp. CVIII, 2, Scirophorionis XXIII Phalaecus cum Philippo paciscitur.

Scirophorionis XXVII congregatis in Piraeo ad concionem Atheniensibus Dercylus, interrupta legatione Athenas reversus, de pacto Phalaeci Philippique in Phocidem profectione nuncium affert.

Quo perterriti Athenienses eiusdem mensis die XXVII, XXVIII, XXIX seu XXX fugam ex agris ex Callisthenis psephismate decernunt. Eodem anno enim latum decretum hoc esse certissime confirmari iam potest archonte Mnesiphilo, qui Demosthenis illi atque huic Callisthenis decreto praefixus est, et sive Eponymus sit, seu ex ceteris archontibus aliquis, ad duos tamen annos certe referri non potest, id quod Weiskius fecit. Interea Philippus traiecto post Phalaeci discessum per Thermopylas exercitu*) Phocidem oc-

*) Demosthenes de cor. p. 237 Aeschinem perfunctum altera ad Philippum legatione renunciasse Atheniensibus

cupat, urbes, quae resistere ausae sint, vi continuo capit (epist. Philippi de cor. p. 238).

Olymp. CVIII a. 3 ineunte, suscepto Athenis ab Archia Eponymi archontatu, Philippus, occupatis iam Phocensium urbibus, de Atheniensium apparatibus bellicis certior factus epistolam Athenas mittit eam, quae exstat in or. de cor. p. 238. Simul Amphictyonum concilium de Phocensium fortuna deliberaturum Delphos convocat, ad quod Aeschines cum Stephano et Dercylo Athenis legatus abit. Amphictyones secundo vel tertio anni mense, quippe praeter ordinem (Diod. S. XVI, 59), congregantur, in eorumque conventu exitiosum illud decretum fit de Phocensibus ex Amphictyonum numero eiiciendis, de diruendis eorum urbibus, conferendoque in Philippum Amphictyonici iuris consortio et principe in ludis Pythicis loco. Philippus tum decreta Amphictyonum in Phocenses exsequitur, et in Macedoniam redit. Diod. l. c. 60. Rebus iam ita compositis eiusdem anni Munychione Pythici ludi celebrantur, a quibus Athenienses misera Phocensium sorte exacerbati prorsus abstinent. Dem. π. παραπρ. p. 380.

4. Ea vero si iusta rerum fuit temporumque series, quum iam non in Demosthenis solo, sed in utroque, Demosthenis et Callisthenis, decreto mensium nomina dierumque numeros depravatos esse statuendum sit, alia iam depravationis via ac ratio quaerenda erit, ac quam supra indicavimus. In qua tam spinosa materia nullam prope fateor meliorem reperiri posse

---

refert: ὡς οὐ δεῖ θορυβεῖσθαι τῷ παρεληλυθέναι Φίλιππον εἴσω Πυλῶν, ac si simul quum legati Athenienses Athenas ex Macedonia redierint, Philippus iam Thermopylas occupasset.

rationem, quam quae a Tayloro not. ad or. de cor. p. 235 tentata iam est, quamquam ab aliis saepius nec immerito deinde explosa. Atque id Taylori primum certissimum videtur esse, nec casu, nec exemplarium vitiis, sed consilio factum esse, ut tam discrepans temporum dissensio in tabulis istis exstiterit. Praeter menses enim dierum etiam numeri ab iis prorsus abhorrent, qui pro illa factorum ratione consignati esse deberent. Nam Demosthenis decretum Munychionis III latum est, Callisthenis, extremis Scirophorionis diebus. Quonam igitur casu depravationem tantam exstitisse conieceris? Pergit Taylorus in discrepantiarum harum explicatione hoc modo: comparat utrosque secum calculos, atque inde contendit, posteriorem feliciter satis et consulto esse subductum, ita ut simile paene temporis spatium intercedat inter decretum de constituendis legatis et illud de vigiliis habendis, quale iuxta historiam intercedere necesse fuerit, quemcumque calculum inieris, i. e. sive id fiat iuxta eum, quem ex oratorum verbis elicimus, seu, quem decretorum verba repraesentant. In superiori enim calculo excitantur legati ad proficiscendum Munychionis die III. Proficiscuntur, spatioque ultra bimestri in itinere trito, Scirophorione mense Athenas redeunt. Et paullo post eorum reditum narratur Athenis clades Phocensium, nempe Scirophorionis die XXVII. Quod intervallum esse dierum circiter LXXXIII. Iam autem si iuxta alterum computum numeres, scil. ab Hecatombaeonis die ultimo ad Maemacterionis diem XXI, dies iterum esse LXXX, levissima, vel potius nulla differentia. Utrinque igitur accuratius convenire rationes opinatur Taylorus, quam in tali re fas erat exspectare. Id igitur quum teneat, simile fere dierum spatium ex utroque calculo prodire, illam mensium discrepantiam fastorum mutatione explicari posse censet. Fieri enim potuisse, ait, ut

verna ἰσημερία, quae apud priscos Athenienses in Elaphebolionem incidebat, iam novo fastorum ordine introducto iuxta Hecatombaeonem caderet, praesertim quum nostra Demosthenis editio ex duplici ἀρχαίᾳ atque δημώδει, quam Ulpianus vocat, conflata sit (qua de re v. quae disserit ad Dem. de cor. p. 229 et in praefat. ad Midianam). Verum opinio haec a multis explosa iam profligataque est. Fecit enim computationem suam Taylorus ad eum mensium ordinem, quem Petavius exhibuit, neque, ut a Weiskio (l. c. p. 19) recte monitum est, animadvertit, id quod a Buttmanno (ap. Ideler. histor. Untersuchung. über d. astronom. Beobachtungen der A. p. 383 sqq.) demonstratum est, Maemacterionem Pyanepsione priorem, nec quartum esse anni mensem, sed quintum. Cf Ideler. Enchirid. Chronol. Vol. I. p. 275 sqq. Böckh. in Thesaur. Inscriptt. Att. nr. 71. Isque non una sola aetate, sed per omnia tempora legitimus ordo fuisse videtur, ut Periclea aetate (Böckh. l. c. nr. 71) et aetate imperatorum (ibid. nr. 270, 276). Accedit, quod Tayloriana ista fastorum mutatio, ex qua Hecatombaeo in Munychionis locum translatus esset, nec quo tempore, nec an omnino unquam acciderit, demonstrari potest. Mutationem fastorum Atticorum intercessisse, quo tempore propagata per Graeciam religione Christiana Graecae gentes ita fastos instituerent, ut cum Romanorum Iulianis quadrarent, Buttmannus docet (ap. Ideler. histor. Unters. p. 405. cf. 385) ex Epiphanio et menologio msto, typis exarato in appendice ad H. Steph. Thes. Gr. l. col. 225, et post eum Ideler. (Enchirid. Chronol. Vol. I. p. 360 sqq.). Verum ista fastorum mutatione initium anni collatum ab Atheniensibus est a solstitio aestivo in aequinoctium auctumnale, ita ut Hecatombaeo Septembri, Metagitnio responderet Octobri, id quod iure Weiskius contendit, non modo non favere, verum etiam obstare opi-

nioni Taylorianae, ex qua Hecatombaeo Elaphebolionis loco et initium anni in Februario nostro fere medio positum foret.

Veruntamen nondum inde profligari continuo Taylori opinio potest. Epiphanium seculi p. C. n. quarti parte altera floruisse constat. Ea igitur aetate concedendum Buttmanno est Ideleroque mutatam istam fastorum Atticorum rationem obtinuisse. Attamen posteriori aliquo tempore, dixerit quispiam, alium mensium ordinem invaluisse, ex quo pro Tayloriana sententia Hecatombaeo in pristini Elaphebolionis locum cesserit, in Hecatombaeonis prope Maemacterio. Nam in Scholiis, quae Ulpiani vulgo quidem vocantur, sed ea, quam nunc obtinent, conditione, neque ad hominem unum, nec unam ad aetatem referri possunt, in decreto p. 235 voci *Ἑκατομβαιῶνος* adscriptum est *Μαρτίου*. Martio autem ex veteri fastorum Att. ratione respondebat Elaphebolio. Atque simili ratione praeterpropter in plurimis locis decretorum menses cum Romanis collati inveniuntur. Ita voci *Μαιμακτηριῶνος* in decreto p. 238 adscriptum est *Αὐγούστου*; *Ἐλαφηβολιῶνος* p. 243 *Νοεμβρίου*; *Βοηδρομιῶνος* p. 249 *Ἰουνίου*, id quod recurrit etiam p. 250; denique *Μουνυχιῶνος* p. 282 *Ἰανουαρίου*. — Mira sane res explicatuque difficilis, qua mirari subit Taylorum coniecturam suam confirmare non esse conatum. At sensit profecto vir plerumque religiosus caute fiduciam in Scholiis istis esse collocandam, quae sicuti in multis ineptiunt, ita neque hic satis sibi constant. Nam ubi Munychio confertur cum Ianuario (p. 282), ibidem Elaphebolio Februarius dicitur, Thargelio Aprilis, sicuti denique p. 289, Scirophorio Maius, tribus his locis accuratius observata veteri fastorum ratione. Inde vero manifestum id est, duas in conferendis secum mensibus Atticis Romanisque manus elaborasse, posteriorem illam cautioris hominis, eiusdemque fortasse,

qui ad Dem. Olynth. III, p. 29 adnotavit, Maemacterionem mensem hiemalem esse. Altera vero manus eius haud dubie homunculi est, qui plerumque in Scholiis istis alucinatur.

Ego vero ista uberius persecutus sum, ne quid, unde depravationis explicatio peti possit, praetermisisse insimuler. Ceterum ipsi mihi, Ulpiani istis memorabilibus non tantum tribuenti, aliud, fortasse probabilius, in opinionem venerat. Potuisse enim suspicabar aliquem temporum iustae rationis non accurate gnarum verbis decreti I ὅπως ἂν ἡ εἰρήνη ἐπιτελεσθῇ ἡ ἐπιχειροτονηθεῖσα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ in falsam eiusmodi opinionem delabi, ut concionem illam anni fuisse primam crederet, eoque deceptus in hoc primo, alteroque decreto, Callisthenis, pro sua rerum cognitione tempora emendanda esse statueret. Quem tamen praeter unum illum errorem in duplici alia opinione erranea versatum statuendum est: altera, undecimum, vicesimum ac tricesimum mensis diem comitialem fuisse, quam ipse tenet Ulpianus (v. Schöm. de comit. p. 43), altera olim etiam vulgari, Maemacterionem mensem Pyanepsione priorem esse. Quod si statuatur, optime iam nunc conveniet Taylorianus ille calculus, quem supra exposuimus. Etenim inter diem III Munychionis et XXVII Scirophorionis dies intersunt LXXXIII; inter Hecatombaeonis ultimum et Maemacterionis XXI spatium dierum est LXXXI, minimo sane, vel potius in tali rerum conditione nullo discrimine.

Antequam tamen disputationem hanc absolvamus, redeundum adhuc erit ad πρώτην illam ἐκκλησίαν, quae de decreto I magnam eam nobis dubitationem excitavit, utrum re vera ex monumentis publicis desumptum, an a Demosthene ex memoria sit conscriptum. Qua de re nunc iam nihil aliud statuendum erit, quam Demosthenem, quum Munychionis III decretum

illud de maturanda legatorum profectione conscriberet, non accurate duas illas de pace conciones distinxisse, quum utraeque deinceps Elaphebol. XVIII et XIX factae sint, et posterior prioris nonnisi supplementum fuerit.

Caput quartum.

Rerum inter pacem Philippo cum Atheniensibus compositam gestarum tum vera illustratur conditio, tum accurate constituuntur tempora. Itaque hoc cap. agitur: de Thraciae castellis inter ipsam pacis pactionem a Philippo surreptis; de Haloneso a Philippo occupata, devastataque Peparetho; de Pythone, quem a Philippo legatum ad Athenienses missum refutavit Demosthenes; de insidiis Megarensium civitati a Philippo structis; de legatione ab Atheniensibus auctore Demosthene ad Peloponnesiacas civitates missa; de tentata a Philippo libertate Euboeae, et expulsis insula tyrannis, quos Philippus constituerat; de Atheniensium expeditione Byzantia, et Byzantiorum Perinthiorumque decreto in gratiam huius beneficii lato; de interceptis a Philippo Atheniensium navigiis; de Chersonesitarum decreto; de mutata per Demosthenem Athenis re trierarchica.

Philippus quum composito bello sacro in Amphictyones receptus et Thermopylarum angustiis esset potitus (v. ll. cap. II, nr. 6 extr. cc.), magnamque Graecarum civitatium partem sibi applicasset, eo iam erat provectus, ut et ipse principatum Graeciae mox assecuturum se esse speraret, et apud plerosque summus rerum arbiter aequissimusque iudicaretur. Eum igitur iam iter Phocense parantem Isocrates oratione ea, quae ad Philippum inscripta est, compellebat, ut bellum ex Graecia in Asiam adversus Persas transferret, quippe quod Graeciae intestinis motibus ubique convulsae nullum ei salutarius remedium videretur. Sed id quominus Philippus Phocensibus etiam rebus feliciter perfunctus statim perficeret, multa adversabantur. Obstabant in primis Athenienses, pace primum turpiter composita male contenti, tum de excisis Phocensibus erectaque Thebanorum fortuna

acerbe indignati; obstabant in Peloponneso Lacedaemonii, ad pristinam auctoritatem adspirantes ipsique Philippo propter Phocensium cladem succensentes; obstabat denique reliquarum etiam civitatium conditio, intestinis turbis, maxime optimatium populariumque certaminibus agitata. Has igitur turbas primis statim post Phocense excidium annis componere, et quum ipsae singularum civitatium factiones eius gratiam quaererent, auxiliaque implorarent, hic oppressis succurrere, illic eorum adiuvare molimina conabatur, quos consilia sua optime agitaturos esse sperabat, id agens ubique, ut per universam Graeciam suam auctoritatem stabiliret. Inde in Peloponnesum ingredi, ut Arcadibus, Argivis, Messeniis adversus Lacedaemonios opem ferret, Megaris optimatium studia adiuvare, in Euboea tyrannos instituere moliebatur. Quibus inceptis Athenienses, instigante in primis Demosthene, totius Graeciae libertati insidias parare, suamque ipsorum salutem in discrimen vocare Philippum criminabantur. Ad communes illas causas accedebant apud eos propria indignationis momenta: occupata inter ipsam pacis pactionem Thraciae castella, et insula Halonesus, quam pace iam iure iurando confirmata Philippus eis abripuit. Quam ob rem legationibus in Graeciam maximeque in Peloponnesum missis civitates a Philippi studiis avocare et ad bellum ei communiter inferendum excitare conabantur. Philippus contra missis saepius Athenas legatis causam suam probare volebat, utque controversias iure secum componerent, Athenienses provocabat. Sed talia Athenis explosa magis sunt, quam audita. Olymp. igitur CIX, 4 tandem Demosthenes assecutus est, ut missa in Euboeam expeditione Oreum Eretriamque Athenienses a tyrannis liberarent, qui Philippi auxilio summa rerum potiti erant. Eodem anno quum Philippus impressione in Hellesponti regiones facta Perinthios Byzan-

tiosque obsidere coepisset, Athenienses obsessis opitulantes bellum, quod per universum pacis spatium gliscebat, tandem redintegrarunt. Hae sunt res, de quibus nobis ex ordine dicendum erit.

1. p. 248. *Σέῤῥιον δὲ καὶ Δορίσκον — καὶ ὅσα ἄλλα ἡ πόλις ἠδίκητο —.* p. 234. *ἵν' ἐχόντων τῶν Θρακῶν, τῶν ὑμετέρων συμμάχων, τὰ χωρία ταῦθ' ἃ νῦν οὗτος διέσυρε, τὸ Σέῤῥιον καὶ τὸ Μύρτιον καὶ τὴν Ἐργίσκην, οὕτω γίγνοινθ' οἱ ὅρκοι, καὶ μὴ προλαβὼν ἐκεῖνος τοὺς ἐπικαίρους τῶν τόπων κύριος τῆς Θρᾴκης κατασταίη.* p. 236. — *ὤμοσε τὴν εἰρήνην ὁ Φίλιππος, προλαβὼν τὴν Θρᾴκην διὰ τούτους, τοὺς οὐχὶ πεισθέντας τῷ ἐμῷ ψηφίσματι.*

Iniuriarum agmen, quibus Philippum in ipso pacis factae initio violasse iam eam Demosthenes clamat, praeeunt eae, quas occupatis Thraciae castellis perpetrasse Philippum accusat, quotiescunque in orationibus eo tendit, ut fraudulentum eum et nefariae indolis hominem esse demonstret. Per maritimam Thraciae oram sita erant castella quaedam, quae cum ll. supra cc., tum alibi a Demosthene et ab Aeschine Doriscus, Serrhion (utrumque memoratum iam in Xerxis expeditione ap. Herod. VII, 59, 108), Myrtium sive Myrtanum, Ergisce, Hieronoros, Murgisce, Ganos — Thraciae maximam partem voces — nominantur. Thraces ea possidebant (de cor. p, 234), hoc est Cersobleptes, Thracum rex regionis maritimae, ad Chersonesum proxime sitae, quocum Philippus antea iam inimicitias gesserat *), Athenienses vero societatem habebant, ex quo Ol. CV, 3 Chersonesum pacto eis con-

*) Filium enim eius obsidem apud Philippum vidisse legatos Athenienses, pacis ineundae causa in Macedoniam missos, Aesch. refert *π. παραπρ.* p. 38 f.

cesserat (v. cap. h. nr. 9). Itaque quum alienae ditionis essent, ne ipsa quidem eorum nomina satis nota Athenis erant. Quam ob rem Aeschines de Demosthene: *οὗτός ἐστιν, ὦ Ἀϑ., ait, ὁ πρῶτος ἐξευρὼν Σέῤῥιον τεῖχος καὶ Δορίσκον καὶ Ἐργίσκην καὶ Μουργίσκην καὶ Γάνος καὶ Γανίδα, χωρία, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα ᾔδειμεν πρότερον* (in Ctes. p. 65 m.), ad quem locum Demosthenes respicit de cor. p. 234. Ipse etiam Demosthenes: *ὁρᾶτε Σέῤῥιον καὶ Δορίσκον· ταῦτα γὰρ πρῶτον ὠλιγωρήϑη μετὰ τὴν εἰρήνην, ἃ πολλοῖς ὑμῶν οὐδὲ γνώριμά ἐστιν· ἴσως ταῦτα μέντοι ἐαϑέντα καὶ παροφϑέντα ἀπώλεσε Θρᾴκην καὶ Κερσοβλέπτην σύμμαχον ὄντα ὑμῶν* (Phil. IV, p. 133). Nihilominus Demosthenes Philippum accusat, quod castella haec iniuria Atheniensibus abripuerit, idque quum medio Olymp. CVIII a. 2 transigere se cum Atheniensibus velle declarasset, et pax iam esset mense Elaphebolione ab Atheniensibus decreta sancitaque, nondum tamen a Philippo iure iurando confirmata. Quum primum Athenis coeptum esset de pacis conditionibus agi, Athenienses refert Demosthenes (de cor. p. 234) non ab ea solum die, qua pacem iurassent, sed ab ea iam, qua pacem fore speravissent, omnes belli apparatus deseruisse; ille autem, ait, perpetuo hoc maxime moliebatur, ut plurimum temporis interveniret inter pacem ab Atheniensibus confirmatam et exigendum a se ius iurandum, quod existimabat, quaecunque ante datum ius iurandum civitati abripuisset, ea se constanter detenturum. Philippus vero eodem tempore bellum in Thracia cum Cersoblepte gerebat, eoque solverat, quum prima legatio pacis conciliandae causa missa ex Macedonia Athenas abibat: *συνέβαινε δ' ὅτε τὴν προτέραν ἐπρεσβεύομεν πρεσβείαν, ἐμοὶ μὲν μετὰ τῶν συμπρέσβεων ἀπιέναι δεῦρο, Φιλίππῳ δ' ἐπὶ Θρᾴκην ἐξιέναι, πρὸς δ' ἡμᾶς ὡμολογηκέναι, ἕως ἂν ὑμεῖς περὶ τῆς εἰρήνης βουλεύσησϑε, μὴ ἐπιβουλεύσεσϑαι μεϑ' ὅπλων Χεῤῥονήσου.*

Aesch. π. παραπρ. p. 39 init. Factum ergo id est mense circiter Anthesterione Olymp. CVIII, 2 (v. cap. sup. nr. 3). Dumque interea Athenis de pace cum Philippi legatis agebatur, et eam confirmabant Athenienses, Philippus in Thracia Cersobleptem oppressit, illaque Thraciae castella expugnavit, quae Chares Atheniensium tum temporis in Hellesponto imperator praesidiis impositis custodiebat. Demosth. Phil. III, p. 114: ὁ τοίνυν Φίλιππος ἐξ ἀρχῆς, ἄρτι τῆς εἰρήνης γεγονυίας — Σέῤῥιον καὶ Δορίσκον κατελάμβανε, καὶ τοὺς ἐκ Σεῤῥίου τείχους καὶ ἱέρου ὄρους στρατιώτας ἐξέβαλλεν, οὓς ὁ ὑμέτερος στρατηγὸς ἐγκατέστησεν. καίτοι ταῦτα πράττων τί ἐποίει; εἰρήνην μὲν γὰρ ὀμωμόκει.*) Postrema horum hyperbolice magis dicta, quam ad veritatem sunt. Aliis enim ubique locis ob id maxime in Philippum invehitur Demosthenes, quod in ipso eo momento, quo de pace adhuc ineunda ageretur, et nondum Philippus ius iurandum dedisset, castellis illis iniuria sit potitus. V. or. de Cherson. p. 105. Atque in or. π. παραπρ. Aeschini exprobrat et reliquis, qui secum ad ius iurandum a Philippo exigendum essent in Macedoniam profecti, id eos toto itinere egisse, Philippus ut reversus demum ex Thracia, occupatisque iam per nefas, quae exoptasset, pacem iure iurando confirmaret: p. 390, 448. Cf. cap. sup. nr. 1. Ipseque etiam Aeschines, etsi castellorum illorum nullam faciat mentionem, Cersobleptem tamen devictum et Hieronoros expugnatum esse refert Elaphebolionis iam XXIV (ἕκτῃ φθίν.), quum legati, quibus iuris iu-

*) Itaque Cersobleptes ratus Philippum a castellis illis abstenturum esse, si in Atheniensium, quibuscum pacem initurus erat, custodia versarentur, Chareti ea tradiderat. Charetem fuisse Aeschines docet π. παραπρ. p. 40 init.

randi exigendi causa adire Philippum demandatum esset, Athenis adhuc commorarentur, id quod etiam epistola Charetis corfirmat: π. παραπρ. p. 40. Itaque Philippus inter ipsam pacis pactionem Thracia potitus dato etiam post iure iurando paceque confirmata castella illa obtinuit, ut quae non Atheniensium fuissent, sed, quem debellasset, Cersobleptis. Erant etenim ea maximi momenti, quippe quae et Chersoneso et Hellesponti regionibus imminerent. Qua propter Philippus inter ipsam pacis pactionem expeditionem illam perficere conabatur, ut Athenienses opem Cersoblepti ferre pace inita impedirentur; Demosthenes contra legati ius iurandum exacturi ut Philippum, ubicunque versaretur, summa celeritate adirent, proposuit. Athenienses vero, instigantibus oratoribus, eorumque haud minime Demosthene, castella illa magna cum exacerbatione continuo reposcebant, tamquam suae fuissent ditionis, quod eiectis suis militibus ea occupasset Philippus. Quo crimine ut sese eximeret Philippus, Olymp. CIX, 2 missa ad Athenienses epistola, qua eos ad componendas controversias provocabat, id quoque proposuit, de castellis illis ut iudicium ageretur. V. orationem de Haloneso, anno illo Athenis habitam, ibique p. 85, unde, quid conditio illa a Philippo proposita Athenis effecerit, facile potest concludi.

Ceterum, quod Demosthenes Thraciam tum ante datum ius iurandum abripuisse Philippum dicit (*προλαβὼν τὴν Θρᾴκην* de cor. 236), id aut ad sola illa castella referendum est, aut hoc sibi vult, Philippum Cersoblepte oppresso tota tum Thracia potitum esse. Et sane Aeschines Charetem nunciasse tum Atheniensibus refert, *ὅτι Κερσοβλέπτης ἀπολώλεκε τὴν ἀρχήν* (π. παραπρ. p. 40 in.). At Diodor. (XVI, 71) Philippum Olymp. CIX, 2 Cersoblepte devicto Thraciam Macedoniae fecisse tributariam narrat. Itaque Cersobleptes

Olymp. CVIII, 2 non omnino regno eiectus sit, sed coercitus maritimaque Thraciae parte privatus. Idque ipse etiam Aeschines docet, quum in or. *π. παραπρ.*, Ol. igitur CIX, 2, Cersobleptis filium obsidem, ut antea, penes Philippum versari dicat: p. 39 in. Quocum conspirat Demosthenes *π. παραπρ.* p. 398, Athenienses continuo decernere dicens, ut Cersobleptes quoque particeps fiat pacis Ol. CVIII, 2 cum Philippo compositae, isque ius iurandum ei det, tum intermissum; quod dare etiam voluisse se Philippus contendit (Epist. p. 160 ed. R. Dem.), sed prohibitum esse ipsis ab Atheniensium praetoribus, Cersobleptem Atheniensium hostem declarantibus. De Cersoblepte ab Atheniensibus Ol. CVIII, 2 in pacem recepto cf. cap. III, nr. 3 (p. 100), sicuti de Thracia Philippi expeditione, Ol. CIX, 2 suscepta, cap. h. nr. 7.

2. p. 248. *Ἁλόνησον· Πεπαρήθου πόρθησιν καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἡ πόλις ἠδίκητο, οὐδ' εἰ γέγονεν οἶδα.*
Olymp. CVIII, 4/2 et CIX, 1/4.

Insula Haloneso, in Thermaei sinus effluvio sita, quum eam Athenienses, a quibus possidebatur, minus tuerentur, Sostratus praedo potitus est. Quo expulso Philippus insulam sibi eo praetextu asseruit, ut tutam his regionibus redderet navigationem. V. epist. Phil. inter Demosth. orr. p. 162. Athenienses igitur, ut surreptam iniuria possessionem sibi Philippus restitueret, acriter postulabant. Ille vero gratificari se Atheniensibus velle dareque insulam pollicitus est, quippe quam non eis, sed praedoni iure eripuisset. Haec vox arrepta ab oratoribus est et explosa, non dare Atheniensibus Halonesum sed reddere Philippum oportere dicentibus. Qua de re audienda sunt verba Philippi in epist. l. s. c. haec: *τοσαύτην δέ μου ποιουμένου πρόνοιαν τῆς ὑμετέρας πόλεως, καὶ διδόντος αὐτῇ τὴν νῆσον, οἱ ῥήτορες λαμβάνειν μὲν οὐκ εἴων,*

ἀπολαβεῖν δὲ συνεβούλευον, ὅπως ὑπομείνας μὲν το προςτασσόμενον τὴν ἀλλοτρίαν ἔχειν ὁμολογῶ, μὴ προειμένος δὲ τὸ χωρίον ὕποπτος γένωμαι τῷ πλήθει. γνοὺς ἐγὼ ταῦτα προυκαλούμην κριθῆναι περὶ τούτων πρὸς ὑμᾶς, ἵν' εἶ μὲν ἐμὴ γνωσθῇ, παρ' ἐμοῦ δοθῇ τὸ χωρίον ὑμῖν, ἐὰν δὲ ὑμετέρα κριθῇ, τότε ἀποδῶ τῷ δήμῳ. ταῦτα δ' ἐμοῦ πολλάκις ἀξιοῦντος ὑμεῖς μὲν οὐ προςείχετε. Sic igitur quum pertinaciter possessionem reposcerent Athenienses, Peparethii Haloneso vicini, ab eis haud dubie instigati captis Philippi, qui insulam tuebantur, mercenariis ipsi Halonesum occuparunt. Cuius facinoris poenam repetens Philippus ea ratione Peparethum tractavit, quae verbis or. de cor. supra allatis, quibuscum ipse Philippus epist. l. c. conspirat, indicatur. Quo facto exacerbati iam Athenienses quem tum in Hellesponto copiis suis praefecerant imperatorem, ut vindictam de Philippo sumeret, impulerunt. V. Phil. epist. l. c. Tali modo res istae haud exiguum exardescenti bello momentum attulere.

Iam quod ad tempora attinet, quibus et Halonesus occupata sit a Philippo et Peparethus devastata, ea, quamquam non adeo accurate, definiri tamen possunt ex oratione de Haloneso, inter Demosthenis orationes recepta, et, quam saepius supra memoravimus, Philippi epistola. Prima etenim Halonesi occupatae praecipuaque mentio in ea fit oratione, quae *περὶ Ἀλονήσου* inscribi solet. Eam autem Olymp. CIX, 2 habitam esse Dionys. Hal. refert in ep. ad Amm. §. 10. Brevi tempore ante quam oratio haec habita est, missi ad Philippum legati ab Atheniensibus erant, qui praeter alia postulasse id quoque a Philippo videntur, ut insulam hanc, iniuria abreptam, Atheniensibus redderet (de Halon. p. 77). Philippus responsum legatis datum, donare se Atheniensibus Halonesum velle, per missos Athenas cum epistola legatos, repetiit, sin autem ut suam reposcerent, ut iure agerent secum,

proposuit. V. Epist. Phil. l. c. Utrique proposito resistit orator de Haloneso, iniustum primum esse dicens, insulam doni specie recuperare, ut vero iure disceptarent cum Macedone, Atheniensibus indignum. Unde consentaneum est, haud diu ante hanc orationem Halonesum a Philippo occupatam esse, id est, Olymp. circiter CIX a. 1. Peparethum autem devastatam esse oportet tempore mox insequenti, Olymp. nimirum CIX a. 3 exeunte, seu ineunte quarto. Nam in orationibus de Chersoneso et Philipp. III nulla eius rei fit mentio, sed in epistola demum Philippi (l. c.), quam in fine Olymp. CIX, 4 collocandam esse infra docebimus (cap. h. nr. 7). In hac autem Philippus Peparethum ut recens punitam commemorat, una cum Atheniensium nupera ea de re indignatione.

Verum Demosthenes eodem, de quo disputamus, loco, nullam in iis, quae Philippum inter et Athenienses de Haloneso acta sint et disceptata, partem se habuisse contendit, quum tamen Dionys. Hal. l. c. et de admir. vi dic. in Demosth. c. 9 et 13, sine ulla dubitatione orationem de Haloneso ut genuinum Demosthenis opus memoret. Orationis vero istius auctor non habuit eam solum, verum etiam decretum, quo ad Philippi epistolam responsuri erant Athenienses, conscripsit. V. or. de Halon. p. 88. Accedimus igitur ad quaestionem de auctore orationis illius, quam a disputatione nostra non esse alienam censemus, quamquam quum pluries de eadem in utramque partem disputatum a recentioribus sit*),

*) a Fr. Iacobs. l. c. p. 378 sqq., B. G. Weiskio in progr. sic inscripto: Orationem de Haloneso Demostheni, cui vulgo abiudicatur, vindicat, — B. G. W., cuius argumenta refutare conatus est praeter censores I. G. Beckerus (Demosth. als Staatsm. u. Redner T. I. p. 282 sq.)

nobis brevissime res erit expedienda. Confirmari igitur Dionysii testimonium eo videtur, quod in oratione illa notus ille verborum lusus occurrit: *ἄν τε λάβητε, ἄν τ' ἀπολάβητε* (p. 78), quo Philippus explosum se esse ab oratoribus refert, postquam dare insulam Atheniensibus voluisset. Et iisdem fere verbis usum esse Demosthenem Aeschines arguit: *εἰ δ' ἐπιτρέπειν (Φίλιππος) ἐθέλοι πόλει τινὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ περὶ τῶν ἐγκλημάτων, οὐκ εἶναι κριτὴν ἴσον ἡμῖν ἔφη καὶ Φιλίππῳ. Ἁλόνησον ἐδίδου· ὁ δ' ἀπηγόρευε μὴ λαμβάνειν, εἰ δίδωσιν, ἀλλὰ μὴ ἀποδίδωσι, περὶ συλλαβῶν διαφερόμενος.* in Ctes. p. 65. Ad quem locum Taylorus aliorum quoque auctorum testimonia attulit, qui re vera verbis illis lusisse Demosthenem comprobant; inter eos maxime Plutarchum (vita Demosth. c. 9), qui sumpta verba illa esse refert ex oratione *ὑπὲρ Ἁλοννήσου, ἣν Ἀθηναίοις Δημοσθένης συνεβούλευσε μὴ λαμβάνειν, ἀλλ' ἀπολαμβάνειν.* Haec igitur argumenta vindicare Demostheni orationem illam videntur. Quod tamen ut vere efficiant, multum abest. Neque enim aliud quidquam comprobari eis video, quam Demosthenem de Haloneso a Philippo surrepta verba ad Athenienses fecisse, et ab ipso posse lusum illum verborum esse primum profectum, quem tamen quominus alii quoque oratores arripuerint repetierintque, postquam placuisse eum Atheniensibus intellexissent, nihil est, quod impediat. At ne perorasse quidem Demosthenem de Haloneso concedimus, quum neque in or. de Cherson. neque in Phil. III neque in alia ulla orat. praeter hanc de cor. ullam Demosthenes Halonesi faciat mentionem. In or. de cor. autem l. c. decreti certe de Haloneso nec lati nec conscripti ullam se partem habuisse diserte profitetur. Orationis tamen eius, quae hodie de Haloneso inscribitur, auctor quum decretum quoque, quo responsuri Athenienses Philippo erant, exaraturum se dicat (de Halon. p. 88), primum id nec adeo exiguum

argumentum esset orationis nostrae de Haloneso Demostheni abiudicandae. Accedunt ad argumentum illud alia ex interna orationis indole petita, quibus sagacissime a Libanio expositis in ὑποθέσει ad or. de Halon. recentiorum etiam opinio de abiudicanda Demostheni oratione innititur. His igitur missis unum adhuc rhetoris illius argumentum diligentius persequar. Veteres iam enim dicit de oratione hac, an sit Demosthenis, dubitasse, fuisseque inter eos quosdam, qui eam Hegesippi opus esse contenderent. Eadem Suid. v. Ἡγήσιππος. Haec opinio aliis, quae historia suppeditat, argumentis, omnino comprobari videtur. Certum est enim, quod iam Libanius animadvertit, Hegesippum ab eadem cum Demosthene parte in reipublicae gubernaculis adversus Philippum stetisse. Eum Demosthenes (de cor. p. 250) auctorem vocat decreti contra Philippum iisdem de rebus lati, quarum sibi ipsi ullam fuisse communionem negat. Idem cum Demosthene legationem ad civitates Peloponnesiacas a Philippi societate abalienandas obiit Olymp. CIX, 2. Philipp. III p. 129. Cf. cap. h. nr. 5. Primus ille pacem cum Philippo dissuasit (Schol. ad Dem. π. παραπρ. p. 364), et propter infensum in eum animum tam parum exceptus Philippo fuit, ut Xenoclidem, hospitem eius, ideo quod eum recepisset, Macedonia iusserit excedere. Dem. π. παραπρ. p. 447. Cf. Ruhnk. hist. crit. orr. Gr. p. 156 sq. l. c. Auctor tum or. de Halon. accusasse se Callippum Paeaniensem dicit (p. 87), quod psephisma scripsisset utile Cardianis, Atheniensibus damnosum, quod ipsum Libanius censet videri non a Demosthene sed ab Hegesippo factum esse. Iam vero omnium clarissimum indicium veri orationis illius auctoris invenire mihi videor in ipsa de Halon. or. p. 77. Ibi enim orator legatum se ad Philippum missum fuisse refert, quod haud diu ante ipsam orationem acciderit, necesse est.

Legatio igitur nimirum ea est, quam anno Olymp. CIX, 1 ad Philippum missam esse pacis corrigendae causa, loco proxime sequenti monstrabimus. Eiusdem certe mentionem Demosthenes facit in or. π. παραπρ. p. 447, qui locus cum verbis oratoris de Halon. p. 71 pronunciatis adeo conspirat, ut eandem hic et illic significari legationem nulli sit dubitationi obnoxium, praesertim quum utraque oratio eodem Olymp. CIX anno 2 habita sit.*) Priori autem loco Demosthenes Hegesippum interfuisse legationi refert; ipsum non adfuisse, verba ipsa clare indicant. Praeterea post Olymp. CVIII, 2 ne obiisse quidem Demosthenem ullam ad Philippum legationem vel solo ex Aeschine constat, qui bis modo eum in Macedoniam esse profectum expresse testatur (in Ctes. p. 64), Ol. nempe CVIII, 2, quo tempore de pace ineunda actum est. Quae quum ita sint, exploratum id certe iam est, orationis de Haloneso Demosthenem auctorem non esse; Hegesippum esse ut statuamus, summa veri similitudo suadet.

3. p. 272 sq. *ὅτε γὰρ Πύθωνα Φίλιππος ἔπεμψε τὸν Βυζάντιον κ. τ. λ.* usque ad verba *μυρία τοίνυν ἕτερ' εἰπεῖν ἔχων* —

Quae sit ista Pythonis legatio; quo tempore Anaxinus, Philippi explorator, Athenis comprehensus sit; Nicias, quem archontem *τὸ μαρτύριον* affert, ad quem annum pertineat, investigatur.

Olymp. CIX, 1 et CIX, $^{4}/_{1}$.

Ad Pythonem quod attinet, in eo communis scriptorum et interpretum error est, quod legationem,

*) or. π. παραπρ. verba haec sunt: *τὸν γὰρ Ἡγήσιππον ὁρᾶτε καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ πρέσβεις ὅπως ἐδέξατο.* —

qua hic perfunctum eum Demosthenes refert, Olymp. CX, 2 Thebas missam, ibique Pythonem a Demosthene convictum superatumque esse opinantur. Praeivit falsae huic opinioni Diodorus S. XVI, 85, qui sub Olymp. CX, 3 Pythonem a Philippo Thebas legatum esse tradit, Thebanos ut ab Atheniensium avocaret societate, eodemque loco, postquam Pythonem a Demosthene victum retulit, addit: *καὶ Δημοσθένης δὲ αὐτὸς ὡς μέγα τι κατειργασμένος ἐν τοῖς συγγεγραμμένοις ὑπ' αὐτοῦ λόγοις σεμνύνεται τῇ πρὸς τὸν ῥήορα τοῦτον δημηγορίᾳ, ἐν οἷς λέγει, τότ' ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ἡμῶν οὐχ ὑπεχώρησα.* Quae verba ex or. de cor. l. c. sumpta manifesto Diodorum arguunt hanc nostram Pythonis legationem Thebas et in tempus cladi Chaeronensi proxime antecedens transtulisse. In eandem opinionem Diodorus interpretes omnes, quod equidem scio, abduxit: Wesselingium in adnot. ad Diod. l. c., Taylorum not. ad Dem. de cor. l. c., Reiskium in Ind. histor. v. Python, Iacobsium (l. c. ad or. de Halon. p. 81). Omnes tamen quantum a veritate aberraverint, et rerum hac orationis parte a Demosthene memoratarum ordo, et orationis ipsius nexus perspicue docent. Nam primum rem Athenis actam esse, evidenter inde patet, quod Demosthenes Aeschinem conspirasse cum Pythone contendit (*οὗτος δὲ συνηγωνίζετο τῇ πατρίδι καὶ ταῦτα ψευδῆ*); legationi vero Ol. CX, 2 ab Atheniensibus Thebas missae non interfuit Aeschines (v. decret. Demosth. de cor. p. 291. cf. p. 319). Praeterea Demosthenes in recensendis Aeschinis maleficiis post iuvenile illud facinus, quo Antiphontem servare contenderit (Olymp. CVII. V.

---

or. de Halon. haec: *ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς ἡμᾶς τοιούτους λόγους, ὅτι πρὸς αὐτὸν ἐπρεσβεύσαμεν.*

cap. II, nr. 7) unum affert, quod cum Pythone conspiraverit, alterum, quod cum Anaxino, Philippi exploratore colloquens sit comprehensus. Deinde quas modo enumeravit Aeschinis iniurias ante bellum denuo excitatum ab eo perpetratas esse testatur, quum dicat: *καὶ τὸ μὲν δὴ πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς συναγωνίζεσθαι Φιλίππῳ δεινὸν μὲν — κατὰ τῆς πατρίδος κ. τ. λ.* (de cor. p. 274); tum vero ultimam Aeschinis machinationem exponit, qua bellum Amphissense, extremam illam Graeciae perniciem, excitavit; id quod factum esse Olymp. CX, 1 infra (cap. V) ostendetur. Unde consequens est, et legationem illam Pythonis et ea, quae de Anaxino referuntur, intra Olymp. CVIII, 2 et Olymp. CX, 1 esse constituenda.

His igitur in universum constitutis ad accuratiorem iam rerum temporumque investigationem convertimur. Pytho hic Byzantius, cuius convicia in Athenienses effusa retudisse se Demosthenes h. l. gloriatur, homo loquendi facultate admodum elatus (Aesch. *π. παραπρ.* p. 44. f.), si idem est, ac quem Aeno oriundum Demosthenes alibi vocat (or. in Aristocr. p. 659)*), civitati Atheniensium olim adscriptus fuit. Etenim Pytho cognomine Aenius Cotyn regem Thraciae, Cersobleptis patrem, quum Atheniensibus gravis esse et

*) Byzantius saepissime nominatur, praeter h. or. de cor. l. ap. Aesch. *π. παραπρ.* p. 44 et in Demosth. epist. II, p. 1469; Pytho Aenius in or. adv. Aristocr. occurrit p. 659. Inconstantiam cognominis bene explicasse Reiskius videtur in ind. histor. ad Dem. v. Python. Aenus urbs haud dubie ea est, quam in Thraciae ora ad Hebri fluminis ostium sitam constat, unde Byzantium Pytho demigrasse videtur, ab eaque urbe alterum cognomen contraxisse. Solent enim Graeci eosdem homines geminis nominibus appellare, altero loci, quo in lucem quique prodierint, altero, quo magnam vitae partem peregerint.

periculosus coepisset, dolo interemit (Dem. in Aristocr. p. 659, 674). Quod factum quum Atheniensibus perquam gratum esse cognosset, Athenas se contulit, ibique et civitatem sibi conciliavit, et aurea corona donatus est (l. c. p. 662). Hic quum aliquamdiu commoratus esset, Philippi tandem partibus favere incepit. V. Dem. l. c., unde simul Pythonem, quo tempore oratio in Aristocr. habebatur, id est Olymp. CVII, 1 Athenis migrasse iam seque ad Philippum contulisse, manifesto patet. A Philippo deinde propter eloquentiae facultatem, vel linguae potius effrenam licentiam legationibus frequenter adhibitus est; missumque eum Athenas saepissime esse, quippe ad urbem pristina consuetudine ei notissimam, orationes docent post pacem cum Philippo compositam habitae, in quibus crebram eius mentionem oratores faciunt. Ad expediendam igitur quaestionem nostram, singulas legationes his temporibus a Philippo ad Athenienses missas recenseamus, necesse est.

Primi igitur legati a Philippo pacis ineundae causa missi Athenas sunt Olymp. CVIII, 2, mense Elaphebolione (v. cap. III, nr. 3). Inter hos Pythonem quoque fuisse Reiskius (ind. hist. ad Dem. v. Pytho) allatis locis ex or. de Halon. p. 81 et 82 censuit; falso; Antipatrum enim, Parmenionem et Eurylochum missos tum a Philippo esse, docet argmt. II ad Dem. π. παραπρ. Cf. Aesch. in Ctes. p. 64 init. Dem. π. παραπρ. p. 362. Loci vero in or. de Halon. a Reiskio laudati ad aliam legationem spectant, de qua mox uberius loquar.

Secunda Philippi legatio missa est anno sequenti, Olymp. CVIII, 3, quae simul cum Thessalorum legatis Athenas venit ad commovendos Athenienses, ut confirmarent decretum ab Amphictyonibus latum de Philippo in eorum numerum pro expunctis Phocensibus recipiendo. Dem. π. παραπρ. p. 375. Cf. Comment.

h. c. III. 1. Hac opportunitate Demosthenes orationem habuit π. τῆς εἰρήνης, qua pacis servandae gratia ut morem gererent Philippo et Amphictyonibus, Athenienses cohortatus est, archonte secundum Dionys. Hal. (ep. ad Amm. c. 11) Archia, Olymp. CVIII, 3. Inter legatos Philippi Pythonem memorat Ulpian. in Enarrat. ad Dem. or. π. παραπρ. l. c. (p. 115 ed. H. Wolf.), et quum ipse Demosthenes in or. π. παραπρ. l. c., nulla orationis de pace, quam ipse tum peroravit, ratione habita, Aeschinem solum civium legatis suffragatum esse dicat, idem hic sibi ementitum opprobrium sumpsisse posset videri. Sed res non ita explorata est, ut in ea iam conquiescere possimus.

Itaque tertia Philippi ad Athenienses legatio accidisse Olymp. CIX a. 1 videtur. Quae quamvis claris quidem verbis nusquam memoretur, insunt tamen in orationibus eodem tempore habitis nec pauci nec ambigui loci, quibus haec nostra opinio apprime comprobari potest. Athenienses enim ubi pace facta tantopere a Philippo deceptos se intellexissent, omnem dabant operam, ut quae mala fraude sibi essent surrepta, recuperarent, vel, si id minus possent, latius serpentem Philippi potentiam et auctoritatem continerent. Eodem ipso tempore Philippus Peloponnesi quoque principatum appetebat. Ad hoc bella Argivis et Messeniis ob vetus odium a Lacedaemoniis illata commodam ei opportunitatem praebebant. V. cap. h. nr. 5. Illis auxilia pollicitus contrahere copias media in Gracia coeperat, iamiam in Peloponnesum traiecturus, ut Lacedaemoniorum superbiam coerceret. Demosth. or. Phil. II, p. 68, 69. Hoc Philippi cum Peloponnesiacis civitatibus foedus ut impedirent Athenienses, legatos in Peloponnesum miserunt. Inter quos Demosthenes graviter in eos, qui Philippi partes in Peloponneso foverent, invectum se admonuisse Argivos Messeniosque fraudulentae Philippi machinationis,

utque a societate, quam perniciosissimam sibi mox essent experturi, abstinerent, cohortatum esse refert. Phil. II. p. 70. His legatorum monitis obtemperasse primum civitates illae videntur (l. c. p. 72). Quo perterritus Philippus, cedere Atheniensibus in praesentia maluit et operam dabat, ut eorum amicitiam sibi conciliaret, et sociorum tolleret suspicionem. Missis igitur ad Athenienses legatis conquerebatur, quod iniuste et malevole apud ceteras Graeciae civitates continuis sese criminationibus persequerentur, quamvis, quaecunque pacis servandae gratia exigerent, libentissime eis gratificari vellet. Cum hac Philippi legatione Argivorum quoque et Messeniorum legati Athenas venerunt, qui Athenienses accusarent, quod Lacedaemoniis, Peloponnesi dominationem affectantibus faverent, aliis pro libertate certantibus resisterent. Per hanc occasionem Demosthenes orationem adv. Philipp. II habuisse fertur Libanio in argmto hanc ad or. Quae etsi ex oratione ipsa minus eluceant, aliis tamen testimoniis et argumentis comprobari facile posse videntur. Id tamen ipsa quoque oratio manifesto docet, recenseri in ea omnes, quas post ipsam pacem cum Atheniensibus factam Philippus iniurias perpetraverit. Tum vero orationem coram legatis habitam esse extremae partis verba haud ambigue indicant haec: *περὶ μὲν δὴ τῶν ὑμῖν πρακτέων καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς ὕστερον βουλεύσεσθε, ἂν σωφρονῆτε· ἃ δὲ νῦν ἀποκρινάμενοι τὰ δέοντ' ἂν εἴητ' ἐψηφισμένοι, ταῦτ' ἤδη λέξω.* Quibuscum hoc denique quadrat, quod Messeniorum Argivorumque praecipua in oratione hac mentio fit, et de iis post expositum p. 71 orationis ad eos habitae, quum legationem in Peloponnesum obiret, argumentum orator p. 72 haec addit: *ταῦτ' ἀκούσαντες ἐκεῖνοι, καὶ θορυβοῦντες, ὡς ὀρθῶς λέγεται, καὶ πολλοὺς ἑτέρους λόγους παρὰ τῶν πρέσβεων, καὶ παρόντος ἐμοῦ καὶ πάλιν ὕστερον, ὡς ἔοικεν, οὐδὲν μᾶλλον*

ἀποσχήσονται τῆς Φιλίππου φιλίας, οὐδ' ὧν ἐπαγγέλλεται. Libanii testimonium Dionysius quoque Hal. ex parte comprobat, quum orationem hanc coram Peloponnesiorum legatis habuisse Demosthenem dicat archonte Lycisco, id est Olymp. CIX a. 1. Epist. ad Amm. c. 11. Quibus omnibus perpensis et consideratis acquiescendum in eis videtur esse, quae de orationis huius causa dilucide a Libanio referuntur. Omnis vero dubitatio removetur or. de Halon., Olymp. CIX a. 2 quamquam non a Demosthene habitae, loco hoc, quem maioris perspicuitatis gratia totum exscripsi: *βούλομαι δ' ὑμᾶς ὦ ἄ. Α., καὶ γὰρ εὐδοκίμησεν ὁ Πύθων παρ' ὑμῖν ἐν τῇ δημηγορίᾳ ὁ τότε πρεσβεύων, αὐτοὺς τοὺς λόγους, οὓς ἔλεγεν, ὑπομνῆσαι. οἶδα γὰρ ὅτι μέμνησεσθε. παραπλήσιοι δ' ἦσαν οἷς καὶ νῦν ἐπέσταλκε Φίλιππος. ἐγκαλῶν γὰρ ἡμῖν τοῖς διαβάλλουσι τὸν Φίλιππον, καὶ ὑμῖν ἐμέμφετο, ὅτι ὁρμηκότος αὐτοῦ εὖ ποιεῖν ὑμᾶς καὶ προῃρημένου μάλιστα τῶν Ἑλλήνων φίλους κεκτῆσθαι αὐτοὶ κωλύετε, ἀποδεχόμενοι τῶν συκοφαντούντων καὶ χρήματα ἐκεῖνον αἰτούντων καὶ διαβαλλόντων. — ἐκέλευεν οὖν τοὺς λέγοντας ἐν τῷ δήμῳ τῇ μὲν εἰρήνῃ μὴ ἐπιτιμᾶν· οὐ γὰρ ἄξιον εἶναι εἰρήνην λύειν· εἰ δέ τι μὴ καλῶς γέγραπται ἐν τῇ εἰρήνῃ, τοῦτ' ἐπανορθώσασθαι, ὡς ἅπαντα Φίλιππον ποιήσοντα ὅσ' ἂν ὑμεῖς ψηφίσησθε. ἐὰν δὲ διαβάλλωσι μὲν, αὐτοὶ δὲ μηδὲν γράφωσι δι' οὗ ἡ μὲν εἰρήνη ἔσται, παύσεται δὲ ἀπιστούμενος ὁ Φίλιππος, μὴ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις,* de Halon. p. 81. Haec quum Olymp. CIX, 2 dicta sint, nonne ad amussim respondent eis, quae Libanio teste orationi adv. Philipp. II ansam dederint? Eadem si cum orationis de cor. verbis eo, de quo nunc agimus, loco, his conferantur: *Πύθωνα Φίλιππος ἔπεμψε, ὡς ἐν αἰσχύνῃ ποιήσων τὴν πόλιν καὶ δείξων ἀδικοῦσαν, τότ' ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα οὐδ' ὑπεχώρησα,* utraque quod ad finem legationis attinet, quam tum Pytho obibat, et orationem eius

Athenis habitam, adeo secum profecto congruunt, ut ad eandem rem referri posse videantur. Quodsi igitur Pythonis legatio in or. de Halon. et illo or. de cor. loco memorata eadem est, cuius Libanius in argumento ad Dem or. Phil. II meminit, ipsa fortasse hac oratione adv. Phil. II refutasse Pythonem Demosthenes videatur. Quae opinio quamquam minus inde confirmatur, quod non adversus Pythonem, sed ad Athenienses potius verba orator facit, argumento tamen orationis probabilis quodammodo reddi potest. Tota etenim oratio eo potissimum tendit, ut refellatur multorum opinio, qui Philippum non iniuriis fraudulentisque machinationibus imperium appetere censeant. Extrema deinde orationis parte orator in eos praesertim invehitur, qui Philippi commodis inserviant, in pravos potissimum et perfidiosos legatos, quorum improbitate pax Olymp. CVIII, 2 facta tanta Atheniensibus detrimenta contraxerit. Inter eos vero primarias partes obtinuisse Aeschinem constat, quem ipsum Pythonis orationem adiuvasse h. or. de cor. l. Demosthenes refert: *οὗτος δὲ συνηγωνίζετο καὶ τἀναντία ἐμαρτύρει τῇ πατρίδι.*

Verum, ut omnis dubitatio removeatur, reliquas adhuc legationes quae posteriori tempore a Philippo Athenas missae sint, persequamur, necesse est. Quam igitur Olymp. CIX, 1 Pytho obibat legationem, ea Philippus Athenienses, ut de controversiis secum convenirent, provocavit. Or. de Halon. p. 81. Ad componendam igitur omnem discordiarum materiam Athenienses primum, ut Amphipolin sibi Philippus redderet, postulabant, (l. c. p. 82, 83), tum ut ceterae quoque Graeciae civitates, magnae parvaeve, etiamsi non essent in pacem foedusque receptae, et pace tamen et libertate ita fuerentur, ut si quando in discrimine versarentur, ii, qui essent pacis participes facti, liberam civitatem in potestatem alienam redigi non

sinerent (l. c. p. 84), deinde ut omnes in Thracia possessiones, quas inter pacis cum Atheniensibus pactionem occupasset Philippus, Serrhion, Ergisce, Hieronoros, reliquae rursus sibi restituerentur, l. c. p. 86; denique ut Cersobleptes quoque ad pacem foedusque admitteretur. Dem. or. π. παραπρ. (Olymp. CIX, 2 habita) p. 398, quo loco de ἐπανορθώσει τῆς εἰρήνης sermo est, eadem nimirum ipsa, quam Athenienses Olymp. CIX, 1, quum Pytho legati munus obibat, proposuerunt. Haec continuisse Atheniensium decretum videtur, quod conscripsisse se fert auctor or. de Halon. ad illam Pythonis legationem de Hal. p. 82. Eodemque haud dubie et Halonesus repetita est. V. l. c. p. 77. Id igitur responsum retulisse Philippo legatio Atheniensium videtur ea, quam auctor or. de Halon. memorat p. 77. Legati vero nec amice a Philippo excepti sunt, nec eum ad explenda Atheniensium desideria propensum invenerunt. Dem. π. παραπρ. p. 447. Insequenti igitur statim anno, Olymp. CIX, 2, Philippus novam Athenas legationem misit cum epistola, cuius argumenta singula in or. de Haloneso recensentur. Coram his enim legatis habita haec oratio est, secundum Dionys. Hal. ep. ad Amm. §. 10. (πρὸς τοὺς Φιλίππου πρέσβεις), Olymp. CIX, 2. Huic tamen legationi non interfuit Pytho. Eius enim ut absentis meminit auctor de Halon. p. 81. *Πύθων, ὁ τότε πρεσβεύων.* *)

Eodem anno, Olymp. CIX, 2 Philippus suscepta nova in Thraciam expeditione Cardianis auxilia misit adversus Diopithis, Atheniensium in Chersoneso prae-

---

*) Iacobs. in prooem. ad or. de Halon. (Staatsred. d. Dem. p. 375) missum tum quoque Pythonem esse cum Philippi epistola refert. Quod quum, unde ceperit, nesciam, confudisse mihi vir doctissimus hanc legationem cum priore illa Olymp. CIX, 1 Athenas missa videtur.

toris, incursiones (v. cap. h. nr. 6 et 9), postquam Athenienses, quod eis a Philippo propositum erat, ut veterem de finibus controversiam cum Cardianis lege componerent (or. de Halon. p. 86, 87), superbe respuerant (epist. Phil. p. 161). Diopithes contra, Thracibus a Philippo oppugnatis opitulatus est (v. or. de Cherson. p. 92), Olymp. CIX, 3. Violatae ita pacis ut de Diopithe meritam poenam sumerent Athenienses, Philippus epistola missa postulabat. V. argumt. ad or. de Cherson. Quae oratio per istam quidem occasionem habita est, num vero ad legatos Philippi, nullum indicium prae se fert; neque aliunde constat Pythonem tum Athenis adfuisse, sicuti eodem tempore ab aliis quoque Graeciae civitatibus missas esse legationes, nequaquam consentaneum est.

Insequenti tempore nusquam Philippi ad Athenienses legationem memoratam invenio, usque ad obsessam a Philippo Byzantiorum civitatem. Tum demum ubi Philippo Hellespontum magis magisque in ditionem suam redigente exsuscitati Athenienses ad bellum strenue adcingebantur, et Demosthenes tertia quartaque Philippica ruptam iam a Philippo pacem esse ostenderat, Philippus omni iam simulatione abiecta Olymp. CX, 1 epistolam Atheniensibus misit eam, quae Demosthenis suspectae orationi *πρὸς Φιλ. ἐπιστολήν* affixa est. Hac enim excitatus Demosthenes duodecimam suam adversus Philippum orat. habuisse fertur Dionysio l. c. §. 10. eam, cuius exordium certe exstat in oratione, quae nunc ad Philippi epistolam vocatur. Quam orationem Dionysius (l. c. §. 12.) Philochori auctoritate nisus, quo tempore Byzantium a Philippo obsidebatur, habitam esse contendit. Epistolam vero an per legatos miserit Philippus, eisque interfuerit Pytho, non constat. Quod utut se habuit, epistola Philippi, quum apertam iam belli denunciationem contineat, certo post illud tempus scripta

est, quo Demosthenes redargutum a se Pythonem refert, id quod Anaxinus explorator postea Athenis comprehensus manifesto docet ipsaque etiam Philippi epistola, ut statim monstrabimus.

Iam denique revertimur ad notissimam omnium legationem Thebas missam, Olymp. CX, 2, brevi ante quam ad Chaeroneam pugnatum est. Aderant tum Thebis praeter Atheniensium legatos, quorum princeps Demosthenes fuit, Philippi quoque legati eiusque sociorum, Thessalorum, Aenianum, Aetolorum, Dolopum, Phthiotarum. V. Philochor. ap. Dionys. Hal. §. 12. Dem. de cor. p. 298 sq. Ea quoque, quae Dem. l. c. de ista legatione refert, optime ad ea quadrant, quae nostro or. de cor. loco memorantur. Verum enim vero ipsa illa rerum similitudo Diodorum aeque et interpretes eo abduxit, ut Pythonem ex hoc, de quo quaestio est, or. de cor. l. Thebas transferrent, et hanc Pythonis, quam Athenis obibat, legationem cum illa Philippi Thebas missa confunderent. Huic tamen ne adfuisse quidem Pythonem Plutarchus manifesto docet, qui (in Demosth. c. 18) teste Marsya, historiarum celebri scriptore nisus, Amyntam tum et Clearchum, Macedones, Daochum et Thrasydaeum, Thessalos, Thebas a Philippo legatos esse refert.

Omnium ergo harum legationum nulla est, quae possit aptius ad h. or. de cor. locum referri, illa, quam Olymp. CIX, 1 Athenas missam esse supra docuimus. Ad eandem igitur haud dubie insignis ex epistola Phil. locus pertinet, qui cum re nostro or. de cor. loco a Demosthene relata apprime conspirat: *πάντων δέ μοι δοκεῖ*, Philippi verba sunt, *παραλογώτατον εἶναι διότι πέμψαντος ἐμοῦ πρέσβεις ἀπὸ τῆς συμμαχίας πάσης, ἵν' ὦσι μάρτυρες, καὶ βουλομένου ποιήσασθαι πρὸς ὑμᾶς δικαίας ὁμολογίας ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων, οὐδὲ τοὺς περὶ τούτων λόγους ἐδέξασθε παρὰ τῶν πρεσβευόντων, ἐξὸν ὑμῖν ἢ τῶν κινδύνων ἀπαλλάξαι τοὺς δυςχερὲς ὑποπτεύον-*

τάς τι καθ' ὑμῶν, ἢ φανερῶς ἐξελέγξαι με φαυλότατον ὄντα τῶν ἁπάντων. τῷ μὲν οὖν δήμῳ ταῦτα συνέφερε, τοῖς δὲ λέγουσιν οὐκ ἐλυσιτέλει. φασὶ γὰρ οἱ τῆς πολιτείας τῆς παρ' ὑμῖν ἔμπειροι τὴν μὲν εἰρήνην πόλεμον αὐτοῖς εἶναι, τὸν δὲ πόλεμον εἰρήνην κ. τ. λ. l. c. p. 163.

His igitur exploratis, Anaxinum verisimile est appropinquante bello Olymp. CIX, 4 exeunte Athenis comprehensum esse. Repetitum enim bellum est Ol. CX, 1 ineunte (v. nostr. cap. h. 7), Aeschinem vero cum Anaxino conspirasse dicit Demosthenes ante bellum palam redintegratum: *καὶ τὸ μὲν δὴ πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς συναγωνίζεσθαι Φιλίππῳ δεινὸν μέν* etc. de cor. p. 274. — Testimonium itaque, de Aeschinis Anaxinique colloquio, quod exstat in or. de cor. p. 273, datum Demostheni est postquam Anaxinus iam est capite plexus, ut indicant verba *Ἀναξίνῳ, ὃς ἐκρίθη εἶναι κατάσκοπος παρὰ Φιλίππου·* in causa nimirum, quam ei intendisse se refert Aeschines or. in Ctes. p. 85. f. Quae causa si dicta est continuo post Anaxini damnationem, testimonium referendum erit ad primam prytaniam Olymp. CX, 1, ut eius verba recentius, et haud dubie ad usum actionis de corona addita: *αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Νικίου, Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱσταμένου* demonstrant. Eo anno autem quum Theophrastus Eponymi magistratu fungeretur, Niciam rursus liquet pseudeponymis esse annumerandum, in quo mirum etiam est, *ἄρχοντος* omnino non addi, quod fit in reliquis.

4. p. 248. *καὶ Μεγάροις ἐπιχειρῶν.*

Olymp. CIX, 1.

Proximo post res in media Graecia compositas tempore quum una ex parte in Peloponnesum auctoritatem suam transferre, ex altera Euboeam sibi asserere Philippus moliebatur, quas res continuo expositari sumus, simul Megarensium quoque civitatem ten-

tabat, quippe quam vel maxime sibi opportunam videret, cum ob vicinum Athenarum situm, tum quod in Peloponnesum ingrediendi commodam offerret facultatem. Ut ubique fere sic etiam Megaris exstabat civium aliqua pars, in primis, ut videtur, optimatium, quae propriae utilitatis causa votis Philippi inserviens intestinas turbas excitabat, eiusque commoda clam agitare conabatur; ille vero ad adiuvanda armis etiam eorum consilia promptus paratusque aderat. Rem quidem, qualis fuerit, integram cognoscere nequimus; exstant tamen disiecta hic illic testimonia, eaque vel maxime in Demosthenis or. de m. g. legat., in qua Philippi insidiae adversus Megara saepius ut recentissime tentatae commemorantur. Itaque quum oratio haec Olymp. CIX, 2 habita sit*), Philippi illa adversus Megarenses molimina in Olymp. CIX, 1 referenda esse, manifestum est. Sic. p. 448 orator: *τίς Μέγαρα πρῴην*, ait, *ὀλίγου ἀλλότρια πεποίηκε*, et p. 445: *ὁρμητήρια ἐφ' ὑμᾶς ἐν Εὐβοίᾳ Φίλιππος προςκατασκευάζεται, καὶ Γεραιστῷ καὶ Μεγάροις ἐπιβουλεύων διατελεῖ.* Nec dubium est, pertinere tentatam hanc Megarorum occupationem ad anni illius partem posteriorem, una cum Philippi in Euboeam incursionibus, quas in eadem oratione orator ubique cum illa ut recentissime tentatas coniungit, simul etiam cum illa, quam

*) Semper ego habitam hanc orationem dico, festinantius Plutarchum (Demosth. c. 15) scripsisse iudicans: *ὁ δὲ κατ' Αἰσχίνου τῆς παραπρεσβείας, ἄδηλον, εἰ λέλεκται.* Etenim habitas esse orationes, ipsius Aeschineae orationis initium testatur: p. 28 f. cf. p. 48 f. Vera haud dubie Idomeneus scriptor refert: *παρὰ τριάκοντα μόνας τὸν Αἰσχίνην ἀποφυγεῖν* ap. Plut. l. c., et Pseudoplut. Vit. X orr. in Aesch., Eubuli intercessione causam Demosthenem perdidisse. Cf. Phot. biblioth. cod. 264.

diutius iam meditabatur, tunc perfecturus erat, in Peloponnesum impressione. Praeter hanc enim nec Megarorum nec Euboeae a Philippo periculis intentatae ulla fit mentio in Demosthenis or. Phil. II, quae Olymp. CIX a. 1 habita est, eodemque, ut easdem ob causas equidem contenderim, ineunte mediove. Eodem etenim anno Diodorus (XVI, 69) Philippum in Thessaliam descendisse refert, intestinas turbas, nuperrime exortas, compositurum, postquam expeditione Illyrica, antea suscepta, feliciter esset perfunctus. Hanc expeditionem igitur si Olymp. iam CVIII, 4 susceperat, quod omnino statuendum est, Thessaliam petierit Olymp. CIX a. 1 medio aut exeunte. Indeque eum opinor in Peloponnesum traiicere meditatum esse. Eodem enim tempore Demosthenes Athenienses refert ad Drymum (in Phocide) et Panactum copias emittere coactos esse: π. παραπρ. p. 446. In Peloponnesum igitur ut per Isthmum traiicere posset, nihil ardentius in votis habuerit, quam ut Megara suo arbitrio ante posset obnoxiam reddere. Eandemque ob causam, quum hinc depulsus esset, statim contra Ambraciam conversus est Olymp. CIX, 2, ut per mare Peloponnesum ingrederetur. Sed hanc rerum seriem melius sequentes commentationes nr. 5 et 6 confirmabunt.

Occupare autem Philippum Megara conatum esse urbique praesidium imponere, Demosthenes locis innumeris docet: π. παραπρ. p. 368: *καὶ μὴν μετὰ ταῦτα ὁσάκις πρὸς Πορθμῷ ἢ πρὸς Μεγάροις ἀκούοντες δύναμιν Φιλίππου καὶ ξένους ἐθορυβεῖσθε, πάντες ἐπίστασθε.* Cf. p. 404, 446. Philipp. III, p. 115, 118. Et rationem, qua ad incepta haec violentiora ansa Philippo praebita sit, optime orationis π. παραπρ. p. 435 illustrant haec verba: *τί δ'; ἐν Μεγάροις οὐκ οἴεσθε εἶναί τινα κλέπτην καὶ παρεκλέγοντα τὰ κοινά; ἀνάγκη, καὶ πέφηνεν. τίς αἴτιος αὐτόθι νῦν τούτων τῶν συμβεβηκότων*

πραγμάτων; οὐδὲ εἷς. ἀλλὰ ποῖοί τινες οἱ τὰ τηλικαῦτα καὶ τὰ τοιαῦτ' ἀδικοῦντες; οἱ νομίζοντες αὐτοὺς ἀξιόχρεως εἶναι τοῦ Φιλίππου ξένοι καὶ φίλοι προσαγορεύεσθαι, οἱ στρατηγιῶντες καὶ προστασίας ἀξιούμενοι, οἱ μείζους τῶν πολλῶν οἰόμενοι δεῖν εἶναι. οὗ Περίλαος ἐκρίνετο ἔναγχος ἐν Μεγάροις ἐν τοῖς τριακοσίοις, ὅτι πρὸς Φίλιππον ἀφίκετο, καὶ παρελθὼν Πτοιόδωρος αὐτὸν ἐξῃτήσατο, καὶ πλούτῳ καὶ γένει καὶ δόξῃ πρῶτος Μεγαρέων, καὶ πάλιν ὡς Φίλιππον ἐξέπεμψε, καὶ μετὰ ταῦτα ὁ μὲν ἧκεν ἄγων τοὺς ξένους, ὁ δ' ἔνδον ἐτύρευεν. Perilaus ut Megarorum proditor affertur iterum in or. de cor. p. 242, et una cum Ptoeodoro atque Helixo p. 324. Attamen propositum non assecutus Philippus est, donec post cladem Chaeronensem ultro Megarenses imperio paruerunt (Ael. var. hist. VI, 1). Nam in or. *π. παραπρ.* p. 448 Demosthenes *τίς δ' Εὔβοιαν*, ait, *ἀλλοτρίαν* [*πεποίηκε*]; *τὶς Μέγαρα πρῴην ὀλίγου;* item Philipp. IV. p. 133: *κατέσκαπτε Πορθμόν, — Μέγαρα ἑάλω παρὰ μικρόν.* Impeditus igitur haud dubie est Atheniensium opera, quos eisdem temporibus ad Drymum et Panactum cum armis exire coactos esse Demosthenes refert *π. παραπρ.* p. 446. Socii tamen Atheniensium, qui dicuntur a Demosthene de cor. p. 306, Megarenses facti haud dubie sunt per eam occasionem, quam Plut. refert in Phocion. c. 15. Is enim, quum Megarenses adversus repentinos hostium impetus Atheniensium opem implorarent, Phocionem narrat metu, ne Boeoti comperta re Atheniensium praevenirent auxilia, convocata extemplo concione decretisque subsidiis continuo sese cum exercitu Megara contulisse, urbemque per duos muros cum mari coniunxisse, quo magis in posterum foret ex Atheniensibus apta. Quod factum Plutarchus post lata ab Atheniensibus Byzantiis Phocione duce auxilia, Olymp. igitur CX, 1, collocat; neglecta haud dubie temporum ratione. Ipse enim l. c. c. 16 absente Phocione in Hellesponto, quum bellum ipsis iam

Atheniensibus cum Philippo ortum esset, alios esse duces creatos dicit. Prius igitur illa accidisse manifestum est, et cohaerent haud dubie cum illis Philippi adversus Megara moliminibus, quamquam Thebanos iam longe antea imminuisse Megaris Isocrates refert in or. ad Philipp. p. 133 ed. L.

5. p. 252. *καὶ πρῶτον μὲν τὴν εἰς Πελοπόννησον πρέσβειαν ἔγραψα, ὅτε πρῶτον ἐκεῖνος εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο.*

Olymp. CIX, 2.

Res, quas verbis his Demosthenes commemorat, nempe Philippi in Peloponnesum ingrediendi conatus, Atheniensium contra legatio ad civitates Peloponnesiacas a Philippi societate abalienandas missa, quum qua conditione et quo tempore acciderint, perspici non posse videatur, nisi cognitum antea fuerit, qua publicarum Peloponnesi rerum ratione excitatae sint adductaeque, repetenda primum est rerum ea aetate, circa quam versamur, in Peloponneso gestarum historia.

Quo igitur tempore Philippus in septentrionalibus primum Graeciae regionibus potentiam suam augere firmareque conabatur, in media autem Graecia bellum Phocense exarserat, in Peloponneso Lacedaemonii amissum clade Leuctrica (Olymp. CII, 2) principatum et deminutam ipsa in Peloponneso auctoritatem aegre ferebant. Una enim ex parte subditis antea civitatibus redditum ab Epaminonda ius, ex altera restituta Messeniae respublica et collecti unam in civitatem, Megalopolin, Arcades summam eorum moverant indignationem. Mortuo igitur vix ad Mantineam Epaminonda quum Thebanorum principatus labi coepisset, depressam auctoritatem ut restituerent, omnem dabant operam. Qua de causa Argivos, Arcades et, qui odiosissimi eis erant, Messenios continuis bellis persequebantur. Olymp. igitur CVI, 4, quo tempore

Thebani sociis suis Peloponnesiacis opitulari bello Phocensi prohibebantur, Archidamus Lacedaemoniorum rex, postquam primum de Argivis ad Orneas victoriam deportaverat (Diod. S. XVI, 34), continuo in Megalopolitas quoque conversus est. Eo tempore quum Athenienses ab utraque parte auxilia rogarentur, Demosthenes orationem pro Megalopolitis habuit, qua, ut certamen utrasque inter civitates dirimerent, Atheniensibus suasit, Olymp. CVI, 4. V. Dionys. Hal. l. c. §. 4. Quod utrum facere Athenienses conati sint, nec ne, haud satis constat; id vero notum est, Olymp. CVII, 1 gestum esse bellum inter Lacedaemonios et Megalopolitas, cui tamen mox induciae finem imposuerunt. Diod. S. XVI, 39. Quae deinde ad Olymp. usque CVIII a. 2 subsecuta sint, minus quidem novimus; verisimile tamen est, Lacedaemonios et hoc temporis intervallo recuperandae potestatis pristinae cupidinem nihildum intermisisse. Istae etenim turbae devastata vix Phocide Philippo ansam praebuerunt, ut sese iudicis instar rebus Peloponnesi immisceret. Neque tamen Messenios, Arcades, Argivosque solos inter et Lacedaemonios certamen intererat, verum etiam ceterae Peloponnesi civitates non adeo quieta videntur usae esse conditione. Earumque Elis praesertim eodem ipso tempore internis laborabat discordiis, quum optimatium et popularium factiones rempublicam dilacerarent, donec una civium pars exulare coacta est. Exules enim Eleos accitis Phocensibus illis, quibus Phalaeco duce liber e Phocide discessus a Philippo datus est, Olymp. CVIII, 3 vel 4 urbem patriam invasisse Diodorus refert (XVI, 63), Arcadibus tamen opem ferentibus victos suppressosque esse una cum Phalaeci mercenariis. His motibus perturbatae Peloponnesi civitates Philippi votis quam maxime respondebant, quippe quae stabiliendae his quoque regionibus auctoritati eius commodam oppor-

tunitatem offerrent. Atque in unaquaque fere Peloponnesi civitate ex longiori iam tempore exstabant, qui popularium animos Philippo conciliare conabantur. Iam enim Olymp. CVIII, 1 Aeschines Athenis accusabat Philippum, quod in Peloponneso etiam suos sibi conduxisset sectatores, qui rerum publicarum commoda subvertere molirentur (Dem. π. παραπρ. p. 344, 438), legatosque Atheniensium ad excitandas adversus Philippum civitates in Peloponnesum eo tempore missos nil effecisse, supra docuimus. V. cap. III, 1. Insequenti anno, Olymp. CVIII, 2, pace modo cum Atheniensibus facta Philippus Messeniis adversus Lacedaemonios opem iam ferre constituerat, quum primum Amphictyonicas turbas ex sententia composuisset. Isocr. or. ad Philipp. p. 140. L. Excisis igitur Phocensibus quum ipsarum etiam illarum Peloponnesi civitatium suffragiis Amphictyonici iuris compos factus esset, (Dem. de pace p. 61), societate cum eis conciliata (or. ad epist. Phil. p. 153) Lacedaemoniis, ut Messenen dimitterent, hoc est liberam eam suique iuris esse concederent, imperavit (Dem. Phil. II, p. 69); eodemque tempore, quo Demosthenes secundam illam adversus Philippum orationem perorabat, Olymp. CIX, 1 ineunte mediove (v. cap. h. nr. 4) ad exsequenda protinus iussa, Spartam etiam invadere accingebatur: *τοῖς Μεσσηνίοις δὲ καὶ τοῖς Ἀργείοις ἐπὶ τοὺς Λακεδαιμονίους συμβάλλειν οὐ μέλλει, ἀλλὰ καὶ ξένους εἰςπέμπει, καὶ χρήματ' ἀποστέλλει, καὶ δύναμιν μεγάλην ἔχων αὐτός ἐστι προςδόκιμος.* Phil. II, p. 69. Huc referendae haud dubie sunt minaces quoque illae epistolae, a Philippo Lacedaemoniis missae, quarum meminit Plut. de garrul. Vol. X, p. 119. H. (cf. Valck. ad Theocr. Adoniaz. p. 268 sqq.), quibusque Lacedaemonii, quamquam nasuta et succincta ad ea responsa retulerint, adduci tamen poterant, ut maiori deinde moderatione uterentur. Athenienses vero istis Philippi consiliis expergefacti Olymp.

iam nimirum CVIII, 4 legationem in Peloponnesum miserunt, ad Messenios maxime et Argivos, eos ut a Philippi societate retinerent. Huius enim legationis finem, eventum ac tempus optime ex eadem Dem. or., adv. Phil. II, cognoscimus. Interfuit ei ipse Demosthenes, qui or. illius p. 70: *καίτοι σωφρονοῦσί γε καὶ μετρίως*, ait, *ἐναργῆ παραδείγματ' ἔστιν ἰδεῖν, ἃ καὶ πρὸς Μεσσηνίους καὶ πρὸς Ἀργείους ἔμοιγ' εἰπεῖν συνέβη, βέλτιον δ' ἴσως καὶ πρὸς ὑμᾶς ἐστιν εἰρῆσθαι.* Ex sequentibus verbis, quae ad Argivos et Messenios fecisse se Demosthenes tradit, perspicue cognosci potest, qui legationis illius fuerit finis; idem scilicet is fuit, quem modo indicavimus. Inde vero facile quispiam concluserit, legationem hanc eandem esse, cuius Demosthenes or. de cor. l. c. mentionem facit. De quo tamen equidem dubito. Nam Demosthenes illo or. de cor. loco aperte omnia ea recenset, quae suo conatu ad coercendum Philippi imperium a re publica incepta sint eique feliciter cesserint. Illius tamen legationis nec felix adeo neque gravis fuisse effectus videtur. Quamquam enim audita tum Demosthenis oratione Argivi Messeniique, quae suasisset, laudarunt et approbarunt, nihilominus tamen promissis allecti abstinuere a Philippi societate: *ταῦτ' ἀκούσαντες ἐκεῖνοι, καὶ θορυβοῦντες, ὡς ὀρθῶς λέγεται, καὶ πολλοὺς ἑτέρους λόγους παρὰ τῶν πρέσβεων καὶ παρόντος ἐμοῦ καὶ πάλιν ὕστερον, ὡς ἔοικεν, οὐδὲν μᾶλλον ἀποσχήσονται τῆς Φιλίππου φιλίας, οὐδ' ὧν ἐπαγγέλλεται.* Haec Demosthenes Olymp. CIX, 1 in or. adv. Phil. II, quam habuisse fertur coram legatis Argivorum et Messeniorum eo consilio missis, ut Athenienses, licet pro iure libertateque certantibus impedimenta sibi obvolvere, Lacedaemoniis contra, qui Peloponnesi dominationem appeterent, verbis factoque favere conquererentur. Liban. in argum. ad or. Phil. II. Cf. Comm. n. c. h. nr. 3. Cum hac igitur legatione confundi non posse

ea videtur, cuius or. de cor. l. c. Demosthenes meminit. Alius et gravioris quidem in Peloponnesum legationis mentio iniecta est in or. adv. Philipp. III, p. 129:

ἐπειδὴ γάρ ἐστι πρὸς ἄνδρα καὶ οὐχὶ συνεστώσης πόλεως ἰσχὺν ὁ πόλεμος, οὐδὲ τοῦτ' ἄχρηστον, οὐδ' αἱ πέρυσι πρεσβεῖαι αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον ἐκεῖναι καὶ κατηγορίαι, ἃς ἐγὼ καὶ Πολύευκτος ὁ βέλτιστος ἐκεινοσὶ καὶ Ἡγήσιππος καὶ Κλειτόμαχος καὶ Λυκοῦργος καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις περιήλθομεν καὶ ἐποιήσαμεν ἐπισχεῖν ἐκεῖνον, καὶ μήτ' ἐπ' Ἀμβρακίαν ἐλθεῖν, μήτ' ἐς Πελοπόννησον ὁρμῆσαι.

Demosthenis or. adv. Phil. III habita est Olymp. CIX a. 3 secundum Dionysium l. c. §. 10, eodemque, ut insequenti loco monstrabimus, medio aut exeunte. Itaque legatio in Peloponnesum or. Phil. III, p. 129 memorata anno antecedenti, Olymp. CIX, 2, acciderit, necesse est; unde longe remotam eam ab ea esse patet, de qua Demosthenes or. Phil. II. l. c. disserit, quam consecutam esse verisimile est Olymp. iam CVIII, 4. At Iacobs. (Staatsr. p. 364 sq.) utramque legationem unam esse eandemque contendit. Nodum vero chronologicum hac argumentatione solvere sibi posse videtur. Orationem adv. Phil. II habitam dicit Olymp. CIX a. 1 exeunte. Iam vero si ex Lucchesinii opinione or. adv. Phil. III ineunte iam a. 3. Olymp. CIX perorata sit, si porro Demosthenem concesseris non accurate, sed ad communem dicendi morem suum illud *πέρυσι* accomodasse, nihil iam obstare opinatur, quominus unam eandemque hanc atque illam esse legationem statuas. At a Lucchesinii sententia de tempore or. Phil. III, quae quo argumento nitatur, equidem nescio, quantum nostra discedat, supra dictum est. Ex qua iusto sane negligentius Demosthenes locutus esset, si rem Olymp. CVIII, 4 seu ineunte CIX, 1 factam medio Olymp. CIX a. 3 *πέρυσι* ac-

cidisse dixisset. Legationem autem in or. Phil. II memoratam haud exiguo spatio antequam orationem ipsam Demosthenes peroraret missam in Peloponnesum esse, ex eo vel maxime patet, quod eam alias adhuc legationes subsecutas Demosthenes dicit (*καὶ πολλοὺς ἑτέρους λόγους παρὰ τῶν πρέσβεων καὶ παρόντος ἐμοῦ καὶ πάλιν ὕστερον*). Tum vero eventus etiam posterioris huius legationis gravior, quam illius fuit. Impediisse se enim legatione hac Demosthenes gloriatur, quominus in Peloponnesum Philippus invaderet et Ambraciam aggrederetur, Phil. III p. 129. His vero ad nullum aliud tempus, nisi ad Olymp. CIX, 2 deducimur. Nam Ol. CIX, 1 ineunte mediove, quo oratio adv. Philipp. II habita est, rerum Peloponnesi is iam status erat, ut gliscentes iam dudum turbae mox palam erupturae viderentur. Philippus iam mercenarios et pecuniarum subsidia in Peloponnesum miserat, eodemque ipse mox ingredi accingebatur. Haec consilia Olymp. CIX, $1/2$ iamiam exsecuturus videbatur. Ista rerum conversione summae in Peloponneso turbae excitatae sunt, quas in or. *π. παραπρ.* Demosthenes refert, Olymp. CIX anno secundo habita. In Elide enim, Arcadia et Argis aperto iam ii, qui a Philippi partibus stabant, certamine supprimere adversarios moliebantur. Illic discordia civilis pugnas etiam caedesque intestinas excitaverat: *καίτοι τοῦτο τὸ πρᾶγμα καὶ τὰ τοιαῦτα ζηλώματα — εἰς Πελοπόννησον εἰςελθὸν τὰς ἐν Ἤλιδι σφαγὰς πεποίηκε, καὶ τοσαύτης παρανοίας καὶ μανίας ἐνέπλησε τοὺς ταλαιπώρους ἐκείνους, ὥσθ', ἵν' ἀλλήλων ἄρχωσι καὶ Φιλίππῳ χαρίζωνται, συγγενεῖς αὑτῶν καὶ πολίτας μιαιφονεῖν. π. παραπρ.* p. 424 *). Cf. Philipp.

*) Hunc locum afferens Iacobsius in adnott. ad Philipp. III (Staatsr. p. 496) Philippum sua factione excitatum invasisse in Peloponnesum et Lacedaemonios ad obse-

IV. p. 133. Quo dissidio id tandem effectum est, ut populares ab optimatibus deprimerentur: *ἦσαν ἐν Ἤλιδι κλέπτοντες τὰ κοινά τινες; καὶ μάλ' εἰκός γε. ἔστιν οὖν ὅστις μετέσχεν αὐτόθι νῦν τούτων τοῦ καταλῦσαι τὸν δῆμον; οὐδὲ εἷς.* Dem. *π. παραπρ.* p. 435. Hae igitur turbae adduxisse Eleos quoque videntur, ut sibi Philippi compararent amicitiam. Internis enim dissidiis coactos ad foedus cum Philippo ineundum eos Pausanias refert (V, 4), ex quo, quamquam ad Chaeroneam adiuvare Philippum contra gentiles denegassent, deinde tamen expeditioni Philippi adversus Lacedaemonios interfuerint. Ad hoc foedus Demosthenes respicit, quum Philipp. III, p. 118 Philippum Elidem possidere dicit: *Ἦλιν ἔχει τηλικαύτην πόλιν ἐν Πελοποννήσῳ.* Similes turbae eodem tempore apud Arcades quoque et Argivos exortae sunt: *καὶ οὐδ' ἐνταῦθ' ἕστηκεν, ἀλλ' εἰς Ἀρκαδίαν εἰςελθὸν πάντ' ἄνω καὶ κάτω τἀκεῖ πεποίηκε, καὶ νῦν Ἀρκάδων πολλοὶ, προςῆκον αὐτοῖς ἐπ' ἐλευθερίᾳ μέγιστον φρονεῖν ὁμοίως ὑμῖν, μόνοι γάρ πάντων αὐτόχθονες ὑμεῖς ἐστὲ κἀκεῖνοι, Φίλιππον θαυμάζουσι καὶ χαλκοῦν ἱστᾶσι καὶ στεφανοῦσι, καὶ τὸ τελευταῖον, ἂν εἰς Πελοπόννησον ἴῃ, δέχεσθαι ταῖς πόλεσίν εἰσιν ἐψηφισμένοι. ταὐτὰ δὲ ταῦτά εἰσιν Ἀργεῖοι.* Dem. *π. παραπρ.* p. 424. sq. Itaque ex locis his omnibus id perspicue patet, Philippum eo tempore, quo or. de male g. leg. a Demosthene habebatur, id est, Olymp. CIX, 2 ni fallor ineunte (v. nr. sq.), in Peloponnesum nondum descendisse quidem, quod ne omnino quidem ab eo factum est ante cladem Chaeronensem; sed Olymp. CIX, 1/2 iamiam ab eius in Pe-

---

quium coegisse refert. Verum in verbis, quae supra exhibuimus, non *Φίλιππος* subiectum est, sed *τοῦτο τὸ πρᾶγμα.* Neque enim omnino ingressus est Philippus hoc tempore in Peloponnesum, sed longe postea deportata ad Chaeroneam victoria, qua de re v. Polyb. IX, 28 et 33. Paus. V, 4.

loponneso amicis incursionem et exspectatam et agitatam esse, quae ab eo et incepta haud dubie esset, quippe superatis iam fere et oppressis eis, qui consiliis eius hucusque restiterant, nisi exsuscitati a Demosthene denuo Athenienses legatione in Peloponnesum missa civitates illas a studiis Macedonicae factionis revocassent.

Iam porro quod praeterea eadem legatione reipublicae commodo effectum esse Demosthenes dicit, impeditum nempe ea esse Philippum, quominus Ambraciam aggrederetur, et id ad Olymp. CIX, 2 referendum est. Eodem enim ipso tempore, quo secundum or. *π. παραπρ.* motus illi Peloponnesum perturbabant, Philippus de Illyriis victor reversus continuo Thessaliam in eaque Pheras praesertim, intestinis turbis recentissime agitatas, petiit, Olymp. CIX, 1 teste Diodoro XVI, 69, eiusque anni haud dubie vere, id quod docebunt sequentia. Unde tyrannis denuo expulsis et instituta ex suo arbitrio nova reipublicae ratione (Dem. Phil. II. p. 70. *π. παραπρ.* 424. de Hal. 84. de Cherson. 104. Phil. III 113) Epirum ingressus expeditionem adversus Ambraciam et Leucadem parasse videtur, utramque Corinthiorum coloniam circa Acarnaniam sitam, eo maxime, ut videtur, consilio, mare Ionium ut suo cum regno coniungeret, eoque in Peloponnesum facile traiicere posset*). Incidit autem expeditio haec, quam agitabat Philippus, in tempus orationis de Haloneso, id est in annum Olymp.

*) Ex his lucem petant Demosthenis verba in or. de cor. p. 240: *ὅτε γὰρ περιιὼν ὁ Φίλιππος Ἰλλυριοὺς καὶ Τριβαλλούς, τινὰς δὲ καὶ τῶν Ἑλλήνων κατεστρέφετο, καὶ δυνάμεις πολλὰς καὶ μεγάλας ἐποιεῖθ' ὑφ' ἑαυτῷ:* sicuti ea, quae p. 246 de Argivis, Arcadibus et Messeniis dicit, ex superiori nostra enarratione rerum in Peloponneso gestarum.

CIX secundum. V. Dionys. H. l. c. §. 10. In ea enim oratione una cum Thessalica Philippi expeditione eiusque aliis eiusmodi inceptis ut praesens vel recens certe facta refertur; id quod haec eius in primis verba perspicue docent: *περὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ἐπανορθώματος, ὃ ὑμεῖς ἐν τῇ εἰρήνῃ ἐπηνορθώσασθε, τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, ὅσοι μὴ κοινωνοῦσι τῆς εἰρήνης, ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους εἶναι — τοῦτο τὸ ἐπανόρθωμα ὁμολογῶν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ὡς ἀκούετε, δίκαιόν τ' εἶναι καὶ δέχεσθαι, Φεραίων μὲν ἀφῄρηται τὴν πόλιν καὶ φρουρὰν ἐν τῇ ἀκροπόλει κατέστησεν, ἵνα δὴ αὐτόνομοι ὦσιν, ἐπὶ δ' Ἀμβρακίαν στρατεύεται, τὰς δ' ἐν Κασσωπίᾳ*) τρεῖς πόλεις, Πανδοσίαν καὶ Βουχετὰν καὶ Ἐλάτειαν, Ἠλείων ἀποικίας, κατακαύσας τὴν χώραν, καὶ εἰς τὰς πόλεις βιασάμενος παρέδωκεν Ἀλεξάνδρῳ τῷ κηδεστῇ, τῷ ἑαυτοῦ, δουλεύειν.* de Halon. p. 84. Alexander, qui h. l. memoratur, eodem fere tempore post Arymbae mortem Molossorum regnum a Philippo accepit (de re cf. Iustin. VIII, 6), Olymp. CIX, 3 secundum Diodor. XVI, 72. At in or. adv. Philipp. III, medio Olymp. CIX anno tertio aut exeunte habita, Demosthenes *ἀλλ' ἐφ' Ἑλλήςποντον οἴχεται,* ait, *πρότερον ἧκεν ἐπ' Ἀμβρακίαν,* p. 118. *οὐ Κορινθίων ἐπ' Ἀμβρακίαν ἐλήλυθε καὶ Λευκάδα — Χεῤῥονήσου τὴν μεγίστην ἔχει πόλιν Καρδίαν;* p. 120. Quibus quum expeditionem adversus Ambraciam et Leucadem suscepisse Philippum testetur, antequam in Thraciam Hellespontumque impressionem fecisset, quod factum est Diodoro teste (XVI, 71) Olymp. CIX, 2, consequens est, vere circiter Olymp. CIX, 2 Philippum in Thraciam esse profectum (cf. comm. h. IV, 6, 7 et 9), Ambraciam vero aestate iam anni illius, seu medio circiter Olymp. CIX a. 2 aggredi instituisse, exeunte Olymp. CIX a. primo turbis in Thessalia

*) regio Epirotica.

compositis, quo etiam Megaris insidiatum eum vidimus nr. sup. Demosthenes vero Phil. III, Ol. CIX, 3, legatione in Peloponnesum anno praeterito missa, prohibitum Philippum refert, quominus in Peloponnesum et Ambraciam invaderet. Aptissime igitur omnia conveniunt, evidenterque demonstrasse mihi videor, legationem eam, quam Demosthenes in or. Phil. III, p. 129 memorat, ad annum Olymp. CIX secundum prope medium referendam, longeque alienam ab ea esse, de qua or. Phil. II p. 70 verba facit. Quod quum ex nostra iam argumentatione hactenus exposita affatim elucet, tum exstat etiam locus ap. Dem. or. in Olympiodor., qui sententiam nostram apprime confirmat. In ea enim orator: *καὶ κατὰ τύχην τινὰ*, ait, *καὶ δαίμονα ὑμεῖς ἐπείσθητε ὑπὸ τῶν ῥητόρων εἰς Ἀκαρνανίαν στρατιώτας ἐκπέμπειν, καὶ ἔδει καὶ τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον στρατεύεσθαι, καὶ ᾤχετο μετὰ τῶν ἄλλων στρατευόμενος.* p. 1174. Id, ut ex verbis continuo sequentibus liquet, factum est archonte Pythodoto, qui est eponymus Olymp. CIX, 2. Ad quem autem finem eo tempore Athenienses in Acarnaniam copias miserint, nisi ut infestatis tum a Philippo regionibus illis opem ferrent? Paullo ante enim Atheniensium subsidia in Thessaliam etiam exierant, auctore in primis Demosthene, quem hoc facto pacem violasse Aeschines criminatur or. in Ctes. p. 65. m. Unde verisimile est copias illas missas in Acarnaniam esse paullo ante, aut potius post legationem a Demosthene obitam eam, qua in or. adv. Philipp. III id effecisse se iactat, ut Philippus quam moliebatur iam in Peloponnesum et Ambraciam incursionem intermiserit.

Itaque omnes, quas hucusque tetigimus, temporum rationes ita conspirant, ut legationem hanc Demosthenis Peloponnesiacam alteram in Olymp. CIX, 2 conferendam esse constanter doceant, idem videlicet ipsum tempus, quo iam plerosque in Peloponnesi civitatibus

animos sibi conciliarat Philippus, in eoque erat, ut parata in Lacedaemoniorum terram impressione rerum Peloponnesi quoque arbitrium sibi assereret. Iam vero eandem rerum conditionem verba quoque Demosthenis indicant: *καὶ τὴν εἰς Πελοπόννησον πρέσβειαν, ὅτε πρῶτον**) *ἐκεῖνος εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο*, or. de cor. p. 252, quibus explicandis omnem hanc nostram disputationem impendimus; ita, ut dubitationi locus nullus relinquatur, quin legatio haec eadem sit et illa or. Phil. III, p. 129 allata, quam Demosthenes obiit Olymp. CIX a. 2; id quod inde denique patet, quod in or. de cor. l. c., ubi manifesto Demosthenes iustum temporum ordinem observat, primo loco illam legationem Peloponnesiacam affert, tum Euboicam, deinde expeditionem in Euboeam susceptam (Olymp. CIX, 4), denique Byzantiam (Olymp. CX, 1).

Or. de cor. p. 308 Demosthenes legationis Ambraciam missae meminit, quam ipse obiens legatos Philippi superaverit. Ea quum ad aliud tempus commodius referri non posse videatur, quam quo Philippus urbem hanc in potestatem suam redigere conaretur, una cum illa Peloponnesiaca legatione Olymp. CIX, 2 manifesto a Demosthene obita est, ita ut dubitari iam possit, in verbis *οὐδ' αἱ πέρυσι πρεσβεῖαι, αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον ἐκεῖναι καὶ κατηγορίαι, ἃς ἐγὼ καὶ Πολύευκτος καὶ — περιήλθομεν, καὶ ἐποιήσαμεν ἐπισχεῖν ἐκεῖνον, καὶ μήτ' ἐπ' Ἀμβρακίαν ἐλθεῖν μήτ' ἐς Πελοπόννησον ὁρμῆσαι*, pro *κατηγορίαι* legendumne sit *Ἀκαρνανίαν*. Sed haec ad sequentem disputationem relegamus. Eodem or. de cor. l. memorat legationem

*) *πρῶτον εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο.* Denuo enim post pugnam Chaeronensem, quo tempore iam non meditabatur solum impressionem, verum etiam exsecutus est. V. ll. sup. nota. ll.

ad Illyrios Thessalosque a se obitam, quarum utraque ad Olymp. haud dubie CVIII, 4 et CIX, 1 referenda est, ut docent res eo tempore illis in regionibus gestae, quas supra exposuimus.

6. p. 248. *ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος, καὶ κατασκευάζων ἐπιτείχισμα ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν — καὶ καταλαμβάνων Ὠρεόν, καὶ κατασκάπτων Πορθμόν, καὶ καθιστὰς ἐν μὲν Ὠρεῷ Φιλιστίδην τύραννον, ἐν δ' Ἐρετρίᾳ Κλείταρχον.*

p. 252. *εἶτα τὴν εἰς Εὔβοιαν [πρέσβειαν ἔγραψα], ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο· εἶτα τὴν ἐπ' Ὠρεὸν ἔξοδον, οὐκέτι πρέσβειαν, καὶ τὴν εἰς Ἐρετρίαν, ἐπειδὴ τυράννους ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησε.*

ibid. *καὶ μὴν ὅτι πολλὰ μὲν ἂν χρήματα κ. τ. λ. — σοὶ δ' ἦσαν φίλοι.*

p. 253. Decretum Aristonici.

Horum omnium adumbratur historia, constituitur aetas.

Olymp. CIX, 1 — CIX, 4.

Aristonici decretum de coronando Demosthene, quod ad constituendum rerum in Euboea gestarum tempus plurimum faceret, si Chaerondas archon, decreto praefixus, verus esset anni eponymus, a rebus Euboicis adeo removerunt viri docti, ut nullam fere cum iis communionem habere videatur. Mitto Chronologorum alios, qui quum Chaerondam illum eundem esse statuerent, quem fasti exhibent Olymp. CX, 3 eponymum, decretum quoque in eodem, hoc est in cladis Chaeronensis anno, collocarunt, Meursium, Petitum, ceterosque ante Corsinum. Verum etiam Corsinus de decreto hoc neque feliciter nec satis diligenter disputavit. Confundit enim ille Chaerondam hunc, qui, quod memorandum est, Hegemonis filius vocatur, cum eo, sub quo Demosthenem decretum de creandis

moenium curatoribus tulisse Aeschines refert (in Ctes. p. 57). Quum igitur Demosthenem a Ctesiphonte corona donatum Olymp. CX, 2 esse censeat*), illud quoque decretum nescio qua alia de causa, nisi propter nominum aequalitatem anno superiori, Olymp. CX primo, latum esse contendit (F. A. diss. II, c. 13 et VIII, c. 23). Qua tamen opinione quantum a veritate aberraverit, non est multis demonstrandum. In decreto enim ipso clarissimis verbis scriptum est: *ἐπειδὴ Δημοσθένης — πολλοῖς τῶν συμμάχων καὶ πρότερον καὶ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ βεβοήθηκε διὰ τῶν ψηφισμάτων, καί τινας τῶν ἐν τῇ Εὐβοίᾳ πόλεων ἠλευθέρωκε.* — Itaque pro rebus in Euboea prospere gestis, pro expeditionibus Euboicis, quas eius consilio studioque Athenienses suscepere, corona hac ab Aristonico ornatus est Demosthenes; pro illis nimirum, quae sua opera confecta esse Demosthenes tradit: *εἶτα τὴν ἐπ' Ὠρεὸν ἔξοδον, οὐκέτι πρέσβειαν, καὶ τὴν ἐπ' Ἐρετρίαν, ἐπειδὴ τυράννους ἐκεῖνος ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησε.* p. 252. Verum quum continuo post haec additum sit: *μετὰ ταῦτα δὲ τοὺς ἀποστόλους ἅπαντας ἀπέστειλα, καθ' οὓς Χεῤῥόνησος ἐσώθη καὶ Βυζάντιον, καὶ πάντες οἱ σύμμαχοι, ἐξ ὧν ὑμῖν μὲν τὰ κάλλιστα — ἐγίγνοντο...* atque p. 253 *στεφανωσάντων τοίνυν ὑμῶν ἐμὲ ἐπὶ τούτοις τότε, καὶ γράψαντος Ἀριστονίκου...* deceptus his Corsinus videtur esse, ut post solutam demum Perinthi Byzantiique obsidionem coronam ab Aristonico in Demosthenem collatam arbitraretur. Sed res longe alia est. Usque ad verba enim: *πάντα γὰρ ἐκβέβηκεν, ἃ προείπατε αὐτοῖς* orator veluti summam eorum enumerat, quae se auctore patriae feliciter cesserint. A verbis autem: *καὶ μὴν ὅτι πολλά* (p. 252) singula iam recenset, quo temporis ordine subsecuta sese sunt; at-

*) De hac Corsini opinione cf. comment. nostr. cap. VI.

que primo loco eiectos Euboea ab Atheniensibus tyrannos memorat, pro eiusque incepti felici successu coronatum se ab Aristonico testatur, ita ut illud *τότε* in verbis: *στεφανωσάντων τοίνυν ὑμῶν ἐμὲ ἐπὶ τούτοις τότε*, ad id ipsum temporis momentum pertineat, quo Atheniensium in Euboeam expeditio suscepta est et transacta. Nam deinde p. 254 sic pergit: *οὐκοῦν μέχρι μὲν τῶν χρόνων ἐκείνων, ἐν οἷς ταῦτ᾽ ἐπράχθη, πάντας ἀνωμολόγημαι τοὺς χρόνους τὰ ἄριστα πράττειν τῇ πόλει*... atque paucis verbis post: *ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη*.... *ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει*, quibus continuo transit ad expeditionem Atheniensium Byzantiam. Unde manifesto liquet, Aristonici decretum et ob res in Euboea feliciter gestas esse latum, et statim post expulsos Euboea tyrannos. Quod igitur reliquum est, ut expeditionis ipsius annum, rerumque in Euboea gestarum, quas p. 248 et 252 Demosthenes memorat, universam rationem accurate inquiramus, ad id iam convertimur.

Quae in Euboea aetate Philippica facta sint, eorum mancam admodum et perobscuram habemus cognitionem. Ipsam expeditionem contra tyrannos a Philippo in Euboea constitutos praeparcis verbis Diodorus Sic. tangit (XVI, 74), nihil referens, praeter quod Olymp. CIX, 4 Clitarchus, Eretriae tyrannus, a Phocione, Atheniensibus copiis praefecto, victus sit insulaque expulsus. Quae vero ista praecesserint, eorum nec Diodorus nec ullus alius rerum gestarum scriptor quantulamcunque notitiam suppeditat. Nihilominus Demosthenes aeque et Aeschines haud raram Euboeae Philippique moliminum ad insulam hanc suo arbitrio subiiciendam faciunt mentionem. Ea igitur potissimum, quae ab oratoribus ipsis indicantur magis quam referuntur, colligentes nos, quae ad nostrum finem expediant, constituamus necesse est.

Ad absolvendam autem quaestionem de rebus in Euboea gestis exordiendum nobis est ab insigni loco, qui exstat ap. Plut. in Phocione c. 12. Quum Philippus per Euboeam extendere potestatem suam moliretur, traiectisque e Macedonia copiis urbibus insulae illius per tyrannos dominari coepisset, Plutarchus Eretriae tyrannum sibi cognominem Athenienses provocasse refert ad insulam a servitute Macedonum liberandam. Ab his igitur missas esse Plutarchi auxilio copias Phocione duce, qui quamvis a proditiosis hominibus in summum esset periculum ad Tamynas adductus*) et ab ipso Plutarcho desertus, admirabili tamen sua militumque virtute insignem de hostibus victoriam deportarit. Quo facto Plutarchum ipsum ab Atheniensibus mox insula esse expulsum. — Expeditio haec facta est Olymp. CVI a. 3, quod ex tempore orationis Midianae, Olymp. CVI, 4 habitae, accuratissime exploravit et demonstravit Boeckhius (in Oeconom. Ath. civ. Vol. II, p. 109 sq. et in comment. saepius iam memorata: über die Zeitverhältnisse der demosth. R. g. Meid. in Actis Acad. Berol. 1818—19 Cl. historico-philol. p. 82 sqq.). Quod si constat, ex Plutarchi l. c. concludi posse videtur, Olymp. iam CVI, 3 Philippum vim suam et auctoritatem in Euboea confirmasse, et quum institutos iam ab eo tyrannos quoque Plutarchus memoret, congruere relatio eius cum locis in or. de cor., de quibus disputamus, omnino videtur. Verum scriptor iste, quod Boeckhius l. c. egregie demonstravit, expeditionem Plutarchi auxilio susceptam cum ea manifesto confudit, qua Olymp. CIX, 4 Clitarchum Euboea expulsum esse Diodorus Sic. refert. Idque ex eo vel maxime liquet,

*) Dolo usum Phocionem esse Demosthenes docet or. in Mid. p. 567.

quod ab expeditione illa Plutarchus continuo ad Byzantiam expeditionem, Olymp. CX, 1 susceptam, convertitur, in qua Phocion Atheniensium classi rursus erat praefectus. Prima belli illius Euboici, Olymp. CVI a. 3 gesti, materia haud satis nota est. Demosthenes, capitalis ille Philippi adversarius, or. de pace p. 58 dissuasisse se expeditionem illam contendit, quippe sumptuosam futuram, nec non improsperam; unde concludere aliquis possit, omnino tum non adversus Philippum arma esse ab Atheniensibus capta. Attamen, quaecunque prima belli origo fuerit, Athenienses eo tempore cum Philippo in Euboea pugnasse, inde maxime probatur, quod Aeschines Calliam, Chalcidis tyrannum, Athenienses copias, Phocione duce Tamynis inclusas, prodidisse his verbis refert: *συναγείρας* [*ὁ Καλλίας*] *ἐξ ἁπάσης τῆς Εὐβοίας στρατόπεδον, καὶ παρὰ Φιλίππου δύναμιν προςμεταπεμψάμενος, ὅ τ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Ταυροσθένης — τοὺς Φωκικοὺς ξένους διαβιβάσας, ἦλθον ἐφ' ὑμᾶς ὡς ἀναιρήσοντες:* or. in Ctes. p. 66 in. Inde vero ab hoc tempore Philippum potestatem suam in Euboea extendisse confirmasseque, satis ex iis constat, quae deinde subsecuta sunt. Relata ad Tamynas victoria Phocion Plutarchum quidem Eretria eiecit (Plut. Phoc. c. 12), quod et ipse Athenienses deceperat, universaeque Euboeae defectionem machinabatur (v. Ulp. ad Dem. *π. παραπρ.* p. 434); id quod Olymp. iam CVI, 3 factum esse consentaneum est, quum in or. Mid. iam, Olymp. igitur CVI, 4, proditionis Plutarcheae Demosthenes meminerit (v. or. Mid. p. 550. cf. or. de pace p. 58). Quo facto exstincta est Eretriae tyrannis, populoque maiestas restituta. Dem. Phil. III, p. 125. Neque tamen eiecto Plutarcho absolutum continuo videtur esse bellum illud Euboicum. Nam Molossus, quem simul cum Phocione expeditionis illius ducem creatum ab Atheniensibus Pausanias dicit (I, 36), male deinde bellum ges-

sisse fertur Plutarcho in Phoc. c. 14. Itaque Olymp. CVII anno haud satis certo, sed ante quam pacis cum Philippo ineundae a Phrynone Aristodemoque Athenis est mentio facta, legatos reperimus Euboicos, pacem Athenis agitantes. V. Aesch. π. παραπρ. p. 29. Interea vero Philippum rerum Euboicarum arbitrium sibi iam arrogasse, testis est eius ad Euboeenses epistola, cuius mentionem Demosthenes facit in or. Phil. I, p. 51, Olymp. CVII, 1. Continuati quoque belli nullam non habuisse partem Philippum inde concludi iure potest, quod illi Euboeensium legati pacem Athenis agitantes, Philippum quoque cum Atheniensibus transigere velle profitebantur. Aesch. π. παραπρ. p. 29 in. Sequenti vero deinde tempore quantum ex Philippi arbitrio suspensae iam fuerint Euboeae res publicae, satis inde coniicitur, quod Olymp. CVIII, 2, quum Athenienses de pace componenda cum Philippo agebant, timuisse Euboeenses Demosthenes refert, ne Atheniensium a Philippo proderentur potestati (or. π. παραπρ. p. 348); perfidosque illos Atheniensium legatos vanam populo spem ostendisse, fore, si res in Phocide Boeotiaque feliciter cessissent, ut Oropum eis Philippus Euboeamque esset restituturus: l. c. p. 409, 445. Abalienata enim tum temporis Euboea erat a societate Atheniensium per Calliam illum Chalcidensem, quem Philippi auxilio totius insulae tyrannidem affectantem concilium Euboicum Athenis Chalcidem transferre conatum esse Aeschines refert or. in Ctes. p. 66 med.

Nondum tamen hucusque universum insulae imperium asseruisse sibi Philippus videtur. Verum ab Olymp. CVIII a. 3, postquam excisis Phocensibus ad maiorem erat in Graecia auctoritatem provectus, quod in Elide, Arcadia, Messenia, Argis et Megaris factum supra vidimus, idem tum demum in Euboea quoque accidisse satis per se consentaneum est. Qui enim

hucusque commodis eius clam inserviebant, iidem tum prospera Philippi fortuna audaciores iam facti acrius consilia sua persequi rerumque omne arbitrium ad eum deferre coeperunt; ille vero incepta eorum armis etiam eo libentius adiuvare, quo facilius ita sibi insulam propugnaculum adversus Athenas redditum iri sperabat. Huc igitur potissimum referenda sunt ea, quae or. Philipp. III de rebus Euboicis Demosthenes narrat. „Eiecto Plutarcho, ait, populus Eretriensis urbem tenebat et Porthmum; alii tum summam rerum ad nos transferebant, ad Philippum alii. His paullatim obtemperantes miseri et infelices Eretrienses eo tandem adducti sunt, ut eiicerent eos, qui saluti eorum prospicere conarentur. Proinde socius eorum et amicus Philippus, misso Hipponico, atque mercenariis mille, muros Porthmi diruit, tresque imposuit tyrannos, Hipparchum, Automedontem, Clitarchum, posteaque e regione populares expulit, quum bis iam pro libertate contenderent. Orei porro Philippi negotium agebant Philistides, Menippus, Socrates, Thoas, Agapaeus, qui nunc tenent urbem; et haec nota omnibus erant. Homo autem quidam Euphraeus, qui aliquando hic apud vos habitavit, omnem dabat operam, ut liberi essent et servirent nemini. Quibus vero is iniuriis et contumeliis ab Oritano populo affectus sit, multa dici possint. Anno autem ante excidium proditionis reum fecit Philistidem eiusque gregales, animadversis eorum conatibus. Concitati autem homines multi, praebitorem habentes Philippum, eiusque consiliis instructi Euphraeum in carcerem abducunt, ut reipublicae perturbatorem. Ea videns populus Oritanus neque his irascebatur, et illum merito ferre ea dicebat. Deinde illi, quantam cupiebant, potestatem adepti id contendebant, ut oppidum caperetur. Hic omnes adeo iam perterriti erant, ut, quamquam tali imminente malo, nemo vocem

rumpere prius auderet, quam instructa acie hostes ad muros accederent. Tum vero hi defendebant oppidum, illi prodebant. Oppido ita capto flagitiose et male isti imperant, et tyrannide potiuntur; illis, qui tum et semetipsos et Euphraeum defendebant, partim eiectis partim occisis." Haec in or. Philipp. III, Olymp. CIX, 3 habita, p. 125 sqq. Cf. p. 113 et 119. Ortis igitur Philippicae et Atheniensis factionis turbis, Philippo opitulante Clitarchus Eretriae, Philistides Orei ad summam imperii evecti sunt, iidem, quorum in locis or. de cor. de quibus agimus, crebrius in or. de Cherson. et Philipp. III Demosthenes meminit, et adversus quos suo consilio studioque susceptam esse expeditionem ab Atheniensibus refert de cor. p. 252. Facta vero esse illa, quae in or. Phil. III. l. c. Demosthenes narrat, ut certissimum est, post pacem demum a Philippo cum Atheniensibus conciliatam, ita consentaneum, non ante Olymp. CIX, 1. Nam in orat. adv. Philipp. II, quae secundum Dionys. Hal. ep. ad Amm. c. 11. illo anno habita est, in recensitis a Demosthene iniuriis, quas post pacem factam perpetrasset Philippus, Euboeae nusquam mentio iniecta est. At statim in or. de m. g. legat., sequenti anno Olymp. CIX, 2 habita (Dion. H. l. c.), mercenarii Macedones in Euboea occurrunt p. 404, et conari Philippum Demosthenes refert, ut sibi Euboea propugnaculum adversus Athenas fieret: *καὶ ἐν Εὐβοίᾳ κατασκευασθησόμενα ὁρμητήρια* (p. 409); *ὁρμητήρια ἐφ' ὑμᾶς ἐν Εὐβοίᾳ Φίλιππος προςκατασκευάζεται* (p. 445). Cf. p. 367, 368, 448. Nondum tamen institutos a Philippo memorat tyrannos. In orationibus autem de Cherson. et Philipp. III, quae Olymp. CIX a. 3 habitae sunt (v. Dionys. H. l. c.), Philippum et Euboeam sibi iam arrogasse, et tyrannos singulis praefecisse urbibus frequentissime clarissimisque verbis inter recentissima eius facinora numerat: *αἱ δ' ἐν Εὐβοίᾳ πόλεις οὐχ ἤδη*

τυραννοῦνται. Phil. III, p. 117. [*ἐν Εὐβοίᾳ*] *δύο κατέστησε τυράννους* de Cherson. p. 99. His igitur in orationibus ubique Demosthenes illam rerum Euboicarum conversionem ut recens factam memorat, eamque malis illis pacis cum Philippo compositae eventibus annumerat, per quos deinde Philippus vim suam ac potentiam Atheniensium detrimento latius extenderit; ita, ut dubitandum non sit, tentasse Philippum res Euboicas Olymp. CIX anno circiter primo, ab eoque adiutos mox Clitarchum Eretriae, Philistidem Orei dominatione esse potitos. Et haec quidem duo illa Philippi facinora fuerint, quae a Demosthene (de cor. p. 252) indicantur verbis: *ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο* et *ἐπειδὴ τυράννους ἐκεῖνος ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησε.*

Itaque quum Philippus Euboeam sibi reddere obnoxiam esset molitus, excitatos a se Demosthenes refert Athenienses ad legationem in Euboeam mittendam: *εἶτα τὴν εἰς Εὔβοιαν* [*πρέσβειαν ἔγραψα*], *ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο* de cor. p. 252. Per hanc foedus Athenienses inter et Euboeenses conciliatum est, cuius quae fuerit ratio, Aeschines copiose exponit in Ctes. p. 66 sq., unde potiora nos hic ut perscribamus, res ipsa requirit. Callias igitur Chalcidensis tyrannus, quem post eiectum Eretria Plutarchum commodis Philippi aliquamdiu inserviisse supra cognovimus, postquam per iniurias primum Philippi, tum, ad quos deinde transierat, Thebanorum etiam sibi inimicitiam contraxerat, minante ab utrisque periculo, consilii inops unam spem salutis reliquam vidit, si populum Atheniensem iure iurando sibi obstringeret. Missis igitur legatis Demosthenis opera societatem Atheniensium sibi conciliavit ea conditione, ut Chalcidensibus non esset Athenas ad concilium conveniendum, nec ullum tributum persolvendum. Qua societate impetrata, haud ita longe post ipse Callias Athenas advenit, et progressus in concionem aiebat: venire se ex

Peloponneso, ac nuper centum talentorum reditum contra Philippum comparasse ab Achaeis et Megarensibus etiamque ab Euboicis urbibus. Eius orationem excepit Demosthenes. Renunciabat is legationem Peloponnesiacam et Acarnanam, quas nuperrime obiisset; omnesque Peloponnesios aiebat paratos habere, omnes item Acarnanes a se contra Philippum armatos esse. Summam autem pecuniae esse tantam, unde naves expeditae centum compleri possent, et decem millia peditum conscribi et equites mille; praeterea urbanas copias restare, e Peloponneso amplius bis mille armatos, ex Acarnania totidem alios. Ab his autem omnibus principatum Atheniensibus datum. Atque haec confectum iri non diuturno temporis spatio, sed decimo sexto Anthesterionis. Denunciatum enim a se urbibus esse, ut ad plenilunium omnes Athenas convenirent. His renunciatis decerni legatos iussit Demosthenes, qui Eretriam irent et Oreum, et foedus facerent adversus Philippum cum Eretriensium et Oritarum populo ea conditione, ut neque Athenas ad concilium convenire, nec Atheniensibus tributa solvere, quod fecisset antea, in posterum teneretur, sed Chalcide commune Euboicarum civitatium concilium fieret eique Callias praeesset. Foedere autem facto bellum continuo adversus Philippum in Euboea gestum esse docent reliqua Aeschinis verba. Oritas enim bello confectos ne talentum quidem solvere Demostheni potuisse refert, quod foedere isto conciliando meruisset.

Iam vero de tempore legationis huius foederisque facti difficilior quaestio instituenda erit. Demosthenes or. de cor. p. 252. legationem ad foedus cum Euboicis civitatibus ineundum decrevisse se dicit inter prima Philippi ad Euboeam suo imperio subiiciendam molimina; expeditionem vero Eretriensem et Oritanam post institutos Orei Eretriaeque tyrannos. Prima au-

tem illa Philippi molimina in annum Olymp. CIX primum conferenda sunt. Primam enim eorum mentionem Demosthenes facit in orat. π. παραπρ., quae Olymp. CIX a. 2 nimirum ineunte habita est; quippe nusquam in ea orator Ambraciam Philippi expeditionem commemorat, Thessalam tangens p. 424, Olymp. CIX a. 1 medio aut exeunte susceptam (Diod. S. XVI, 69. Cf. cap. h. nr. sup.). Eoque tempore Philippus ad componendas intestinas Eretriensium turbas mercenarios misisse videtur, Porthmum*) et urbem occupaturos: *καὶ μὴν ὁσάκις πρὸς Πορθμῷ ἢ πρὸς Μεγάροις ἀκούοντες δύναμιν Φιλίππου καὶ ξένους ἐθορυβεῖσθε.* Dem. π. παραπρ. p. 368. Atque in or. Phil. IV, quae verae orationis Demosthenicae partes aliquas continet, sed aliarum orationum laciniis consarcinatas, p. 133 orator Porthmum dirutum Eretriaeque tyrannum praefectum ante tentatam Megarorum expugnationem constituit, postea Oreum captum refert. Et confirmare eum rerum ordinem ipsa etiam oratio de m. g. leg. videtur, in qua Euboica Philippi molimina ubique cum tentata Megarorum occupatione coniuncta occurrunt. V. ll. s. cc. et maxime orat. huius p. 448: *τίς δ' Εὔβοιαν ἀλλοτρίαν [πεποίηκε]; τίς Μέγαρα πρῴην ὀλίγου;* Unde concludi posse videtur, Porthmi moenia diruta iam esse Olymp. CIX, 1, quo facto simul etiam Clitarchus sua cum factione summa rerum potitus sit. Id quod eo etiam probabile fit, quod in or. Phil. III, Olymp. igitur CIX, 3, p. 125 Demosthenes bis iam libertatem recuperare conatos Eretrienses dicit esse, bis tamen eosdem a Philippo depulsos. —

*) Porthmum Harpocration Euboeae oppidum vocat, Eretriae castellum fuisse manifesto docet Philipp. III. p. 125 et or. de cor. p. 248 verba: *κατασκάπτων Πορθμόν·* nimirum ad mare situm in ipsoque traiectu, unde nomen.

Oreo potitum esse Philippum Demosthenes refert post institutam Eretriae tyrannidem Phil. IV. p. 133. Et expugnata urbs est haud dubie Olymp. CIX a. 2 exeunte, aut currente demum tertio, id quod testantur Demosthenis de Cherson. oratio et adv. Philpp. III, in quibus Oreum recentissime impugnatum captumque orator commemorat: *τί δ' ἂν ἀπελθὼν ἐκ Θρᾴκης καὶ μηδὲ προςελθὼν Χεῤῥονήσῳ μηδὲ Βυζαντίῳ, — ἐπὶ Χαλκίδα ἢ Μέγαρα ἴῃ τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπ' Ὠρεὸν πρῴην;* de Cherson. p. 94; et Philipp. III. p. 113 memorata Philippi expeditione adversus Phocenses (Ol. CVIII 2/3) et posteriori adversus Pheras Thessaliae (Ol. CIX, 1 extr.): *καὶ τὰ τελευταῖα*, addit, *τοῖς ταλαιπώροις Ὠρείταις τουτοισὶ ἐπισκεψομένους ἔφη τοὺς στρατιώτας πεπομφέναι κατ' εὔνοιαν· πυνθάνεσθαι γὰρ αὐτοὺς ὡς νοσοῦσι καὶ στασιάζουσιν ἐν αὐτοῖς κ. τ. λ.* Expugnatis autem Porthmo Oreoque institutam in Euboea tyrannidem esse, supra cognovimus ex or. Phil. III, p. 125, 119, id quod docet etiam or. de cor. p. 248. Et Eretriae quidem Clitarchus summa rerum potitus videtur esse Olymp. CIX anno iam nimirum primo, sed, rebellione ab Eretriensibus bis tentata, Philippi subsidiis denuo missis tyrannidem obtinuit et confirmavit Olymp. CIX, 2 peroratis haud dubie iam orationibus de legatione male gesta; quo facto recentius Olymp. CIX anno demum tertio Philistides Orei dominationem assecutus est. Quam ob rem in orationibus de Cherson. et Philipp. III ita de Euboea orator loquitur, ac si nuperrime sit in utraque illa urbe instituta tyrannis, quae tamen apud Eretrienses certe fuit iam longior; ita ut, si in or. de cor. p. 252: *εἶτα τὴν εἰς Εὔβοιαν*, orator ait, [*πρέσβειαν ἔγραψα*], *ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο, εἶτα τὴν ἐπ' Ὠρεὸν ἔξοδον, οὐκέτι πρέσβειαν, καὶ τὴν εἰς Ἐρετρίαν, ἐπειδὴ τυράννους ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησε*, verba haec non ita intelligenda videantur esse, ac si omnino nondum instituta

in Euboea tyrannorum dominatio fuerit, quo tempore Athenienses legationem in Euboeam miserunt. Et fuisse re vera iam tum temporis Clitarchum Eretriae tyrannum Aeschines perspicue docet or. in Ctes. p. 68 med.

His igitur excussis certiori iam via quaestionem de tempore legationis illius Euboicae persequi poterimus. In quo id primum constat ex Aesch. or. in Ctes. p. 67 extr., legationem missam, aut certe decretam esse mense Anthesterione, quem Anthesterionem fuisse Olymp. CIX anni aut primi, aut secundi, aut denique tertii necesse est, et quod Olymp. CIX, 1 Philippus Euboeae imperium violentia primum coepit affectare, et quod Olymp. CIX, 4 Clitarchum insula expulsum iam esse Diodorus refert. Iam primo anno Olymp. CIX, etiamsi eo iam Philippus mercenarios in Euboeam miserat, foedus tamen inter Athenienses et civitates Euboicas ictum esse non potuit. Nam in or. *π. παραπρ.*, Olymp. igitur CIX, 2, ubique Demosthenes Euboeam ab Atheniensibus abalienatam conqueritur; immo p. 364 Euboeenses *καταράτους* vocat, nimirum quod nuperrimis Atheniensium monitis et cohortationibus aut Atheniensis factionis consiliis obtemperare denegarint. — In Anthesterione Olymp. CIX, 2 conspirant plurima: primum, quod Demosthenes missam esse legationem dicit, *ἡνίκα τῆς Εὐβοίας* [*ὁ Φίλιππος*] *ἥπτετο*, tum quod Aeschines or. in Ctes. p. 68 Clitarchum tum temporis Eretriae tyrannum fuisse docet, Oritas tamen *δημοκρατουμένους* vocat, quod ad Anthesterionem Olymp. CIX, 3 difficilius videtur referri posse, denique et maxime, quod decrevisse se legationem Euboicam Demosthenes dicit (de cor. 252) post legationem Peloponnesiacam, quam sup. l. ad Olymp. CIX, 2 retulimus ex Dem. or. Philipp. III, p. 129, et ipse etiam Aeschines (in Ctes. p. 67) Demosthenem ea ex legatione reversum, quam nuperrime

in Peloponnesum obierit, novam istam Euboicam legationem proposuisse refert. At Aeschines simul cum Peloponnesiaca illa legatione Demòsthenem Acarnanam etiam obiisse dicit, quae non commemoratur or. Philipp. III. l. c., quamquam in eo commemorari non tam poterat, quam debebat. Attamen Olymp. CIX, 2 cum Peloponnesiaca legatione coniunctam esse potuisse etiam Acarnanam, omninò possit probabile reddi. Olymp. CIX, 2 Philippus in Peloponnesum ingredi moliebatur, Megarisque Olymp. CIX, 1 depulsus Ambraciam et Leucadem ad exsequenda, ut videtur, ista potissimum consilia sua in potestatem suam redigere cupiebat. In illo rerum statu Athenienses legationem in Peloponnesum miserunt eam, de qua egimus loco proxime praecedenti. Eamque obiit Demosthenes. Idem eodem nimirum tempore Ambraciam quoque legatus venit, ubi Philippi legatos superasse se gloriatur de cor. p. 308. Quid in ista rerum conditione verisimilius est, quam instante tum Philippi in Ambraciam et Leucadem impressione vicinos etiam Acarnanes ad arma excitatos ab Atheniensibus esse, quum praesertim eadem opportunitate Athenienses mercenarios in Acarnaniam misisse constet, nimirum ut Philippi impetus a regionibus illis depellerent. V. cap. h. nr. sup. Potuit igitur Demosthenes Olymp. CIX, 2 cum Peloponnesiaca legatione simul etiam Acarnanam obire; unde probabile rursus fieret, quod supra nobis videbamur coniicere posse: or. Phil. III, p. 129 in verbis: *οὐδ' αἱ πέρυσι πρεσβεῖαι αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον ἐκεῖναι καὶ κατηγορίαι, ἃς ἐγὼ — καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις περιήλθομεν καὶ ἐποιήσαμεν...* pro *κατηγορίαι*, quod ne quadrare quidem videtur ad *περιήλθομεν*, legendum *Ἀκαρνανίαν* esse, id quod eo etiam probabilius videri posset, quod legationibus illis prohibitum esse Philippum Demosthenes dicit, quominus in Peloponnesum invaderet, et

Ambraciam aggrederetur. Et poterant iam tum Athenienses, Olymp. CIX, 2, Philippi in Thessaliam expeditione, eiusdem in Euboea molimiuibus, tentata Megarorum occupatione, recentissimis adversus Ambraciam et Leucadem consiliis imminenteque in Peloponnesum impressione ita exsuscitati esse, ut de convocandis omnibus Graecis ad foedus adversus Philippum cogitarent. — Sed possunt eadem Atheniensium consilia simul cum Peloponnesiaca illa, quam Aeschines affert, Acarnanaque Demosthenis legatione et commodius fortasse ad Olymp. CIX, 3 referenda videri, quo tempore, Philippo Chersonesi Hellespontique regionibus imminente, Athenienses adeo et perterriti erant et exacerbati, ut de rumpenda iamiam pace congregandisque quotquot possent Graeciae civitatibus meditarentur. Ea opportunitate Demosthenes orationem de Cherson. et adv. Philipp. III peroravit, in quibus Athenienses acerrimis orationis stimulis concitat, ut studium iam praestent et constantiam, quasvis Graeciae civitates per legatos adeant, ad foedus et arma provocent, quippe pace a Philippo iam dudum violata et rupta. V. or. de Cherson. p. 109. Phil. III p. 129: *τοὺς ἄλλους ἤδη παρακαλῶμεν, καὶ τοὺς ταῦτα διδάξοντας ἐκπέμπωμεν πρέσβεις πανταχοῖ, εἰς Πελοπόννησον, εἰς Ῥόδον, ὡς βασιλέα λέγω.* Cf. p. 130. Huc nonne optime convenire videntur omnia ea, quae Aeschines Calliam atque Demosthenem Athenis de Graecarum civitatium animis ad bella paratissimis renunciasse refert in Ctes. p. 67, istisque Demosthenis cohortationibus nonne effecta potuit esse legatio in Peloponnesum et Acarnaniam ea, de qua reversum Demosthenem foedus cum Eretriensibus Oritanisque continuo decrevisse Aeschines narrat? Atque hanc sententiam adiuvare etiam videntur tempora orationum de Cherson. et Philipp. III. Retulit Demosthenes Peloponnesiaca illa Acarnanaque legatione modo

perfunctus, omnes Graecos, qui a se ad arma provocati essent, Anthesterionis XVI ad commune concilium Athenas conventuros esse: Aesch. l. c. Legationes igitur illas obierit necesse est mense Gamelione. Quae si demandatae ei sint, quod omnino statuendum erit, postquam orationibus de Cherson. et Philipp. III ad bellum redintegrandum excitati essent Athenienses, orationes has et haud longo temporis intervallo, et mense nimirum Maemacterione aut Pyanepsione habitas esse oportet.

Nostrum igitur iam est, ut orationum de Cherson. et Philipp. III tempora accurate pervestigemus. Eas Dionysius Hal. in Olymp. CIX a. 3 confert, quo anno re vera eas habitas esse ipsarum orationum argumenta apprime confirmant. Habitae enim sunt, dum Philippus in Thracia versabatur, et expeditionem iam in Hellesponti regiones moliebatur, per quam, brevi post susceptam, Olymp. CIX, 4 Perinthum obsidione clausit, deindeque Byzantium. V. or. de Cherson. p. 90, 93, 94, 98, 100, 104, 105. Phil. III, p. 115, 118, 120. Cf. cap. h. nr. 7. Accuratius tempora exploraturus, orationem de Cherson. hieme habitam esse, quae doceant, multa invenies, eorumque primum et clarissimum continent verba haec: *οὐ γὰρ οὕτω γ' εὐήθης ἐστὶν ὑμῶν οὐδεὶς ὃς ὑπολαμβάνει τὸν Φίλιππον τῶν μὲν ἐν Θρᾴκῃ κακῶν — ἐπιθυμεῖν, καὶ ὑπὲρ τοῦ ταῦτα λαβεῖν καὶ πόνους καὶ χειμῶνας, καὶ τοὺς ἐσχάτους κινδύνους ὑπομένειν, τῶν δὲ Ἀθήνησι λιμένων καὶ — οὐκ ἐπιθυμεῖν, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐάσειν ὑμᾶς ἔχειν, ὑπὲρ δὲ τῶν μελινῶν καὶ τῶν ὀλυρῶν τῶν ἐν τοῖς Θρᾳκίοις σιροῖς ἐν τῷ βαράθρῳ χειμάζειν.* p. 100. Ibid. p. 90 (coll. 98) undecimum iam mensem cum Thracia expeditione occupatum esse Philippum Demosthenes dicit. Hanc igitur praecedentis anni vere susceperat, quod idem loco proxime praecedenti aliis ex argumentis probavimus. In Thraciam igitur si Anthesterione mense aut

Elaphebolione movit Philippus, oratio de Cherson. Olymp. CIX, 3 Pyanepsione aut Gamelione habita sit. Quo in tempore alia quoque orationis argumenta conspirant. Etenim p. 94 Demosthenes auditorum animos advertit ad imminens ver: *ἆρ' ὁρᾶτε καὶ λογίζεσθε, ὦ ἄ. Ἀθ., τὴν ἐπιοῦσαν ὥραν τοῦ ἔτους, εἰς ἣν ἔρημόν τινες οἴονται δεῖν τὸν Ἑλλήσποντον ὑμῶν ποιῆσαι καὶ παραδοῦναι Φιλίππῳ;* p. 93 novas ex Macedonia Thessaliaque copias accire Philippum dicit, nimirum ut incipiente vere continuo in Hellesponti regiones moveret; eodemque loco orator veretur, ne Philippus exspectatis Etesiis Byzantium invaderet, quo tempore Atheniensibus opitulandi facultas nulla esset futura. Etesias autem oriente cane spirasse satis constat. —

Post orationem de Cherson. orationem Philipp. III Dionysius Hal. l. c. constituit. Illam Demosthenes habuit ad defendendum Diopithem, Atheniensium in Chersoneso praetorem, contra criminationes Philippi. Is enim conducto sua sponte mercenariorum exercitu et mare latrociniis infestabat (de Cherson. p. 92), incursabatque Cardianos, Atheniensium in Chersoneso ex pristinis temporibus adversarios. His patrocinium implorantibus Philippus copias auxiliares misit (de Cherson. p. 104), postquam Olymp. CIX, 2 Atheniensibus, ut de sua dissensione lege cum Cardianis agerent, incassum proposuerat. Quo facto Diopithes, Philippo inde a vere Olymp. CIX, 2. in mediterranea Thracia bellum gerente, maritimam Thraciae partem invasit et devastavit (v. argmt. ad or. de Cherson.) eam nimirum, quae Philippi facta est Olymp. CVIII a. 2. exeunte, Cersoblepte debellato. Quam ob rem Philippus epistolam Athenas misit, in qua et Diopithem accusabat, et, nisi coercerent eum Athenienses, in Chersonesum velle se invadere minabatur (de Cherson. 93 sq.). Una tum Atheniensium factio, ut Diopithes conductas mercenariorum copias dimit-

teret, postulabat. Demosthenes contra oratione de Cherson. Diopithem defendit, imminentiumque periculorum descriptione Athenienses dehortatur, ne Chersonesum privare velint praesidiariis, quos sibi comparare Diopithes temporum necessitate et ipsis Philippi iniuriis coactus fuerit. — Iam oratio adv. Phil. III habita videtur esse ad epistolam legationemve ipsis ab Chersonesitis missam, rogantibus, ut sibi pecunia aliisque subsidiis opem ferrent Athenienses: *τοῖς μὲν ἐν Χεῤῥονήσῳ χρήματ' ἀποστέλλειν φημὶ δεῖν καὶ τἄλλα ὅσα ἀξιοῦσι ποιεῖν.* Phil. III, p. 129. Quae Chersonesitarum rogatio consecuta videtur esse, postquam Diopithes a Philippo accusatus, defensusque a Demosthene erat. Nam p. 114: *ὁ τοίνυν Φίλιππος*, orator ait, *ἐξ ἀρχῆς, ἄρτι τῆς εἰρήνης γεγονυίας, οὔπω Διοπείθους στρατηγοῦντος οὐδὲ τῶν ὄντων ἐν Χεῤῥονήσῳ νῦν ἀπεσταλμένων, Σέῤῥιον καὶ Δορίσκον κατελάμβανε καὶ τοὺς ἐκ Σεῤῥίου τείχους καὶ ἱερου ὄρους στρατιώτας ἐξέβαλλεν.* Quae verba si conferantur cum verbis orationis de Cherson. his: *φαίνεται δ' ἀπ' ἀρχῆς ὁ Φίλιππος, πρὶν Διοπείθην ἐκπλεῦσαι καὶ τοὺς κληρούχους οὓς νῦν αἰτιῶνται πεποιηκέναι τὸν πόλεμον, πολλὰ μὲν τῶν ἡμετέρων ἀδίκως εἰληφώς,* manifesto docent cogitare oratorem de iniuriis eis, quarum Diopithem accusavit Philippus, Demosthenes oratione de Cherson. immunem praestare conatur. Ceterum Cardiam possidere Philippus dicitur in orat. adv. Phil. III, p. 120, sicuti etiam in orat. de Cherson. In Chersonesum tamen novas etiam copias misisse Philippus videtur (qua de re v. cap. h. nr. 9): *φέρε δὴ νῦν, ἡνίκ' εἰς Χεῤῥόνησον, ἣν βασιλεὺς καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες ὑμετέραν ἐγνώκασιν εἶναι, ξένους εἰςπέμπει καὶ βοηθεῖν ὁμολογεῖ καὶ ἐπιστέλλει ταῦτα, τί ποιεῖ;* p. 114; — nisi ipsa haec etiam ad subsidia Cardianis missa potius referenda videantur; — et adversus Byzantios profectionem iam instituisse. V. l. c. coll. p. 118. Quamobrem Demosthenes hac in oratione

Athenienses excitat, ut missis consultationibus continuo iam Chersonesitis Byzantiisque auxilia mittant, ne quid inexspectati patiantur, provideant, quem in Hellesponto alant exercitum, augeant et necessariis instruant: p. 115. In reliquis nihil oratio Phil. III. differt ab illa de Cherson.; in utraque orator animos Atheniensium advertit ad instantem Byzantii obsidionem; in utraque ad mittendos quovis gentium legatos imminente iamiam periculo excitat; in utraque denique tristem Euboeensium conditionem miseratur, inque Atheniensium securitatem indignatus invehitur, ita ut sine ulla dubitatione brevi post orationem de Cherson. habitam etiam Philipp. III esse, possimus statuere. Et accuratius quidem orationis Philipp. III' tempus possit non nemo indicatum suspicari in verbis: *τίθησι μὲν τὰ Πύθια, τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων ἀγῶνα, κἂν αὐτὸς μὴ παρῇ, τοὺς δούλους ἀγωνοθετήσοντας πέμπει*, p. 119. Philippus enim Olymp. CIX, 3 in Thracia versabatur, ideoque non poterat Pythicis ludis adesse, ita ut verba: *κἂν αὐτὸς μὴ παρῇ, τοὺς δούλους* etc. referri posse videantur ad Munychionem Olymp. CIX, 3. Sed respicere haec eo, quo illic afferuntur contextu, etiam possunt ad res Olymp. CVIII, 3 gestas.

Iam igitur si oratio de Chersoneso absque omni dubitatione Olymp. CIX, 3 mense circiter Pyanepsione habita est, si brevissimo temporis intervallo post eam etiam Philipp. III, poterant etiam Athenienses utrisque excitati Gamelione mense legationem in Peloponnesum novam et ad Acarnanes Demostheni demandare, potuit Demosthenes legationibus illis perfunctus Anthesterione mense Olymp. CIX, 3 alias in Euboeam ad Eretrienses et Oritas legationes decernere. Et multa adsunt argumenta, quae opinionem hanc omnino confirmare videantur, et quae foederi cum Euboeae civitatibus ad Olymp. CIX a. 2 referendo magna

ex parte repugnant. Atque primum, si Olymp. iam CIX, 2 foedus esset cum Euboea factum, indicatam quovis modo rem iure exspectares in orat. de Cherson. et Philipp. III, quippe in quibus rerum Euboicarum frequentissimam orator faciat mentionem. Verumenimvero non solum longe abest, ut Euboeenses socios Atheniensium dicat, sed ipsis etiam eis propriae miseriae culpam acerbe iniungit: *καλήν γ' οἱ πολλοὶ νῦν ἀπειλήφασιν Ὠρειτῶν χάριν, ὅτι τοῖς Φιλίππου φίλοις ἐπέτρεψαν αὑτούς, τὸν δ' Εὐφραῖον ἐώθουν· καλήν γ' ὁ δῆμος ὁ Ἐρετριέων, ὅτι τοὺς μὲν ὑμετέρους πρέσβεις ἀπήλασε, Κλειτάρχῳ δ' ἐνέδωκεν αὑτόν· δουλεύουσί γε μαστιγούμενοι καὶ στρεβλούμενοι.* Phil. III, p. 128. Et postrema verba perspicue docent, missam iam antea legationem Eretriam esse, eandem tamen ipsis ab Eretriensibus repulsam, Olymp. CIX, ni fallor, a. iam 2, quia in or. *π. παραπρ.* p. 364 *καταράτους* Euboeenses Demosthenes vocat, quod haud dubie nuperrimis Atheniensium cohortationibus obtemperare detrectarint. In iisdem tamen orationibus tanta cum acerbitate et indignatione miseram Euboeae conditionem orator describit, et in Atheniensium securitatem et negligentiam invehitur, eos ut omni modo ad ea, quae mox ab eis suscepta sunt et Olymp. CIX, 4 confecta, excitare velle videatur. Audias eum or. de Cherson. p. 98, qua ratione Graecos contendit iure posse Athenienses alloqui: „*εἶτ', ὦ πάντων ἀνθρώπων φαυλότατοι, δέκα μῆνας ἀπογενομένου τἀνθρώπου* [*Φιλίππου*] (nempe in Thracia) *νόσῳ καὶ χειμῶνι καὶ πολέμοις ἀποληφθέντος, ὥστε μὴ ἂν δύνασθαι ἐπανελθεῖν οἴκαδε, οὔτε τὴν Εὔβοιαν ἠλευθερώσατε, οὔτε — ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ὑμῶν οἴκοι μενόντων, σχολὴν ἀγόντων, ὑγιαινόντων — δύο ἐν Εὐβοίᾳ κατέστησε τυράννους κ. τ. λ.* Cf. Phil. III, p. 118, 119. — Conspirant etiam alia. Aeschines Calliam, Chalcidis tyrannum, eo tempore iniisse cum Atheniensibus foedus refert metu, ne a Philippo op-

primeretur. Ad haec quadrant Demosthenis verba in or. de Cherson.: *τί δ' ἂν ἀπελθὼν ἐκ Θρᾴκης καὶ μηδὲ προςελθὼν Χεῤῥονήσῳ μηδὲ Βυζαντίῳ, ἐπὶ Χαλκίδα ἢ Μέγαρα ἥκῃ τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπ' Ὠρεὸν πρῴην, πότερον κρεῖττον ἐνθάδε αὐτὸν ἀμύνεσθαι — ἢ κατασκευάζειν ἐκεῖ τιν' ἀσχολίαν αὐτῷ;* p. 94. Eundem Calliam eodem ipso tempore, quo decreta est Atheniensium in Euboeam legatio, excitasse Aeschines dicit Achaeos, Megarenses et urbes Euboicas ad bellum adversus Philippum, et a cunctis centum talentorum stipem eum in finem conferendam impetrasse. Or. in Ctes. p. 67. Et ad istos nimirum Calliae conatus respiciunt or. Philipp. III verba haec: *αὐτοὺς παρασκευάζεσθαι [λέγω], καὶ πρώτους ἃ χρὴ ποιοῦντας τότε καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας συγκαλεῖν, συνάγειν, διδάσκειν, νουθετεῖν· ταῦτ' ἐστὶ πόλεως ἀξίωμα ἐχούσης ἡλίκον ὑμῖν ὑπάρχει. εἰ δ' οἴεσθε Χαλκιδέας τὴν Ἑλλάδα σώσειν ἢ Μεγαρέας, ὑμεῖς δ' ἀποδράσεσθαι τὰ πράγματα, οὐκ ὀρθῶς οἴεσθε.* p. 130. — Attamen obstat opinioni ei, ex qua legatio ad foedus adversus Philippum ineundum in Euboeam missa sit demum Anthesterione Olymp. CIX, 3, Demosthenes, qui de cor. p. 252 legationem hanc decrevisse se dicit post Peloponnesiacam eam, quae non potest nisi ad Olymp. CIX a. 2 referri, idque inter prima Philippi molimina, quibus imperium suum in Euboea confirmare conatus sit. Et si hunc quidem minus accurate locutum esse statuas, et verba: *εἶτα τὴν εἰς Εὔβοιαν [πρέσβειαν], ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο,* oratoria quadam iactatione ad praecedentia: *τὴν εἰς Πελοπόννησον πρέσβ., ὅτε πρῶτον ἐκεῖνος εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο* accommodasse, oberit tamen ipsa Eretriae Oreique conditio, in qua orationum de Cherson. et Philipp. III tempore versabantur. Etenim in or. de Cherson. Demosthenes invasisse Philippum iam Oreum refert: *τί δ' ἂν — ἐπὶ Χαλκίδα ἢ Μέγαρα ἥκῃ τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπ' Ὠρεὸν πρῴην.* p. 94. Ibi-

dem p. 99 duos Philippum in Euboea constituisse tyrannos dicit, alterum e regione Atticae communientem, id est Eretriae, alterum, quod memorandum est, in Sciatho. Sed posterior hic quisnam est? Nonne ad Oreum referendus? Manifesto de Philistide cogitat orator, qui aut, si captum iam tum Oreum erat, in insula illa superne sita firmam sibi sedem paravit, quod sibi Orei nondum satis tutus videbatur esse, aut si nondum expugnata urbs erat, accitis a Philippo mercenariis illic sese communivit, Oritas inde impugnaturus, id quod eo possit verisimilius videri, quod p. 104 mercenarios Philippi non Orei, sed in Oritana regione versari Demosthenes dicit: *ἐκεῖνος μὲν γὰρ οὐ πολεμεῖν ἡμῖν [φησὶ], ὥςπερ οὐδ' Ὠρείταις τῶν στρατιωτῶν ὄντων ἐν τῇ χώρᾳ*, nimirum ad urbem oppugnandam. — Iam in orat. Philipp. III, p. 113 recentissime Oritis, Demosthenes ait, Philippus immisit mercenarios *κατ' εὔνοιαν· πυνθάνεσθαι γὰρ αὐτοὺς ὡς νοσοῦσι καὶ στασιάζουσιν ἐν αὐτοῖς, συμμάχων δ' εἶναι καὶ φίλων ἀληθινῶν ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς παρεῖναι*, p. 117. tyrannis servire iam urbes Euboicas dicit; p. 119 mittere mercenarios Philippum dicit Porthmum ad eiiciendum populum Eretriensem, Oreumque, tyrannum Philistidem communituros; p. 125 sq. Porthmum dirutum refert et Clitarchum Eretriae constitutum; bis rebellasse Eretrienses, bis novis Philippi subsidiis repulsos; expugnatum iam etiam Oreum et subactos sub tyrannidem cives; denique p. 128 pessime tyrannide affectos Eretrienses et Oritas miseratur: *δουλεύουσί γε μαστιγούμενοι καὶ στρεβλούμενοι.*

In tali vero rerum statu Athenienses quo modo cum Eretriensibus Oritisque foedus inire potuerint, utrisque tyrannide pressis, et ipsi quidem legationem in Euboeam mittere? Potuerunt sane, si aut clam agebant cum Eretriensium Oritarumque populo, quem non tam propria voluntate, quam intestinis discordiis

in abominabilem illam conditionem detrusum dicit Demosthenes Phil. III. p. 127, aut si dolo aliquo usi sunt adversus eos, qui tum summam rerum Eretriae Oreique tenebant. Et adiuvare posteriorem hanc sententiam quodammodo Aeschines videtur, qui ad Eretrienses missos legatos Atheniensium dicit, nil rogaturos nisi, ut quinque tributorum talenta in posterum Chalcidem conferrent, ad Oritas tamen alios rogaturos etiam, ut eundem Oritae hostem amicumve aestimarent, quem Athenienses. Eretriensium enim Clitarchus iam tum tyrannus secundum Aeschinem fuit, quippe qui Demosthenem a Clitarcho pro foedere isto unius talenti donum accepisse insimulet; idem vero Oritas *δημοκρατουμένους* appellat, quippe apud quos et admodum brevis Philistidae tyrannis fuerit, eaque omnino ne sedem quidem firmam sibi comparasse videatur, quum Eretriensium dominationem Clitarchus ex longiori iam tempore sibi asseruerit. Itaque erga Clitarchum Athenienses amicum animum simulabant, ut Philistidem primum cum factione Philippica eo facilius Oreo possent depellere. Liberatis tamen Oritis ipsum etiam Clitarchum adorti sunt. Utque eo certius animos sibi et fidem Eretriensium Oritarumque conciliarent, Euboicarum civitatium concilium Chalcidem congregabant, ne si Athenas tributa persolvere tenerentur, gravior eis et periculosa Atheniensium societas videretur. Atque iusto foedere cum Oritis primum facto, his etiam prima subsidia missa, per eaque liberatis Oritis altera deinde Eretriam expeditio ad eiiciendum Clitarchum suscepta videtur esse. Ita enim Demosthenes: *εἶτα τὴν ἐπ' Ὠρεὸν ἔξοδον — καὶ τὴν εἰς Ἐρετρίαν.* — Atque postrema haec stabunt etiam si Olymp. CIX, 2 Anthesterione mense factum est foedus cum civitatibus Euboicis; ceteraque item commode in ordinem redigi poterunt. Potitus enim eo tempore Clitarchus iam

erat Eretria, nondum tamen ad obsequium compositi erant Eretriensium animi; Oreum nondum quidem captum a Philippo erat, sed iam intentatum; ipsique etiam Calliae, Chalcidis tyranno, periculum imminebat. Cum hoc igitur Athenienses primum societatem ineunt. Comparatisque a Callia Eretriensium Oritarumque animis, quo tempore Philippus dimissa in Ambraciam profectione in Thraciam movit, commune Euboicarum civitatium concilium Chalcidem congregandum agitant, ut soli Euboeae libertati prospicere videantur; atque cum Oritis, nondum tyranno subactis, foedus etiam ineunt, Clitarcho dominationem concedunt, ne ab hac parte impediantur. Nihilominus Oreum Philistides accitis a Philippo mercenariis impugnat Olymp. CIX, 3, et Philippicae factionis opera in potestatem suam redigit. Quo facto Athenienses orationibus de Cherson. et Philipp. III ad pacem solvendam excitati Olymp. CIX, 3 ineunte vere, instanteque Philippi in Hellesponti regiones impressione, auxilia in Euboeam mittenda decernunt. Universae tamen huic sententiae quae obstent, supra indicata sunt. Et repugnat id quam maxime, quod si Olymp. CIX, 2 iustum iam cum Oreo foedus contra Philippum factum esset, Oritis Olymp. CIX, 3, urbe a Philippi copiis impugnata, etiamque capta, implorandum utique Atheniensium fuisset auxilium, id quod in orat. Phil. III commemorandum profecto Demosthenes non dereliquisset.

Sed nos in rebus his satis iam in utramque partem excussis conquiescentes ad finem iam disputationis huius convertimur. De illis igitur utut statuas, missam esse legationem Olymp. CIX, 2, an demum Olymp. CIX, 3; expeditionem adversus Clitarchum Phocione duce missam esse Olymp. CIX, a. demum 4, Diodorus refert (XVI, 74), Demosthenes expulsos Euboea tyrannos testatur, antequam in Hellesponti re-

giones invasisset Philippus, Byzantiosque aggressus esset: de cor. p. 248, 252, et p. 254 his clarissimis verbis: *ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη — ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει· — παρελθὼν ἐπὶ Θρᾴκης Βυζαντίους — ἐπολιόρκει.* Byzantiam vero Philippi expeditionem Olymp. CIX, 4 incepisse locis proxime sequentibus accurate monstrabimus. Quod si ita se habet, Atheniensium illae expeditiones Euboicae aut Olymp. CIX anni adhuc tertii vere, aut sequenti aestate inceptae sint, necesse est. Confectae sunt auctumno Ol. CIX, 4. Decretum enim Aristonici de coronando Demosthene proximae hiemis Gamelione latum est, Euboea nuperrime liberata, ergo Ol. CIX, 4, archonte eponymo Nicomacho, non eo, qui decreto praefixus est, Chaeronda.

7. p. 254—258.
Expeditionis Byzantiae ratio et tempora illustrantur.
Inter haec agitur
8. de tempore decretorum Eubuli et Aristophontis, quae exstant p. 249 sq.

Olymp. CIX, 3. — CX, 1.

Expulsis Euboea tyrannis Philippum, in Thraciam profectum, opulentissimam in ora Propontidis urbem, Byzantium, expugnare conatum esse Demosthenes refert. Itaque post pacatam medio Olymp. CIX a. 4. Euboeam missa sunt Atheniensium auxilia ea, quibus depulsum ab illis quoque regionibus Philippum liberatosque ab extremis periculis Byzantios, Perinthios, Chersonesitas sua potissimum opera esse Demosthenes gloriatur.

Accuratiorem rerum his regionibus eo tempore gestarum historiam suppeditant Diodor. S. l. XVI, Dionys. H. in epist. ad Amm. ibique fragmenta Philochori, denique Demosthenis praesertim orationes de Chersoneso et adv. Philipp. III, IV, Philippique ad

Athenienses epistola, quae inter Demosthenis exstat orationes inde a p. 158 ed. R.

Philippus, compositis Olymp. CIX, 1 in Thessalia turbis, postquam Olymp. CIX, 2 ab Epirotica expeditione domum redierat, eiusdem adhuc anni incipiente vere denuo in Thraciam invasit (v. cap. h. nr. 5 et 6), ut, Diodoro teste (XVI, 71), Cersobleptem, Thracum regem, civitatibus Graecis, ad Hellesponti oram sitis, in dies magis insidiantem debellaret. Unde etiam civitates illas ad commune bellum Cersobleptae inferendum invitasse eum refert. Aliter de expeditionis huius consilio Demosthenes in or. de Cherson. (Olymp. CIX, 3) p. 100: *δεύτερον δ' εἰδέναι σαφῶς [δεῖ], ὅτι πάνθ' ὅσα πραγματεύεται καὶ κατασκευάζεται νῦν, ἐπὶ τὴν ἡμετέραν πόλιν παρασκευάζεται. — οὐ γὰρ οὕτω γ' εὐήθης ἐστὶν ὑμῶν οὐδεὶς ὃς ὑπολαμβάνει τὸν Φίλιππον τῶν μὲν ἐν Θρᾴκῃ κακῶν· τί γὰρ ἄλλο τις ἂν εἴποι Δρογγίλον καὶ Καβύλην καὶ Μάστειραν καὶ ἃ νῦν ἐξαιρεῖ καὶ κατασκευάζεται; τούτων μὲν ἐπιθυμεῖν — τῶν δὲ Ἀθήνῃσι λιμένων καὶ νεωρίων καὶ τριήρων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρείων καὶ τοσούτων προςόδων οὐκ ἐπιθυμεῖν, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐάσειν ὑμᾶς ἔχειν, ὑπὲρ δὲ τῶν μελινῶν καὶ τῶν ὀλυρῶν τῶν ἐν τοῖς Θρᾳκίοις σιροῖς ἐν τῷ βαράθρῳ χειμάζειν. οὐκ ἔστι ταῦτα, ἀλλὰ κἀκεῖνα ὑπὲρ τοῦ τούτων γενέσθαι κύριος καὶ τἄλλα πάντα πραγματεύεται.* Thraciae locorum, quae Demosthenes his verbis commemorat, nonnisi Cabyle aliquantum nota est. Hic enim locus, quem Strabo Calyben vocat, Astorum urbs fuit, eam mediterraneae Thraciae partem incolentium, quae e septentrione Byzantii ad Pontum Euxinum porrigebatur. V. Strabo VII. cap. 6 extr. *) Cf.

---

*) Strabonis verba: *ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος,* ad

Berkel. ad Steph. Byz. v. *Καλύβη*. Atque in mediterranea Thracia Olymp. CIX, 3 bellasse Philippum, docet etiam auctor argumenti ad Dem. or. de Cherson. p. 89: *τοῦ Φιλίππου περὶ τὴν μεσογείαν τὴν ἄνω Θρᾴκην πολεμοῦντος πρὸς τὸν Ὀδρυσῶν βασιλέα.* Eo igitur tempore Philippus postquam Olymp. CVIII, 2 mense Elaphebolione inter pacis cum Atheniensibus pactionem Cersobleptae maritimam Thraciae partem eripuerat, Aegeo mari adiacentem (v. cap. h. nr. 1), mediterraneam quoque Thraciam suam in potestatem redigere conabatur, nimirum id agens, ea quoque expugnata ut Ponti Euxini Aegeique maris imperium simul sibi assereret. Nec dubium est, in mediterranea illa Thraciae parte Terem regnasse, expeditionemque illam adversus hunc et Cersobleptem, denuo haud dubie liberum imperium affectantem, simul esse a Philippo susceptam. Eodem enim fere tempore Athenienses a Philippo postulabant, ut Cersobleptem Teremque incolumes Thraciae sineret imperare, ad quae tamen a Philippo responsum est, neutrum eorum pacis Olymp. CVIII, 2 inter se et Athenienses compositae participem esse; immo Terem secum antea adversus Athenienses pugnasse, Cersobleptem vero, quum seorsim secum pacem componere voluisset, impeditum ipsis ab Atheniensium ducibus esse, qui hostem eum populi Atheniensis iudicassent. V. Epistol. Phil. ad Ath. p. 160 sq., quae scripta est Olymp. CIX a. 4 exeunte, ut statim monstrabitur.*) Sed Philippo uni-

---

hanc Philippi expeditionem Thraciam referenda esse, confirmabunt sequentia.

*) Hi duo Thraciae reges haud dubie ii etiam sunt, a quibus se per Philippi legatos invictum rediisse Demosthenes contendit or. de cor. p. 308. Quam legationem eodem, in quo nunc versamur, tempore obiisse

versi maris ad orientem vergentis imperium affectanti obstabant praeter Thraces ipsae maxime civitates Graecae, ad Propontidis oram sitae earumque in primis potentissima, Byzantium. Haec enim urbs, ad Bosporum Thracium iacens totam Euxini maris mercaturam tenebat, frumentique maxime Pontici commeatum, qui cum universam in Graeciam, tum praesertim in Atticam importabatur (V. Boeckh. Oecon. civ. Ath. Vol. I. p. 85; Wolf. ad Leptin. p. 253. et praeter Dem. de cor. p. 254, 326. etiam Strab. VII, p. 309), ita ut non sine causa Demosthenes Philippum eo potissimum consilio expeditionem illam suscepisse contendat, ut Pontum Euxinum ipsamque etiam Propontidem posset sua in potestate tenere et Athenienses frumenti commeatu privatos faciliores sibi ad obsequium reddere. Eoque nimirum consilio Philippus Thracibus oppressis novas per eam regionem urbes locis opportunis condebat, Diodoro teste XVI, 71.*) Sed iisdem ipsis inceptis altiora etiam iam tum Philippus appetiisse videtur. Cogitasse enim eum tum iam de bello regi Persarum inferendo docet Dem or. Phil. IV. p. 139. Quibus tamen Philippi studiis, quum magna Graecarum civitatium pars cupide eius societatem arriperet (Diod. l. c.), Byzantium ceteraeque urbes ad Propontidem sitae, cum Byzantio consociatae, adversabantur cum propter sua ipsarum commoda, tum ipsis haud dubie ab Atheniensibus incitatae, in quorum societatem Byzantium cum Chio Rhodoque redierat Olymp. CVI a. 2, quo bellum sociale compositum est. Quam ob rem Demosthenes Philippum ob recusatam belli, quod adversus Athenienses

---

eum una cum legatione Byzantia, eodem loco commemorata, per se consentaneum est.

*) Inde illustratur Strabonis locus, quem supra laudavimus.

molitus sit, societatem hostilia Byzantiis arma intulisse contendit: de cor. p. 254.

Itaque Philippus, quum primum duobus illis regibus imperio pulsis (epist. Phil. 161) Thracia expeditione feliciter defunctus esset, continuo in oram Propontidis movit. Id quod inceptum ab eo haud dubie iam est Olymp. CIX a. 3 exeunte. Eiusdem enim anni hieme orationem de Cherson. et brevi post Phil. III. habitas esse loco proxime praecedenti monstravimus. Eae autem quum perorabantur, Philippus in Thracia quidem adhuc versabatur, ita tamen, ut in Propontidis regiones iamiam invasurus videretur. Decem iam enim menses Philippus in Thracia consumpserat: de Cherson. p. 90 et 98. Priori autem loco orator cum magnis viribus Hellesponto imminere iam Philippum dicit, p. 106. ad Byzantium appropinquare, p. 93. novas ex Thessalia et Macedonia copias accire eum contendit, ut exspectatis etesiis continuo urbem illam obsidione claudere possit. Eademque Philippi molimina repetit in orat. adv. Philipp. III. p. 120; immo hic adversus Byzantios iam eum proficisci dicit. Cf. cap. h. nr. 6. Quam ob rem orator in utraque oratione acerrime Athenienses exsuscitat, ut qua possint celeritate et intentione arma parent, Graecas civitates ad belli societatem provocent, in eumque finem legatos mittant ad Peloponnesios, Rhodios, Chios, ad ipsum etiam regem Persarum: Phil. III, p. 129. de Cherson. p. 109.

Itaque Olymp. CIX, 3 ineunte vere Byzantio iam imminebat Philippus. Sed ipsius urbis obsidionem insequenti demum anno exeunte incepit. Quam enim in oppugnanda Olyntho observavit rationem (v. cap. II, 10), eadem nunc etiam infirmiores primum urbes, Byzantio consociatas, in potestatem suam redigere conabatur. Olymp. igitur CIX a. 4. ineunte Selymbriam obsidione cinxit, urbem ad oram Propontidis

sitam, inter Perinthum Byzantiumque mediam. Etenim mensis Boedromionis ultimo Athenienses legatos ad Philippum mittunt quaesituros, cur Atheniensium viginti navigia, frumenti exportandi causa in Hellespontum missa, a duce eius Amynta in Macedoniam violenter abrepta sint, eaque ut simul cum praetore Leodamante militibusque sibi restitueret, rogaturos, ex decreto Aristophontis, quod exstat in or. de cor. p. 250, et cum priori Eubuli, eadem de re lato, (p. 249) archontem praefert pseudeponymum Neoclem. Raptis autem illis navigiis Philippum Demosthenes primo foedifragum exstitisse contendit: *καὶ μὴν τὴν εἰρήνην γ' ἐκεῖνος ἔλυσε τὰ πλοῖα λαβών*, p. 249; *ἀλλ' ἐπειδὴ φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο, Χεῤῥόνησος ἐπορθεῖτο — ἐνειστήκει πόλεμος*, p. 274. Quod neque ad Olymp. CIX a. 3 ineuntem, neque ad ineuntem Olymp. CX a. 1 referri posse, clarissime Philippi docet epistola (de cor. p. 251), audita legatione illa Atheniensibus missa. Nam in ea restituere sese navigia Philippus scribit, pacemque in posterum observaturum esse pollicetur, si modo ab improbis et iniuriarum cupidis hominibus duci se Athenienses non paterentur: naves enim istas frumenti quidem ex Hellesponto in Lemnum exportandi simulatione ac nomine, at re vera Selymbrianis auxilio missas esse contendit, qui a se obsiderentur quique in commune foedus recepti non fuerint. Selymbriam vero urbem, eiusdem atque Byzantium originis, Atheniensium quondam sociam sub Olymp. CVII, Byzantii sibi vindicarunt teste Demosthene in or. de Rhodior. libert. (p. 197), quae habita est Olymp. CVI, 4 aut CVII, 1. Eius igitur obsidio ad Byzantiam Philippi expeditionem pertinet, atque, quum Olymp. CIX a. 3 exeunte demum ad oram Propontidis Philippus appropinquasset, ineunte vero Olymp. CX a. 1, ut statim monstrabimus, ipsius iam Byzantii obsidione incepta bellum

iam ab eo sit Atheniensibus indictum, et discissa pax ab Atheniensibus, manifestum est, Philippum Olymp. CIX a. 3 ex Thracia Byzantium versus profectum ineunte Olymp. CIX a. 4 ad obsidendam Selymbriam accessisse, eamque oppugnasse mense Boedromione, quo scripta sunt Eubuli et Aristophontis decreta de surreptis Atheniensium a Philippo navigiis, et mense etiam Pyanepsione aut Metagitnione, quo scripta est Philippi ad Athenienses epistola (de cor. p. 251).*) Eam enim inter obsessam adhuc Selymbriam scriptam esse docent Philippi verba: *Σηλυμβριανοῖς, τοῖς ὑπ' ἐμοῦ πολιορκουμένοις.*

Selymbriae igitur obsidione ad hiemem usque Olymp. CIX, 4 continuata, ipsa iam hieme, aut primo statim vere Philippus validiorem iam urbem Perinthum, Byzantio genere et societate coniunctam (de cor. p. 255), operibus clausit. Sed ab eius expugnatione depellebatur cum ipso urbis situ, tum Perinthiorum virtute, deinde Byzantiorum auxiliis, denique a Persicis etiam satrapis opem ferentibus. Diod. XVI, 75, 76. Dem. or. ad epist. Phil. p. 150. Missa est enim ab Atheniensibus etiam ad regem Persarum legatio, quam Demosthenes cum or. Phil. III (Olymp. CIX, 3) p. 129, tum Phil. IV (Olymp. CIX, 4) p. 139. proposuerat. V. Epist. Phil. p. 160. Ita vero quum longius protraheretur obsidio, quam copiose descripsit Diodorus XVI, 74 sqq., neque tamen acer-

*) Ad Olymp. CIX, 4 Corsinus quoque (F. A. Vol. I. diss. VIII, c. 19 et 20) pseudeponymum Neoclem retulit qui praescriptus est decretis Eubuli et Aristophontis; confusis tamen rationibus Wolfium etiam in errorem abduxit, ut ad Olymp. CIX, 3 eponymo Sosigene Corsinum decreta illa retulisse crederet in Proleg. ad Leptin. p. CXIII.

rimos conatus persequi posset, exercitum in duo partitus, dimidium ad oppugnationem continuandam reliquit; cum ceteris ipse iam ad Byzantium oppugnandum conversus est. Diod. XVI, 76. Haec inde ab incepta Perinthi oppugnatione Diodorus (XVI, 74—76), Selymbriae obsidionem praeteriens, refert sub Olymp. CIX, 4 post expulsum a Phocione Clitarchum, tyrannum Eretriae, quem una cum Philistide, Orei tyranno, eiectum esse ineunte mediove Olymp. CIX a. 4 sup. l. monstravimus. Eodemque tempore, hoc est sub ipsum ver Olymp. CIX, 4 Perinthum oppugnare Philippum coepisse, Selymbriae obsidio docet, usque ad hiemem eiusdem anni continuata. Simul enim cum Selymbria Perinthum etiam obsessam non concesserim, quippe tum Perinthiis potius auxilia ab Atheniensibus ferenda fuissent ea, quae Selymbrianis missa esse Philippus contendit in epistola.

Iam vero Perintho per tres quatuorve menses incassum acerrime oppugnata Philippus ad Byzantii obsidionem eodem anno iam ad finem vergente traiecit. Iam enim sub ipsa Olymp. CIX, 4 inceptam urbis huius obsidionem Diodorus tradit XVI, 76*);

*) Ad eundem annum Dionys. l. c. 10. Demosthenis quoque orationem adv. Philipp. XI refert, qua Demosthenem tradit cohortatum Athenienses esse, ut, quum rupta iam pax sit, Byzantiis auxilia mitterent. At inde colligi non potest, orationem hanc inter ipsam iam Byzantii obsidionem habitam esse. Est enim undecima illa Dionysii Philippica ea, cuius genuinae certe partes exstant in quarta, quam nos vocamus, Philippica. Hanc autem equidem Ol. CIX a. 4 ineunte mediove habitam dixerim, nondum incepta Byzantii obsidione et ne Perintho quidem iam operibus clausa. Nam in ea ad mittendos in Persiam legatos orator Athenienses excitat (p. 139), unde Perinthiis obsessis lata sunt auxilia.

insequentique statim anno Olymp. CX, 1 archonte Theophrasto, Athenienses ruptam iam a Philippo pacem decrevisse magnamque in Hellespontum classem misisse refert (XVI, 77), Byzantiis auxiliaturam. Conspirat Dionys. Hal. l. c. 11, qui pacem archonte Themistocle (Ol. CVIII, 2) factam per septem annos mansisse tradit ad Nicomachum usque, Olymp. CIX, 4 eponymum: *ἐπὶ δὲ Θεοφράστου*, pergit, *τοῦ μετὰ Νικόμαχον ἄρξαντος ἐλύθησαν [αἱ συνθῆκαι], Ἀθηναίων μὲν Φίλιππον αἰτιωμένων ἄρχειν τοῦ πολέμου, Φιλίππου δ' Ἀθηναίοις ἐγκαλοῦντος.* Eodem anno Dionysius (l. c. 10) habitam a Demosthene esse refert orationem adversus Philippum ultimam, cuius certe prooemium exstat in ea oratione, quae nunc ad Philippi epistolam inscripta est; eaque oratione Demosthenem cohortatum Athenienses esse ait, ut bellum strenue gerant, quod aperte iam per epistolam Philippus eis indixerit. Auctor Dionysio Philochorus est, cuius ipsa verba affert haec e sexto Atthidis libro: *„Θεόφραστος Ἀλλαιεύς. ἐπὶ τούτου Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας Περίνθῳ προςέβαλεν· ἀποτυχὼν δ' ἐντεῦθεν Βυζάντιον ἐπολιόρκει, καὶ μηχανήματα προςῆγεν.“ ἔπειτα*, addit Dionysius, *διεξελθὼν ὅσα τοῖς Ἀθηναίοις ὁ Φίλιππος ἐνεκάλει διὰ τῆς ἐπιστολῆς, καὶ Δημοσθένους παρακαλέσαντος αὐτοὺς πρὸς τὸν πόλεμον καὶ ψηφίσματα γράψαντος, ἐχειροτόνησε, „τὴν μὲν στήλην καθελεῖν τὴν περὶ τῆς πρὸς Φίλιππον εἰρήνης καὶ συμμαχίας σταθεῖσαν, ναῦς δὲ πληροῦν, καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖν τὰ τοῦ πολέμου.“* Epistola Philippi ea est, quae affixa est spuriae Demosthenis orationi *πρὸς Φιλίππου ἐπιστολήν*, et me iudice prorsus immerito a viris doctis in suspicionem vocatur. In eaque Philippus Atheniensibus bellum re vera indicit. Enumeratis enim omnibus iniuriis, quibus affectum se ab Atheniensibus iure quaeratur, *ἀμυνοῦμαι*, ait, *ὑμᾶς μετὰ τοῦ δικαίου, καὶ μάρτυρας τοὺς θεοὺς ποιησάμενος διαλήψομαι περὶ τῶν καθ' ὑμᾶς:*

p. 165. At Philochorus eodem anno, Olymp. CX, 1, et Perinthum et Byzantium obsidione cinxisse, et pacem ab Atheniensibus solemniter esse discissam refert. Quod neminem turbet. Pacem solutam solummodo hoc anno consignare Philochorus voluit, sed ex solita sibi Diodoroque consuetudine hic demum repetit, quae exeunte anno iam superiori facta sunt. Atque indidem id potius probatur, Perinthi Byzantiique oppugnationem et pacem Athenis solemniter discissam haud longo inter se distare intervallo, et quum ipsam etiam Byzantii obsidionem exeunte iam Olymp. CIX a. 4 incepisse Philippum supra monstratum sit, consequens est, bellum inter eum et Athenienses ineunte statim Olymp. CX a. 1 solemniter exarsisse; id quod docet etiam nova lex trierarchica (de cor. p. 262), quam rogasse se Demosthenes refert post ea, quae de Byzantiis bene meruisset, rogavit Boedromione Olymp. CX, 1, ut cap. h. nr. 10 accurate monstrabitur.

Itaque Olymp. CX ineunte a. 1, postquam exeunte iam Olymp. CIX a. 4 Philippus Byzantium coeperat obsidere, ea accidisse manifestum est, quae Plutarchus refert in Phoc. c. 14. Charetem narrat primum Byzantiis auxilio missum ab Atheniensibus esse, quem ob malam nominis famam quum ne excipere quidem moenibus Byzantii voluissent, Phocionem mox in eius locum esse creatum, quo duce Philippus ad solvendam urbium obsidionem adactus sit eodem iam anno, Olymp. CX, 1, secundum Diod. XVI, 77, eoque, ut nos cap. V. monstrabimus, fere medio. Itaque Atheniensium in primis auxilio tota regio illa ab imminente periculo liberata est, id quod nostro loco Demosthenes celebrat. Cuius beneficii gratiam referentes Byzantii Perinthiique eos in Athenienses contulerunt honores, quos exhibet decretum eorum in or. de cor. p. 255 sq., in quo classis centum viginti navium ea nimirum est, cui praefectus est Phocion. Eum

enim, Charete reiecto, summa laetitia a Byzantiis exceptum esse Plutarchus narrat l. c.

9. p. 274. *Χεῤῥόνησος ἐποϱθεῖτο.* p. 252. *ἀποστόλους ἅπαντας ἀπέστειλα, καθ' οὓς Χεῤῥόνησος ἐσώθη καὶ Βυζάντιον.* p. 256. *ψήφισμα Χεῤῥονησιτῶν.*
Olymp. CIX, 3 — CX, 1.

Urbes Chersonenses, a quibus decretum de coronando Atheniensium senatu populoque reservatae salutis libertatisque gratia latum est (de cor. p. 256), Sestus, Eleus, Madytus, Alopeconnesus, sitae erant in Chersoneso Thracia, quam eo tempore Athenienses possidebant quidem, sed continuis Philippi impressionibus moliminibusque tentatam cum antea, tum maxime, ubi Thraciam Byzantiamque expeditionem Philippus susceperat. Eadem enim ipsa opportunitate Chersoneso etiam Philippum intentasse periculum, satis ipse Demosthenes docet or. de cor. ll. cc. Res vero, ut clarius perspici possit, altius repetatur necesse est.

Chersonesus Thracia cum ob situm Hellesponto vicinum, et opportunam in Ponto Euxino navigationem, tum ob frumenti abundantiam pristinis iam temporibus post Milesios Athenienses ita allexerat, ut aetate iam Pisistrati a Miltiade, Cypseli filio, occupatam (Herod. VI, 34 sq.) per varios deinde temporum casus amissam, seu in discrimen vocatam, dimiserint nunquam. Belli igitur Peloponnesiaci fluctibus quum essent ab hac quoque gravissima possessione depulsi, restituta mox libertate et dominatione omnem dabant operam, ut eam sibi denuo vindicarent. Id quominus perficerent, obstabant tum Thraces e septentrione Chersonesi habitantes, qui non solum in Chersoneso, verum etiam per Propontidis oram imperium suum dilatare contendebant. Confligendum igitur proximo ante aetatem Philippicam tempore Atheniensibus erat cum

Cotye, Cersobleptis patre, qui Chersoneso potitus fertur in Dem. or. in Aristocr., quae tota ad priorem hanc Chersonesi historiam pertinet, et habita est Ol. CVII, 1 secundum Dionys. l. c. §. 4. In eaque (p. 672) orator nonnisi Eleuntem et Crithotem reliquas tum Atheniensium possessiones fuisse dicit, ipsas tamen etiam a Cotye oppugnatas. Cotye tamen per dolum a Pythone interempto (or. in Aristocr. p. 659, 662, 674) Olymp. CV, 2 *) Thraciae imperium inter tres reges divisum est, Berisadem, Amadocum et Cersobleptem, qui propter mutuam invidiam omnes iam Atheniensium sibi conciliare amicitiam conabantur. Eorum in primis Cersobleptae, qui Thraciae partem maritimam, Chersoneso proxime adiacentem, acceperat, tum adhuc iuveni, totius Thraciae imperium comparare Charidemus Orita moliebatur, mercenariorum dux a Cotye antea conductus, Cersobleptaeque tutor et cognatus. Per hunc igitur pactus est Cersobleptes cum Atheniensibus de Chersoneso, quam totam eis tradidit, excepta urbe Cardianorum (or. in Aristocr. 677—81), Olymp. CV, 4. **) Itaque tum Athenienses illas etiam urbes sibi vindicarunt, a quibus latum est decretum de coronando Atheniensium populo (de cor.

*) Nam Olymp. CIV, 3, archonte Molone, Miltocythes a Cotye defecisse et Chersonesum Atheniensibus tradere pollicitus esse fertur in Dem. or. c. Polycl. p. 1207. Gestumque deinde adhuc bellum est cum Cotye, quo tempore Timotheus cum Amphipolitis pugnabat Olymp. CV, 1 (cf. cap. II, nr. 1) secundum or. in Aristocr. p. 669. Ante Olymp. CV, 3 vero decessisse Cotyem docebunt sequentia.

**) Olymp. CVI, 4 secundum Diodorum XVI, 34, qui tum etiam cleruchos Athenienses in Chersonesum missos narrat; sed confusis temporibus. Ter enim deinceps pactum Charidemum esse cum Atheniensium ducibus,

p. 256). Earum enim Sestum Cotys fertur antea habuisse or. in Aristocr. p. 672. Alopeconnesus ibidem p. 675 nunc esse anteaque fuisse Atheniensium in

---

ad Chersonesi custodiam legatis, Demosthenes refert or. in Aristocr. l. s. c.: cum Cephisodoto, Chabria, denique, qui post illos in Chersonesum profectus esset, Charete; et extremum hoc pactum iustum et utilissimum fuisse contendit l. c. p. 678. Charetem advenisse illuc ait continuo post latum Euboeensibus adversus Thebanos auxilium, l. c. Ista vero expeditio Euboica ea manifesto est, quam susceperunt Athenienses Olymp. CV a. 3, brevi ante bellum sociale (cf. cap. I, 7). Huius autem belli anno primo, Olymp. CV, 4, Chabrias in expugnanda Chio insula occidit (Diod. XVI, 7. Cornel. Nep. Chabr. c. 4), idem qui ante Charetem in Chersonesum missus est secundum or. in Aristocr. p. 677. Cum eo igitur pactus sit Charidemus necesse est Ol. CV, 3, cum Charete eodem anno exeunte aut ineunte 4. Eodemque tempore adversus socios rebellantes Chabriam et Charetem imperatores creatos esse Diodor. refert XVI, 7. Atque Demosthenes or. in Aristocr. p. 680 ad demonstrandam Charidemi improbitatem et perfidiam: *μετὰ ταῦτα* [postquam cum Charete de Chersoneso pactus esset] *τοίνυν*, ait, *ὅσον μὲν χρόνον ἡ ὑμετέρα δύναμις παρῆν ἐν Ἑλληςπόντῳ κολακεύων καὶ φενακίζων ὑμᾶς διαγέγονεν· ἐπεὶ δ' εἶδε τάχιστα τὸν Ἑλλήςποντον ἔρημον δυνάμεως, εὐθὺς ἐνεχείρει καταλύσας καὶ ἀπαλλάξας τοὺς δύο [βασιλεῖς] τῆς ἀρχῆς πᾶσαν ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν ἀρχήν.* Quo quid clarius est, quam significari tempus illud, per quod Atheniensium classis in Hellesponto versabatur, donec pax sit cum sociis rebellibus facta, hoc est ab Olymp. CV, 3 usque ad Olymp. CVI, 2 (cf. cap. I, 9). Aliquot annos postea latum est Athenis Aristocratis de Charidemo decretum, in quod invectus est Euthycles Demosthenis oratione in Aristocr., Olymp. CVII, 1. In ea vero novum Cersobleptis cum Atheniensibus pactum non commemoratur, sed tutam possidere Chersonesum Athenienses dicuntur p. 623. Itaque Ol. iam CV, ¾ Cersobleptes Chersonesum Atheniensibus con-

Chersoneso possessio dicitur, Olymp. tamen CV, 2 a latronibus occupata, quibuscum conspirarit Charidemus; Eleuntem cum Crithote obsedisse Charidemum Demosthenes tradit ibid. 672, Cotye adhuc regnante, quae tum reliquae Atheniensium in Chersoneso fuerint possessiones.

Vindicatae tamen ita regioni mox nova pericula intendebantur, ubi inde ab Olymp. CVII, 1 Philippus excitatum Olymp. CV, 4 cum Atheniesibus bellum in has potissimum Thraciae regiones transferre incepit cum ad regum discordias ex suo arbitrio componendas (Dem. Olynth. I. 12), tum ut Athenienses ipsa etiam in Chersoneso aggrederetur. Huc pertinet eius in Lemnum et Imbrum impetus Olymp. CVI, 4, de quo egimus cap. I, 9; deinde prima in Thraciam impressio post res in Thessalia a Philippo confectas (Olymp. CVI, 4/1) suscepta Olymp. CVII, 1 (Dem. Olynth. I, p. 12), in qua Heraeon oppugnasse Philippus fertur Olynth. III. p. 29; et qua excitatus Demosthenes or. Phil. I, p. 44 Athenienses impellit, ut qua possint intentione regionibus illis opem ferant, ex improviso a Philippo infestatis, Pylis et Chersoneso. In eisdem Thraciae regionibus versabatur Olymp. quoque CVII, 2, ut concludi potest ex or. Olynth. III, 29, ubi altero post factam impressionem anno Charidemus Athenis cum decem vacuis triremibus et quinque talentis emissus fertur. Ipsam tamen Chersonesum tum temporis nondum ingressus esse Philippus videtur. Sed Olymp. CVIII, 2 mense Anthesterione denuo in Thraciam profectus ad coercendum Cersobleptem ipsam inter pacis cum Atheniensibus pactionem Thraciis ca-

---

cessit; cleruchi tamen missi esse possunt bello demum sociali composito, Ol. CVI, 3, aut 4, quem Diodorus affert.

stellis Ergisce, Serrhio, Dorisco, Myrtio potitus est, ad maris Aegei oram sitis Chersonesoque imminentibus. V. c. h. nr. 1.

Brevi post pacem Olymp. CVIII, 2 factam, per quam sola Chersonesus illis in regionibus Atheniensibus relicta est, Diopithes Atheniensium praetor, in Chersonesum, ob continuos Philippi impetus antea ab Atheniensibus incolis desertam (Aesch. π. παραπρ. p. 37 med.), novos colonos deducere iussus est. Dem. de Cherson. p. 91. Phil. III, p. 114: ὁ τοίνυν Φίλιππος ἐξ ἀρχῆς ἄρτι τῆς εἰρήνης γεγονυίας, οὔπω Διοπείθους στρατηγοῦντος, οὐδὲ τῶν ὄντων ἐν Χεῤῥονήσῳ νῦν ἀπεσταλμένων, Σέῤῥιον καὶ Δορίσκον κατελάμβανε... Diopithes vero quum usque ad Cardiam promovere Chersonesi fines voluisset, cum Cardianis concurrit, et pristinam de finibus contentionem renovavit. V. argmt. ad or. de Cherson. Etenim Cardiam Athenienses quoque tempore sibi vindicabant. Erat enim urbs haec media inter Chersonesum et Thraciam, ad Melae fluvii ostium sita, occidentali fine muri longi, quem ad retinendos barbarorum impetus Miltiades primum condiderat (v. Mannert. Geogr. P. VII, p. 199), in ipso itaque Chersonesi limite, ut qui eam possideret, opportune, quo vellet, excursiones facere posset. Dem. or. in Aristocr. p. 681. Quam ob causam Cersobleptes iam Olymp. CV, 3/4 Chersonesum Atheniensibus pacto concedens illam urbem continuo excipiebat. V. Dem. l. c. Diod. XVI, 34. Neque minus ipsi etiam Cardiani tum cum Atheniensibus, urbis possessionem affectantibus, contendebant; unde or. in Aristocr. saepius Atheniensium hostes vocantur. V. p. 677, 679. Iam vero post Olymp. CVIII, 2, castellis Thraciae maritimis in Philippi potestatem redactis, ne per Cardiam Philippo aditus in Chersonesum pateret, Athenienses ius suum acerrime persequebantur. V. Or. de Halon. p. 86 sq. Item vero etiam

Cardiani Philippi iam pridem societate conciliata (Phil. epist. p. 161), ex qua pacis etiam Philippo cum Atheniensibus Olymp. CVIII, 2 compositae participes facti erant (Dem. π. παραπρ. p. 395), pertinaciter resistebant, quem incolerent agrum suum esse contendentes (or. de Halon. p. 86). Exortae ita dissensionis Philippus sibi arbitrium arrogavit Olymp. CIX, 2, id quod refertur in or. de Halon., anno hoc habita. Ex quo quum Athenienses, ut causam arbitris traderent diiudicandam, provocasset (de Halon. 87), neque tamen effecisset quicquam (epist. Phil. p. 161. cf. or. de Halon. l. c.), et Cardiani vi etiam a Diopithe peterentur, auxilia eis, quippe sociis, misit. Or. de Cherson. p. 104, 105. Phil. III, p. 114, 115, 120. cf. epist. Phil. l. c. Factum hoc eo tempore esse, quo Thraciam Philippus expeditionem suscepit, itaque Olymp. CIX, 2/3, docent orationes de Cherson. et Philipp. III, in quibus auxilia illa ut recentissime Cardiam missa memorantur. Quo facto Diopithes ab oratoribus, violatae Philippum pacis accusantibus, haud dubie incitatus, absente tum rege in Thracia media, maritimam Thraciae regionem, quae erat Philippi, Crobylem Tiristasimque depopulatus est. Epist. Phil. p. 159. Argmt. ad or. de Cherson. Quam ob causam quum, graviter accusante Philippo, in iudicium a populo arcesseretur Diopithes, Demosthenes eum oratione, quae de Chersoneso inscribitur, defendit, medio Olymp. CIX a. 3. Cardiam autem obtinenti quum in ipsam etiam Chersonesum aditus pateret, summum inde Chersonesitis periculum imminebat. Idcirco iam tum ut pecuniarum subsidia copiaeque sibi ab Atheniensibus mitterentur rogabant. V. or. Phil. III, p. 129. cf. cap. h. nr. 6. Neque tamen in eo solo acquievit Philippus, sed mox ipsam etiam Chersonesum ingressus est. Necessitate enim adactum in Chersonesum etiam copias misisse se ipse Philip-

pus fatetur, nimirum quo tempore civitates ad oram Propontidis sitas aggressus est: *εἰς τοῦτο δὲ προβεβήκαμεν ἔχθρας, ὥστε βουλόμενος ταῖς ναυσὶν εἰς τὸν Ἑλλήςποντον παραβαλεῖν ἠναγκάσθην αὐτὰς παραπέμψαι διὰ Χεῤῥονήσου τῇ στρατιᾷ, τῶν μὲν κληρούχων κατὰ τὸ Πολυκράτους δόγμα πολεμούντων ἡμῖν, ὑμῖν δὲ τοιαῦτα ψηφιζομένων, τοῦ δὲ στρατηγοῦ Βυζαντίους τε παρακαλοῦντος καὶ διαγγέλλοντος πρὸς ἅπαντας, ὅτι πολεμεῖν αὐτῷ προςτάττετε, ἂν καιρὸν λάβῃ.* Epist. p. 163. Haec facta esse verisimile est sub ipsam obsidionem Selymbriae, ineunte Olymp. CIX a. 4. Tum enim, quum obsidebat Selymbriam, occupasse iam Hellespontum classe Philippus videtur. Cf. cap. h. nr. 8. Istaque haud dubie Philippi violentia Athenienses maxime ad arma capienda excitavit. At Philippus eo tempore in Chersonesum ingressum se nondum adversus Athenienses violentius agere voluisse contendit: *τοιαῦτα δὲ πάσχων ὅμως τῆς πόλεως καὶ τῶν τριήρων καὶ τῆς χώρας ἀπεσχόμην, ἱκανὸς ὢν τὰ πλεῖστα λαβεῖν ἢ πάντα, καὶ διατετέλεκα προκαλούμενος ὑμᾶς εἰς κρίσιν ἐλθεῖν ὑπὲρ ὧν αἰτιώμεθα ἀλλήλοις.* Philippus in epist. p. 163. Pace tamen inter Byzantii obsidionem ineunte Olymp. CX a. 1 solemniter discissa, iusto iam bello, quod ipse Atheniensibus indixit (epist. p. 165), in Chersoneso antea iam occupata egisse Philippum cum Atheniensibus, omnino consentaneum est. Huc igitur pertinet Demosthenis: *Χεῤῥόνησος ἐπορθεῖτο,* de cor. p. 274, simul cum iis, quae Iustinus refert (IX, 1): inter Byzantii obsidionem „ne unius urbis expugnatione exercitus tereretur, profectum cum fortissimis multas Chersonensium urbes expugnasse Philippum.“ Itaque haec pericula inter Olymp. CIX, 3 et CX, 1 Chersonesitis instabant. A quibus quum Olymp. CX, 1 simul cum Perintho Byzantioque Atheniensium ope liberati essent, illarum civitatium exemplo collati in se bene-

ficii gratiam ex decreto, quod exstat in or. de cor. p. 256, retulerunt Olymp. CX, 1.

10. p. 260—263.

Trierarchiae a Demosthene ad censum redactae tempus constituitur.

Olymp. CX, 1.

Olymp. CV, 3, quum expeditio Euboica adversus Thebanos parabatur, cessantibus iis, quibus ex lege subeunda trierarchiae onera erant, primi erogati sunt voluntarii trierarchi (p. 259), quorum Demosthenes loco proxime antecedenti meminerat, et de quibus nos egimus cap. I, 8. Eodem tempore Athenienses ipsa necessitate adactos novam trierarchiae rationem instituisse, per se verisimile est. Eodemque anno Symmoriarum in re trierarchica institutum ex Periandri lege primum invaluisse, evidenter docet oratio, quae in Demosthenicis numeratur, contra Euerg. et Mnesibulum, ex eaque probavit Boeckhius in Oecon. civ. Ath. Vol. II, p. 100 sqq., qui quaecunque huc pertineant, omnia ita occupavit iam et transegit, ut quod denuo explorandum sit, nihil supersit. Ex hoc igitur Symmoriarum instituto ad subeunda trierarchiae onera mille et ducenti omnium tribuum cives maioris minorisve census lege erant adstricti, iique in viginti Symmorias vel classes distributi, quarum sexaginta cives unaquaeque continebat. Horum sexaginta diverso numero quinque, sex, vel etiam quindecim ad tolerandas unius navis impensas congrediebantur, ita ut unaquaeque Symmoria in minores discederet societates (*συντελείας*) duodecim, decem, aut tantum quatuor, et totidem quaeque naves curaret. Summa rerum apud trecentos ditissimos erat, per singulas classes distributos, eosdem haud dubie, qui *ἡγεμόνες τῶν συμμοριῶν* vocantur a Demosthene de cor. p. 260. Cf. p. 329 et Dinarch. adv. Demosth. p. 33. His vero auctori-

tate sua proprio commodo et ad perniciem minus fortunatorum civium abutentibus, multae mox natae sunt perturbationes, quae istius Symmoriarum instituti mutationem exigebant. Talemque Olymp. CVI, 3 Demosthenes oratione de Symmoriis proposuit, eam tamen adhuc ad primam Symmoriarum conditionem compositam. V. Boeckh. l. c. p. 105 sqq. Eius tamen consiliis qua tum sit ratione obtemperatum, ignotum est. Neque enim omnino quidquam correcta ista trierarchiae ratio videtur esse, sed potius summo reipublicae damno magis magisque in peius delapsa. Quam ob rem Demothenes novam tandem prudentissimamque proposuit legem trierarchicam eam, quam h. or. de cor. l. describit. Eam autem tulisse se in primis dicit contra prioris legis perniciosissimum catalogum, ad verba exaratum p. 261, ex quo sedecim trierarchis ad unam navem conferre stipem licebat, et ita quidem, id quod maxime mirari subit, ut omnibus aequa sumptuum pars toleranda esset (*ἐπ' ἴσον τῇ χορηγίᾳ* i. e. *λειτουργίᾳ χρωμένους*. V. catalogi huius descriptionem ap. Boeckh. l. c. p. 102 not. 350). Qui catalogus sive pars pristinae de Symmoriarum ratione legis fuerit, seu ex nova sit potius lege desumptus, posteriori tempore lata, per quam simul etiam trierarchorum numerus auctus fuerit (v. Boeckh. l. c.), eo tamen praesertim illas perturbationes trierarchiae iniuriasque natas esse satis liquet, de quibus Demosthenes nostro or. de cor. l. conqueritur. Ex eo enim quum fortunatiores cives eandem atque cives tenuioris census pecuniae partem contribuerent, alteri immense premebantur, alteri ob parvulam neque eorum opibus convenientem stipem paene omni ab onere liberi erant: *ἀτελεῖς ἀπὸ σμικρῶν ἀναλωμάτων γιγνόμενοι.* p. 260.*) Ista igitur damna Demosthenes nova sua

*) ita verba haec haud dubie intelligenda sunt. Clarissi-

lege trierarchica delevit, per quam universa trierarchiae onera ad censum redegit ita, ut quisque civis decem talentis census unius navis solus iam trierarchus fieret, duarum navium, qui viginti, trium, qui triginta, totidemque naves simul cum navigio actuario ei etiam curandae essent, qui pluris esset quam viginti talentis aestimatus, reliqui censu decem talentis minore pro rata portione inter se coniungerentur, usque dum decem talenta confecerint.

His maioris perspicuitatis gratia praemissis, accuratius quaerendum restat de tempore legis huius trierarchicae, a Demosthene latae; in quo ipso etiam praeivit Boeckhius l. c. p. 116 sqq. Lata igitur lex est post expulsos Euboea tyrannos (Olymp. CIX, 4) belloque inter Byzantii obsidionem redintegrato (Ol. CX, 1). Id quod ipse Demosthenes affatim testatur, quum expositis eis, quae de Euboeensibus Byzantiisque bene meruerit, ad trierarchicae huius legis descriptionem his verbis transeat: *βούλομαι τοίνυν ἐπανελθεῖν ἐφ' ἃ τούτων ἑξῆς ἐπολιτευόμην:* p. 260. Idem ipse legis suae praestantiam luculenter probatam esse gloriatur per universum belli spatium: *πάντα γὰρ τὸν πόλεμον τῶν ἀποστόλων γιγνομένων κατὰ τὸν νόμον τὸν ἐμὸν κ. τ. λ.* p. 262. Bellum igitur intelligit, quod Ol. CX a. 1 ineunte inter Byzantii obsidionem exarsit (v. cap. h. nr. 7), terminatum est clade Chaeronensi Olymp. CX, 3 mense Metagitnione (v. cap. sq.). Itaque latam legem esse oportet Boedromionis mensis die XVI (v. pseph. p. 261) anno Olymp. CX aut primo, aut secundo; nullam in partem Olymp. CIX,

---

mam eorum demonstrationem suppeditat Demosthenes his: *ἣν γὰρ αὐτοῖς — συνεκκαίδεκα λειτουργεῖν, αὐτοῖς μὲν σμικρὰ καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσιν, τοὺς δ' ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐπιτρίβουσιν.* de cor. p. 260.

4, quod voluit Corsinus (F. A. diss. VIII, 18), cuius rationes satis refutavit Boeckh. l. c. p. 117. Meliorem Corsiniana rationem secutus Petitus (legg. Att. III, 4, 8) annum Olymp. CX secundum constituit; eiusque opinio videri probabilis possit. Bellum enim, quod inter Byzantii obsidionem Olymp. CX a. 1 ineunte exarserat, usque ad Olymp. CX, 2 Hecatombaeonem fere gerebatur, quo mense Philippus cum Atheniensibus ceterisque Graecis pactus est. V. cap. sq. Attamen post breve temporis spatium quum ab Amphictyonibus adversus Amphissenses esset accitus, Graeciam ipsam petiit, in eamque mense iam Boedromione Olymp. CX, 2 traiicere moliebatur, quippe quo socios Peloponnesios armatos secum in Phocide convenire iusserit, id quod cap. sq. accuratissime monstrabimus. Eodem mense quum lex quoque Demosthenis trierarchica lata sit, omnino probabile videri possit, illa praesertim Philippi impressione, quum renovandum statim bellum esset, Demosthenem ad ordinandam trierarchiam excitatum esse, quippe cuius priorem malam conditionem anno praesertim superiori expeditionibus Byzantium missis cognovisset. Quod si fuerit, bellum, quo legis suae praestantiam probatam esse Demosthenes gloriatur (p. 262), nonnisi posterior fuerit pars belli inter Byzantii obsidionem, Olymp. CX, 1 ineunte, renovati; id quod eo magis verisimile videri possit, quod legem hanc tulisse se tum dicit, postquam restituta Euboeensibus, Byzantiis et Chersonesitis salute libertateque egregie de re publica meruisset: p. 260.

Attamen Demosthenes *πάντα τὸν πόλεμον*, ait, *τῶν ἀποστόλων γιγνομένων κατὰ τὸν νόμον τὸν ἐμόν, οὐχ ἱκετηρίαν ἔθηκε τριήραρχος οὐδεὶς κ. τ. λ.* (p. 262). Pluries igitur classes ex nova trierarchiae ratione per bellum illud emissae sunt. Nolim enim in *τῶν ἀποστόλων* et *πάντα τὸν πόλεμον* meram hyperbolen sta-

tuere. Iam vero inde a Boedromione Olymp. CX, 2 bellum terra, non mari gerebatur, et ne inceptum quidem est ante Hecatombaeonem Olymp. CX, 3. Philippus enim, frustra, ut videtur, exspectatis Peloponnesiorum auxiliis, ineunte demum vere Olymp. CX, 2 Graeciam videtur invasisse. Quo perterriti Athenienses inducias a Philippo petunt Elaphebol. XXIV usque ad mensem Thargelionem; easdem reposcunt Munychionis XXX, et impetrant. Medio denique Scirophorione Elateam Philippus expugnat. Quo facto Athenienses continuo foedus cum Thebanis ineunt. Atque tum demum bellum geritur ad fines Boeotiae. Athenienses cum Thebanis iuncti duas, ad Cephissum flumen et pugna *χειμερινῇ* victorias referunt, dein ad Chaeroneam confligunt. Cladem vero hic Metagitnionis VII. Olymp. CX, 3 acceptam continuo pax subsecuta est.*) Belli igitur non ultra sesquimense spatium erat, in quo classis, si vere emissa est, una tantum emissa est ea, quam post Elateam expugnatam simul cum legatione Thebas mittenda, instruendisque acerrime terrestribus copiis decrevit Demosthenes Scirophorionis XVI Olymp. CX, 2: *δέδοκται τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ — διακοσίας ναῦς καθέλκειν εἰς τὴν θάλατταν, καὶ τὸν ναύαρχον ἀναπλεῖν ἐντὸς Πυλῶν* (de cor. p. 290). Immo Philochorus apud Dionys. Hal. l. c. §. 11, archonte Lysimachide, Olymp. CX, 2, ipsam navium aedificationem intermissam ab Atheniensibus esse refert, ut omnis pecunia militiae posset impendi: *τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωςοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον· τὰ δὲ χρήματ' ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικά, Δημοσθένους γράψαντος.* Id haud dubie factum est ea de causa, quod instante per Philippi in Grae-

*) Horum omnium accuratam explorationem v. capp. sqq.

ciam impressionem bello terrestri, non tam naves quam milites necessitas exigebat. Quam ob rem, si plures ex novo trierarchiae instituto classes emissae sunt, omni ex parte redeundum est ad Olymp. CX a. 1, cuius itaque mense Boedromione lata sit illa Demosthenis lex trierarchica. Unde, quum Olymp. CX, 2 Hecatombaeone bellum Byzantium compositum sit, lex haec inter ipsam iam Byzantii obsidionem ferri potuit, soluta iam pace, decretisque auxiliis Byzantium mittendis, et quod equidem suspicor inter primam, cui Chares praefuit, expeditionem, alteramque, cui Phocion praefectus est. Cf. nr. sup. 7. Neque opinioni huic nostrae quidquam obstant Demosthenis illa: *βούλομαι τοίνυν ἐπανελθεῖν ἐφ' ἃ τούτων ἑξῆς ἐπολιτευόμην*, quibus maxime nititur Petiti sententia. Nam in his *ταῦτα* sunt *τὰ τότε πεπολιτευμένα*, ea igitur, quae a se decreta esse et acta, quum Byzantium aggressus esset Philippus, retulit Demosthenes supra p. 244 sq., nos decreta esse Olymp. CX, 1 ineunte monstravimus; itaque bellum quidem significant, Demosthenis auctoritate pro Byzantiis susceptum, non tamen ea etiam, quae bello confecta sunt, h. e. Byzantii liberationem. Ipsa tamen etiam haec addit Demosthenes l. s. c., scilicet, ut simul bellum, a se decretum, frugiferum rei publicae fuisse demonstret. Ubique enim eo tendit, ut suam rei publicae administrationem defendat.

Itaque pseudeponymus etiam Polycles, qui praefixus est libello de absoluto in *γραφῇ παρανόμων* Demosthene (de cor. p. 261), a Corsino in Olymp. CIX, 4 relatus, revocandus est ad tertiam Prytaniam Olymp. CX, 1.

Caput quintum.

P. 274 — 291 et 298 — 305.

Agitur de rebus gestis inde a belli Amphissensis origine usque ad concussam clade Chaeronensi Graeciae libertatem. Singularum rerum tempora quantum potest accuratissime constituuntur; repugnantiae ex monumentis insiticiis natae illustrantur et pro vera rerum conditione solvuntur.

Olymp. CX, 1 — CX, 3.

Res, in quibus per hancce disputationem versabimur, duobus circumscriptae sunt terminis, quorum tempus accurate exploratum est. Accidisse enim eas post bellum cum Philippo redintegratum claris verbis pronunciat Demosthenes p. 274. Exarsisse autem denuo bellum post pacem septem annorum tum, quum Byzantium obsidebat Philippus, hoc est Olymp. CX, 1 ineunte, nos supra monstravimus cap. IV, 7 sqq. Alter terminus pugna Chaeronensis est, quam commissam esse archonte Chaeronda Diodorus refert XVI, 85 et auctor vitt. X orr. in Isocr. Vol. XII, p. 238 H., denique Dionys. Hal. Isocr. c. 1; die vero secundi mensis, Metagitnionis, septimo secundum Plut. in Camillo c. 19. Intra hos igitur fines vertantur necesse est omnia ea, de quibus Demosthenes agit ll. cc. or. de cor. et Aesch. in Ctes. p. 68—75.

Soluta Byzantii obsidione Philippum Scythica bella ad Istrum flumen aggressum esse, devictoque Athea, Scytharum rege, quum domum reverteretur, cum Triballis transitum, ni portionem praedae accepissent, negantibus proelium commisisse, in quo ita in femore vulneratus sit, ut per corpus eius equus interficeretur*); ubi vero ex vulnere primum convaluis-

*) Huc igitur pertinet Demosthenis: (τὴν κλεῖν κατεα-

set, diu dissimulatum bellum Atheniensibus ipsa in Graecia instulisse eum, Iustinus narrat IX c. 2 et 3, cum quo consentit etiam Aeschines, in Scythia abfuisse Philippum dicens, quum bellum Amphissense in Graecia excitaretur, or. in Ctes. p. 71 f., Olymp. CX a. 1 exeunte. Idem reversum ex Scythia Philippum dicit, quum belli adversus Amphissenses nuperrime exorti ab Amphictyonibus imperator creatus sit l. c. 72 in. Quod quum, ut statim docebimus, factum sit Olymp. CX, 2 Metagitnione, reversus in Macedoniam Philippus sit eiusdem anni Hecatombaeone, ipsam tamen expeditionem primo praecedentis anni vere solutaque tum etiam Byzantii obsidione susceperit. Expeditio enim et longinqua erat, nec potuit adeo brevi tempore absolvi. Nam Atheas Scytharum rex fuit trans Haemum montem ad Pontum Euxinum habitantium*); ad eumque praemisisse Philippum legatos Iustinus narrat (IX, 2) nunciaturos, vovisse se statuam Herculis, ad quam in ostio Istri ponendam sese venire.

Itaque dum, soluta Byzantii obsidione primo haud dubie vere Olymp. CX, 1, in Scythia Philippus versabatur, quo recessisse eo videtur consilio, ut exsuscitatas per Byzantium impetum Graeciae civitates rursus posset consopire, novae in Graeciam impressionis facultatem bellum ei sacrum parabat, ab Amphictyonibus denuo excitatum, quibus auctor Aeschines fuit, a Philippo eum in finem conductus ex Demosthenis criminatione, qua abluere ipse sese Aeschines or. in Ctes. p. 70, quamquam ambiguis argumen-

---

γόητα [Φίλιππον]), τὸ σκέλος πεπηρωμένον, de cor. p. 247.

*) Eum antea bello cum Istrianis pressum auxilia a Philippo per Apollonienses petisse Iustinus refert IX, 2.

tis, conatur. Is igitur, quum Pylagorae munere in Amphictyonum conventu fungeretur, Amphissenses, urbis in Locrorum Ozolarum terra maximae incolas, sacrilegii reos fecit, quod colerent agrum Cirrhaeum, Solonis aetate Delphico templo sacratum, eundem haud dubie, ex quo bellum quondam Boeoticum et Phocicum originem cepit. V. supra cap. I, 3 et II, 3. Id factum est archonte Athenis Theophrasto, hoc est Olymp. CX, 1: *Ἐπὶ Θεοφράστου ἄρχοντος*, Aeschines ait in Ctes. p. 69 f., *ἱερομνήμονος ὄντος Διογνήτου Ἀναφλυστίου πυλαγόρους ὑμεῖς εἵλεσθε Μειδίαν τ' ἐκεῖνον Ἀναγυράσιον — καὶ Θρασυκλέα — καὶ τρίτον δὲ μετα τούτων ἐμέ.* Congressum Amphictyonum hunc vernum fuisse docent cum rerum series postremo expositarum, tum *ἡ ἐαρινὴ πυλαία* in Amphictyonum decreto I. ap. Dem. de cor. p. 278; denique or. de cor. p. 279 tempora, quae scribam recitare Demosthenes iubet: *λέγε δὴ καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο. εἰσὶ γὰρ, καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν οὗτος. — Χρόνοι. — „Ἄρχων Μνησιθείδης μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα."*

Haec temporis nota, in qua tamen archon Mnesithides rursus pseudeponymus est, decreto cuidam aut praefixa fuit, aut affixa, ut est apud Aeschinem or. *π. παραπρ.* p. 40 in.: *καί μοι λέγε τὸ τῆς βουλῆς ψήφισμα. „ψήφισμα." προςανάγνωθι δὴ καὶ τὸν χρόνον, ὅστις ἦν. „χρόνος."* Et decretum non aliud intelligi potest, quam ex quo Aeschines, Midias et Thrasycles creati Pylagorae sunt, ut docent Demosthenis verba: *λέγε δὴ καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο· εἰσὶ γὰρ καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν οὗτος.**) Itaque Anthesterionis

---

*) In his *ταῦτα* ad ea pertinet, quae duobus decretis Amphictyonicis p. 278 sqq. continentur, quorum alterum latum est verno (Olymp. CX, 1), alterum, ut mox monstrabimus, auctumnali Amphictyonum concilio (Me-

XVI Aeschini Pylagorae munus demandatum est; ex quo Amphictyonum concilium adiit aut ipso iam Anthesterione, aut Elaphebolione extremo, si vernus Amphictyonum congressus semper eodem tempore fiebat, quo etiam tertio quoque Olympiadum anno. Tertio enim anno Olympico Amphictyones simul cum ludis Pythiis ad concilium congrediebantur, ut docent Aeschinis verba or. in Ctes. p. 89 f. haec: ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίγνεσθαι καὶ τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι. Pythii autem ludi extremis Elaphebolionis diebus aut Munychionis primis celebrabantur, id quod praeter Thucydidem IV, 118 coll. V, 1 docet etiam Aeschinis in Ctesiphontem oratio, medio circiter Elaphebolione habita (v. cap. sq.), in qua Pythios ludos paucis diebus celebratum iri Aeschines dicit l. c. Itaque Olymp. CX, 1 mense Elaphebolione Aeschines, Atheniensium Pylagoras, Delphis Locros Amphissenses sacrilegii reos ad Amphictyones detulit. Aesch. in Ctes. p. 70. Dem. de cor. p. 275. Eius criminatione exacerbati Amphictyones continuo decreverunt, postero statim die cum Delphorum liberis item et servis agrum Cir-

---

tagitnione Ol. CX, 2). Quam ob rem Demosthenes λέγε χρόνους dicit, non χρόνον. Eo vero temporis spatio, per quod facta sunt illa, hoc est priori illo verno, alteroque, auctumnali, Amphictyonum concilio Aeschinem functum dicit esse Pylagorae munere (καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν). Id igitur temporis spatium clarius significari non poterat, quam eo decreto, ex quo Aeschines Pylagoras factus est. Neque enim cogitari aliud decretum probabile potest. Inde vero concludi id etiam posse videtur, Pylagorae munus annuum fuisse; hieromnemonem ad mortem usque munus suum administrasse aliunde constat. Cf. Tittmann über d. Bund d. Amphict. p. 88, et nos in sequentibus.

rhaeum adeundum sibi esse, agros ibi Locrensium aliaque opera demolienda, fines stipitibus designandos. V. Aesch. l. c. et ipsum decretum Amphictyonicum or. de cor. p. 278. Postero igitur die Amphictyonum universa multitudo in agrum Cirrhaeum, prope Delphos situm (Aesch. in Ctes. 70 m.) se confert, portum ibi Amphissensium demolitur, agros devastat, domicilia evertit. Sed domum revertentibus occurrunt Amphissenses, sexaginta modo stadiorum intervallo a Delphis habitantes (Aesch. l. c. 71 in.), tantaque eos violentia adoriuntur, ut vix celerrima fuga Amphictyones interitum evitarint. Aesch. l. c. 71. Dem. de cor. 277. Quam ob rem postridie rursus Amphictyones congregantur, convocataque etiam concione (*ἐκκλησία*), Cottypho praesidente decernunt: *ἥκειν τοὺς ἱερομνήμονας πρὸ τῆς ἐπιούσης Πυλαίας ἐν ῥητῷ χρόνῳ εἰς Πύλας, ἔχοντας δόγμα, καθ' ὅ τι δίκας δώσουσιν οἱ Ἀμφισσῆς.* Verba sunt ex decreto ipso sumpta, quod recitari iussit Aeschines l. c. In quibus quum *ἡ ἐπίουσα Πυλαία* manifesto sit auctumnalis Amphictyonum congressus*), *ῥητῷ χρόνῳ* dies aliquis ante auctumnalem Pylaeam significatur, quam ineunte auctumno, mense igitur circiter Boedromione habitam esse, ipsum eius nomen *μετοπωρινή* perspicue docet. Diem vero extraordinarii illius Amphictyonum conventus a priore verno concilio haud longe, certe non multum ultra unius mensis, Munychionis, spatium removendum esse, docebunt sequentia.

Ea vero Amphictyonum decreta quum ad populum Aeschines renunciasset, continuo Demosthenes obstitit et Athenienses permovit, ut decreta Amphictyo-

*) Bis per annum convenisse Amphictyones, ad *ἐαρινὴν Πυλαίαν* et *μετοπωρινήν*, et statis quidem diebus et mensibus, satis notum est. V. Tittm. l. c. cap. IV. §. 2.

num reiicerent, decernerentque, hieromnemoni Atheniensium et Pylagoris praeter ordinem et morem maiorum illum Amphictyonicum συγκλητὸν σύλλογον adeundum non esse, nec ullam eorum, de quibus Pylis ageretur, communionem habendam: τὸν ἱερομνήμονα τῶν Ἀθηναίων καὶ τοὺς Πυλαγόρας τοὺς ἀεὶ πυλαγοροῦντας μὴ μετέχειν τοῖς ἐκεῖ συλλεγομένοις μήτε λόγων, μήτ' ἔργων, μήτε δογμάτων, μήτε πράξεως μηδεμιᾶς. Verba sunt decreti a Demosthene ea de re lati, quae Aeschines affert l. c. p. 71 f. Cf. Dem. de cor. p. 275.

Atque hucusque quod ad res attinet, Aeschines et Demosthenes inter se consentiunt. In sequentibus aliquantum discedunt, quum ille rerum tempora extendat, ne bellum re vera praemeditatus videatur (l. c. p. 71 f. et 72 in.), Demosthenes contrahat (p. 278). Verum etiam hic non tam rebus inter sese dissentiunt, quam verbis. Itaque illo Demostheneo decreto effectum est, ut nulli Atheniensium legati extraordinarium illum Amphictyonum concilium, Pylis congregandum, adirent. Abstinuerunt praeter Athenienses Thebae quoque ab hoc Amphictyonum conventu. Hanc enim certe urbem Aeschines significat, dicens: ἡμεῖς μὲν οὖν, ὦ Ἀθ., κατεμείναμεν διὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα [τοῦ Δημοσθένους], οἱ δ' ἄλλοι Ἀμφικτύονες συνελέγησαν εἰς Πύλας, πλὴν μιᾶς πόλεως, ἧς ἐγὼ οὔτ' ἂν τοὔνομα εἴποιμι, μήθ' αἱ συμφοραὶ παραπλήσιοι γένοιντο αὐτοῖς μηδενὶ τῶν Ἑλλήνων.*) l. c. p. 71 f. Abstinuerunt vero Thebani minus, quod quid eventurum esset praesagiebant, quam quod nolebant adversus Locros sententiam ferre, continua ex pristinis temporibus belloque

*) Haec ad notissimam Thebarum excisionem spectant, ab Alexandro peractam Ol. CXI, 2 (v. Diod. XVII, 13, 14), quam frequenter commemorant Aeschines et Demosthenes in oratt. de cor.

maxime Phocensi societate sibi coniunctos. V. cap. I, 3. II, 3. Atheniensibus igitur item et Thebanis absentibus summa rerum in illo praeter ordinem congregato Amphictyonum conventu ad Thessalos devenit aliosque, qui partibus Philippi favebant. Ab his igitur decretum est adversus Amphissenses bellum, eiusque dux Cottyphus factus (ὁ τότε τὰς γνώμας ἐπιψηφίσας, nempe in priori Amphictyonum concilio), quem Aeschines Pharsalium, dubio cognomine, vocat: l. c. p. 71 f.*) Inceptaque statim expeditione, Amphissensibus multa irrogata est; quam tamen quum stato tempore (insequenti nimirum Pylaea) persolvere aut nollent, aut non possent, redintegrare extemplo

*) Idem enim Arcas vocatur in decreto Amphictyonum altero: de cor. p. 279. Inde Ulpian. ad Dem. or. de cor. p. 277 Cottyphum dicit hieromnemonem Thessalum fuisse aut Arcadem. Thessalum fuisse verisimilius dicas, cum propter magnam tum temporis in rebus Amphictyonicis Thessalorum auctoritatem, tum quod de eo omnino dubitetur, an Arcades in Amphictyonibus locum habuerint (v. Tittmann. l. c. cap. III, §. 6). Itaque Cottyphus anne Arcadia ortus Pharsalum migravit, ibique civitate donatus est? Difficilius equidem crediderim. Nam si re vera Thessalorum hieromnemon fuit, in monumento sane publico Thessalus nuncupandus erat. Verumenimvero eo tempore, quo Macedones im Amphictyonici iuris consortium recepti sunt, quidni Arcades, vetustissima Graeciae gens, fuerint Amphictyones? Quamobrem equidem potius dixerim Cottyphum eo tempore, quo habita est or. de cor., sede interim mutata Pharsali habitasse, — aut apud Aeschinem pro *Φαρσάλιος* legendum *Παῤῥάσιος* esse, quod nomen fuit alicuius Arcadum partis et satis confirmatum est Thuc. V. 33. Xen. Hell. VII, 1, 28. Paus. VI, 8 (πύκτην ἄνδρα, γένος μὲν Ἀρκάδα ἐκ Παῤῥασίων) coll. VIII, 27, ubi Parrhasiorum urbes Arcadicae enumerantur. De Parrhasia in universum v. Mannert Geogr. Vol. VIII, p. 477 sq.

bellum Amphictyones, sed duce iam Philippo decreverunt. Aesch. l. c. p. 72. Id secundum Aeschinem factum est longo tempore post extraordinarium illum conventum, *ἐπανεληλυθότος Φιλίππου ἐκ τῆς ἐπὶ τους Σκύθας στρατείας* l. c. Accuratius Demosthenes p. 277 sq.: quum primum ortae essent de Amphissensibus controversiae, et bellum concitatum esset, initio quidem exercitui Amphictyonico praefectus est Cottyphus; at quum Amphictyonum alii omnino non adessent, et qui adessent, nihil efficerent, ad absolvendam machinationem iam pridem instructi quidam Thessali et nonnulli etiam ex aliis civitatibus continuo id agebant, ut in concilio Pylaico, quod proxime habebatur, Philippo iam summa imperii deferretur: *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν Πυλαίαν ἐπὶ τὸν Φίλιππον εὐθὺς ἡγεμόνα ἦγον οἱ κατασκευασμένοι καὶ πάλαι πονηροὶ τῶν Θετταλῶν κ. τ. λ. — τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; ἡρέθη γὰρ ἐκ τούτων ἡγεμών:* p. 278. — Itaque in verno concilio Olymp. CX, 1 decretum est, conveniendum Amphictyonibus esse ad extraordinarium concilium *πρὸ τῆς ἐπιούσης Πυλαίας*, secundum Aeschinem (in Ctes. p. 71); Philippum belli adversus Amphissenses denuo gerendi imperatorem Amphictyones creant *ἐν τῇ ἐπιούσῃ Πυλαίᾳ*, secundum Demosthenem. *Ἐπιούσῃ Πυλαία* igitur illa manifesto est auctumnale Amphictyonum concilium. Id quod etiam praecedentium rerum nexu omnino probatur. Nam in priore concilio, verno, Amphictyones id manifesto agebant, ut Amphissensis tumultus brevi tempore et ante sequentem conventum ordinarium componeretur. Idcirco praeter ordinem congressi sunt: *ἐξ ἀνάγκης πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου*, secundum Aeschinem l. c. p. 71 med., et congressu facto bellum propriis sumptibus et copiis continuo Amphissensibus intulerunt.

Isque rerum et temporum ordo, quem inde a priore conventu Pylaico, verno, solis ex oratoribus

hucusque exposuimus, confirmatur etiam posteriore decreto Amphictyonico de Philippo adversus Amphissenses invitando, quod exstat in or. de cor. p. 279. In hoc enim primum Amphissenses commune Amphictyonum concilium vi invasisse, nonnullosque Amphictyones etiam vulnerasse dicuntur; deinde Cottyphus Arcas, Amphictyonum *στρατηγὸς ᾑρημένος* vocatur; quippe proprio exercitu Amphictyones coercere Amphissenses ante conati sunt; idem in Macedoniam nunc ire iubetur, rogaturus Philippum, ut imperii summam suscipiat. Tempus autem decreti huius haud ambigue indicatum est per sacerdotem Clinagoram, decreto praefixum. Nam *ἐπὶ ἱερέως Κλειναγόρου, ἐαρινῆς Πυλαίας*, latum etiam est prius decretum Amphictyonicum de Amphissensibus e Cirrhaea eiiciendis. In his *ἐαρινὴ Πυλαία* anni tempestatem, *ἱερεὺς Κλειναγόρας* ipsum annum manifesto designat. Atque Clinagoras iste non potest praeses concilii esse; nam in verno illo concilio Cottyphus hieromnemon praesidebat (*Κόττυφος ὁ τὰς γνώμας ἐπιψηφίζων*. Aesch. in Ctes. p. 71 in.), idem qui postea dux est adversus Amphissenses creatus (Aesch. l. c. 71 extr.) — sed sacerdos annuus est, h. e. eponymus, ab ipsis haud dubie Amphictyonibus creatus iudice Boeckhio in Corp. inscript. Vol. I, p. 808 a.*) Nisi enim annuus erat, simplici eius nomine non poterat tempus accurate si-

*) Similis magistratus est Byzantiorum Hieromnamon in Perinthiorum et Byzantiorum decreto or. de cor. p. 255. Posterioribus tamen temporibus non ex sacerdote, sed ex archonte Delphico annos designabant Amphictyones, id quod testantur inscriptiones Delphicae ap. Boeckh. l. s. c. nr. 1689 b. 1705 et 1694, ubi decreti Amphictyonici hoc initium legitur, nostro simillimum: *ἐπὶ Ἀρισταγόρα ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς, Πυλαίας ἠρινῆς, ἱερομνημονούντων.* —

gnificari, sed notandus erat annus gesti muneris, quem notari constat apud sacerdotes Argivas. (Cf. Tittm. Darstell. d. Gr. Staatsverf. p. 358). Quod si ita est, Clinagoras, quum duobus Amphictyonicis decretis praefixus sit, quorum prius verno concilio Olymp. CX, 1, alterum posteriori quodam, ut ambigue loquar, latum est, vere Olymp. CX, 1, in ipsoque haud dubie Amphictyonum illo concilio eponymi sacerdotis munus suscepit, gerendum usque ad ver Ol. CX, 2. In verno igitur Amphictyonum conventu Ol. CX, 2, ineunte novo anno Amphictyonico, alius iam eponymus erat. Quod consequens sit, patet. Posterius enim decretum de invitando adversus Amphissenses Philippo quum latum sit eodem sacerdote Clinagora, eodem igitur anno Amphictyonico, post vernum Amphictyonum conventum, et, de quo nulla ex parte dubitandum est, ordinario Amphictyonum concilio, revocandum omnino est ad *ὀπώραν* Olymp. CX, 2 in eoque *ἐαρινῆς Πυλαίας*, quod legitur post *ἱερέως Κλειναγόρου*, levissima medela sanandum liquet, mutandumque in *ὀπωρινῆς*, id quod felicissime coniecit Reiskius, sed per temporum ignorantiam falso retulit ad mensem vernum Anthesterionem.*) Neque enim De-

*) Nimirum, quod Anthesterionem XVI, quem afferunt *χρόνοι* ap. Dem. de cor. p. 279 ad posterius decretum Amphictyonicum pertinere arbitratus est, quippe quod Demosthenes, postquam hoc recitatum est, illos continuo recitari iubeat his: *λέγε δὴ καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο.* Et possit non nemo in eundem errorem abduci indeque contendere, lectionem *ἐαρινῆς* in posteriori decreto nihil esse impugnandam, idque de causa satis probabili, si Anthesterionem illum XVI una cum archonte non ex decreto de creandis Atheniensium Pylagoris, vere Ol. CX, 1 lato, esse desumptum dicat, sed eam esse temporis notam, quae praescripta alteri illi decreto Amphictyonico sit, postquam esset Athe-

mosthenes ἐν τῇ ἐπιούσῃ Πυλαίᾳ Philippum imperatorem creatum dicere poterat (p. 277) et simul ex ipso decreto Amphictyonico ostendere, factum hoc esse

---

nas allatum, ut Atheniensibus suis ex fastis constaret, quando latum esset decretum. Cuius quidem usus probabile exemplum dedit Boeckhius in Corp. Inscriptt. Vol. I. Inscr. Delphicae p. 805. Lex est Amphictyonica ita incipiens: *Πυθέου ἄρχοντος, Ἱπποθωντίδος τρίτης πρυτανευούσης*, quae verissime Boeckhius contendit praescripta Athenis esse, ut Atheniensibus constaret, quando lata lex esset. — At eiusmodi non esse nostrum illum Anthesterionem XVI evidenter docent Demosthenis verba: *λέγε δὴ καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο. εἰσὶ γὰρ καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν οὗτος.* Nam in his, quod supra iam monui, *ταῦτα* manifesto ad utrumque decretum Amphictyonicum pertinet, quippe quod Demosthenes *λέγε χρόνους* dicat, non *χρόνον*. Itaque verba Demosthenis illa hoc sibi volunt: „res, quae utroque illo decreto continentur, quando factae sint, constabit ex eo tempore, quo Aeschines munere Pylagorae fungebatur: factae enim eae sunt, dum Aeschines Pylagoras erat, quippe qui hoc munere suscepto Amphissensibus reis apud Amphictyones factis auctor exstiterit prioris posteriorisque decreti." Manifesto igitur Demosthenes decretorum tempora definire vult ex eo tempore, quo Aeschines Pylagoras fuerit. Hoc autem definiri facillime poterat ex decreto de creandis Pylagoris, vere Ol. CX, 1 Athenis lato. Ex hoc igitur decreto desumptum esse patet archontem, etiam si non Mnesithidem, et Anthesterionem XVI, adeoque referri non posse ad ver Ol. CX, 2. Neque enim, ut hoc etiam statim addam, Ol. CX, 2, ineunte iam novo anno Amphictyonico, Aeschines adhuc Pylagoras potuit esse. Nam Pylagorae munus annuum certe spatium non excessisse, Aeschines docet afferens verba decreti a Demosthene lati haec: *τὸν ἱερομνήμονα τῶν Ἀθηναίων καὶ τοὺς Πυλαγόρας τοὺς ἀεὶ πυλαγοροῦντας πορεύεσθαι εἰς Πύλας καὶ εἰς Δελφοὺς ἐν τοῖς τεταγμένοις χρόνοις:* or. in Ctes. p. 71 med. Contra quotannis novos Pylagoras creatos esse ex ipso Aeschine

tertio demum concilio, quippe verno Ol. CX, 2, post prius decretum de Cirrhaea Apollini restituenda; nec, si verno demum concilio Olymp. CX, 2 Philippus belli dux creatus esset, factum id Aeschines diceret *πολλῷ χρόνῳ ὕστερον, ἐπανεληλυθότος Φιλίππου ἐκ τῆς ἐπὶ τους Σκύθας στρατείας* (in Ctes. p. 72 in.), sed accuratius iam *ἐνιαυτῷ ὕστερον*, quo magis suam innocentiam, Demosthenis mendacium patefaceret, simulac Aeschine auctore exortum esset bellum Amphissense, Philippum protinus in Graeciam descendisse dicentis (Aesch. l. c. p. 71 extr.).

Quod autem *ὀπωρινῆς Πυλαίας* restituendum dicimus, paullum praeter Strabonis auctoritatem, qui alteram Pylaeam *μετοπώρου* habitam, ideoque *μετοπωρινήν* vocatam dicit (IX, c. 3), id satis confirmatur Philippi epistola, de qua nunc dicendi locus est.

Etenim Philippus, belli sacri iam imperator creatus, epistolam sociis suis Peloponnesiacis mittit eam,

---

coniecerim, qui creatum se Pylagoram cum Midia et Thrasycle dicit archonte Theophrasto, non addens, utrum ad vernam an ad auctumnalem Pylaeam. Instante igitur quotannis verno Amphictyonum concilio novi Pylagorae creati videntur esse, qui munere hoc verno simul et aestivo concilio, itaque per universum annum Amphictyonicum fungerentur. Et hanc sane sententiam Demosthenes etiam confirmat, quum ex solo eo tempore, quo Aeschines creatus est Pylagoras, eorum tempora definiat, quae continentur priori posteriorique Amphictyonum decreto. Itaque Anthesterione illo XVI una cum archonte ex Atticis fastis designatur annus Amphictyonicus, quo, Aeschine Pylagora, latum sit prius et posterius decretum Amphictyonicum. Is autem annus quum defluxerit ante vernum concilium Ol. CX, 2, posterius decretum rursus liquet aestate seu auctumno Ol. CX, 2 latum esse, ergo *ὀπωρινῆς Πυλαίας*, non *ἐαρινῆς*.

quae exstat in or. de cor. p. 280, in qua „armatos eos in Phocide sibi occurrere iubet, *ἔχοντας ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τετταράκοντα τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λῴου, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δ' Ἀθηναῖοι Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι Πανήμου:* velle enim sese cum eis coniunctum Apollini auxilium ferre et iniuriam, qua deum nefarii Amphissenses afficiant, viribus propulsare." Socii Peloponnesiaci, ad quos scripta est epistola, Elei sunt, Arcades, Messenii, etiam haud dubie Argivi, de quorum omnium societate, post excisos Phocenses Philippo conciliata, dixi cap. sup. nr. 5. Sed possunt Corinthii etiam esse, Achaeique, verbo omnes foederis Pylaici socii. Boedromionem autem mensem non alium esse posse, nisi Ol. CX, 2, per se patet. Nam Olymp. CX, 3 mensis iam Metagitnionis VII. ad Chaeroneam conflictum est. *Μὴν ἐνεστώς* mensis est, aut instans, hoc est proximus ei, qui agitur, aut qui modo coeptus est. *Ἐνστάς* non nisi de eo dicitur, quod coeptum iam est, ut *ὁ γὰρ τότ' ἐνστὰς πόλεμος* in Dem. or. de cor. p. 255, eodemque sensu usurpatur etiam *ἐνεστὼς πόλεμος, καιρός* etc. V. Schweighaeus. Lex. Polybian. v. *ἐνίστασθαι.* Altera tamen significatione *μὴν ἐνεστὼς* occurrit in inscr. ap. Boeckh. Corp. Inscr. nr. 1543, ubi Quintus Fabius Proconsul iure iurando adstrinxisse se Timotheum quendam dicit, ut ad novilunium *τοῦ ἐνεστῶτος* Romam adveniat. Itaque Philippi epistola scripta est aut mense Metagitnione exeunte aut coepto iam Boedromione; illo certe habita sit altera illa Pylaea, in qua latum est decretum de Philippo adversus Amphissenses in Graeciam invitando. Metagitnio autem *ὀπώρας* mensis est;*) ergo Pylaea illa, quod su-

---

*) *ὀπώρα* enim, si accurate distinguitur a *μετοπώρῳ*, vero nostro auctumno, aestas est adulta, quae initium capit Hecatombaeone exeunte inde ab oriente Sirio, termi-

pra statuimus, ὀπωρινὴ fuit. Epistolam autem Philippi scriptam esse continuo post aestivum illud concilium, et adhuc in Macedonia, in ipso fere eo momento, quo Philippus a Cottypho in Graeciam invitatus fuerit, concedet, qui solam eam accurate excusserit.

At Corsinus (F. A. diss. III. §. 20 et 21) alterum conventum Pylaicum vernum esse statuens, itaque vere demum Olymp. CX, 2 Philippum imperatorem adversus Amphissenses creatum, ne sociis Peloponnesiacis, Boedromione demum Olymp. CX, 3, uno igitur mense post cladem Chaeronensem conveniendum cum Philippo esset, in epistola Philippi pro *Βοηδρομιῶνος* *Ἑκατομβαιῶνος* legendum contendit, eamque scriptam esse censet Olymp. CX, 2 exeunte, mense nimirum Scirophorione, post captam Elateam et conciliatam Atheniensium cum Thebanis adversus Philippum societatem. Et haec vera videri possint, etiamsi minus propter rationes Corsini. Nam Demosthenes scriptam epistolam dicit esse, quum non obedirent Thebani, *ὡς οὐχ ὑπήκουον οἱ Θηβαῖοι:* de cor. p. 279. Maxime autem Corsinianae opinioni adspirat vulgaris Fastorum Macedonicorum ratio, ea nempe quae posterioribus temporibus apud Syromacedones potissimum obtinebat, et nobis unice nota est. Ex hac enim Lous Macedonicus non Boedromioni Attico, sed re vera Hecatombaeoni respondet. V. praeter Corsin. l. c. Ideler. Enchirid. Chronol. Vol. I. p. 402.

At quum multa sint, quae Corsino, et quisquis opinionem eius secutus est, obstent, maxime nobis id ipsum obesse videtur, quod Lous hic contra vulgarem posteriorum Fastorum rationem Boedromioni re-

---

natur Boedromione fere medio. V. Ideleri Enchirid. Chronol. Vol. I. p. 244 sqq.

spondet; imo id ipsum genuinae lectionis *Βοηδρομιῶνος* firmissimum nobis esse argumentum videtur. Nemini enim in mentem venire poterat epistolae huic aliquid intrudere, quod vulgari mori prorsus esset contrarium. Nam casu eiusmodi depravationem exstitisse, criticus nequaquam concedet. Verumenimvero epistolam Philippi ne posse quidem scriptam esse post captam Elateam, vidit iam Taylorus (not. ad Dem. de cor. p. 280. 13). Sed eius rationes non omnino idoneae sunt et ex parte ne verae quidem. Nos igitur, re denuo explorata, sic argumentamur:

Elaphebolione mense Philippus per Thermopylas Graeciam invadit. Nam

Elaphebolionis XXV*) Athenienses inducias a Philippo petunt usque ad mensem Thargelionem, accusantes eum, quod urbes vicinas alias iam ceperit, alias oppugnet, et in Atticam utique moliatur invadere, ex decreto I., pseudeponymo Heropytho lato, quod exstat in or. de cor. p. 282 in.

Munychionis ultimo die XXIX iterum inducias rogant, quoniam Philippus abalienare a sese Thebanos studeat, et cum toto exercitu in finitima Atticae loca proficisci paret, ex decreto II., eodem Heropytho lato, quod exstat in or. de cor. p. 282 extr.

Posteriori hoc decreto accepto Philippus Atheniensibus exprobrat, quod inimicis adversus sese consiliis Thessalos sibi, Thebanos, etiam Boeotos conciliare studuerint; inducias tamen concedit (v. responsum Philippi ad Athenienses in or. de cor. p. 283); eodemque tempore

---

*) non XXIV. Nam Ol CX, 2 Elaphebolio mensis plenus erat, itaque eius XXI dies *δεκάτῃ φθίνοντος*, XXV *ἕκτῃ φθίν.*, quod legitur in decreto. V. tabb. chronol. in Ideleri Enchirid. Vol. I. p. 383 sqq.

Thebanos collaudat, quod concordiam et pacem secum conservare velle per epistolam ad se datam declararint, quippe quod antea Atheniensium eos studia et consilia secuturos esse arbitratus sit (v. responsum ad Thebanos in or. de cor. p. 283 sq.). Iam vero Scirophorionis XVI, allato vix de Elatea capta nuncio (de cor. p. 284 sq.) bellum ab Atheniensibus decernitur ex decreto Demosthenis, quod exstat in or. de cor. p. 289, simul etiam foedus cum Thebanis conciliandum, quod statim etiam conciliatum esse ipsoque adhuc Scirophorione, sequentia docent.

Atque haec omnia ad Olymp. CX, 2 exeuntem referenda sunt; nam Olymp. CX, 3, minoribus pugnis duabus ante commissis (de cor. p. 300), secundi iam mensis, Metagitnionis, VII. clades Chaeronensis consecuta est.*)

*) Ad Ol. CX, 1 exeuntem retulit Weiskius de Hyperbole diss. III, p. 23, ubi Anthesterione medio Ol. CX, 1 bellum Amphissense decretum, eiusdem anni Anthesterione exeunte vel Elaphebolionis initio, in conventu Amphictyonum extraordinario, Cottyphum et ducem electum, et quum nil proficeret, ad Philippum invitandum missum, ab hoc, Elaphebolione Phocidem et Locridem ingresso, eiusdem anni Ol. CX, 1 Scirophorione Elateam occupatam, et post Elateam occupatam foedusque inter Thebanos et Athenienses ictum epistolam ad Peloponnesios scriptam esse contendit. — Ad hanc de rerum ordine opinionem deductus Weiskius est pugna χειμερινῇ, quam inter Elateam captam et cladem Chaeronensem commissam memorat Demosthenes (de cor. p. 300), Weiskius hieme conflictam vertit, itaque hieme Ol. CX, 2, sed contra veram rerum et conditionem et seriem. Nam inter Anthesterionis XVI (Ol. CX, 1), quo die ne habitum quidem iam est prius Amphictyonum concilium, sed Aeschines creatus Pylagoras, inter hunc, aio, atque Elaphebolionem XXV et

Haec rerum series est usque ad id tempus consecutarum, quo scriptam Philippi epistolam Corsinus statuit, hoc est ad Scirophorionem exeuntem, Elatea iam capta, ictoque foedere inter Thebanos et Athenienses. Cum ea confer iam ipsam epistolam. In qua Philippus βούλομαι τῷ θεῷ, ait, μεθ' ὑμῶν βοηθεῖν, καὶ ἀμύνασθαι τοὺς παραβαίνοντάς τι τῶν ἐν ἀνθρώποις εὐσεβῶν. Haec num scripta esse tum possunt, quum ultra quatuor menses iam in Graecia versatus erat Philippus, in quam Amphissensium coercendorum causa descenderat? Et quod addit: συναντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα, num iussum potest esse, quum Philippus Elatea capta ipsam iam occupaverat Phocidem? Immo eadem haec evidentissime docent, epistolam scriptam esse in ipsa adhuc Macedonia, aut in Thessalia, si forte Philippus suscepto ab

bellum contra Amphissenses decretum, et Amphictyonum legatos domum reversos, indeque ad extraordinarium conventum Pylas redisse, et bellum tum ab Amphictyonibus Cottypho duce gestum et Amphissensibus multam irrogatam esse, stato tempore persolvendam, eaque non soluta Philippum invitatum, in Graeciam profectum, et urbibus iam nonnullis potitum esse, omnia haec unius mensis spatio facta esse, quisnam crediderit? Taceo Aeschinem bellum adversus Amphissenses exortum dicere Philippo in Scythia absente, novam autem adversus eos expeditionem Philippo duce decretam πολλῷ χρόνῳ ὕστερον, ἐπανεληλυθότος Φιλίππου ἐκ τῆς ἐπὶ τοὺς Σκύθας στρατείας, in quo non ea certe potest hyperbole statui, quam Weiskius vult, conspirante cum Aeschine ipsius Demosthenis ἐπιούσῃ Πυλαίᾳ. — Atque eadem haec obstabunt etiam, si quis alterum Amphictyonum concilium Ol. CX, 1 exeunte extraordinario conventu Pylaico habitum, et ea de causa decretum de Philippo adversus Amphissenses invitando ἐπὶ ἱερέως Κλειναγόρου τῆς ἐαρινῆς Πυλαίας ferri potuisse contenderit.

Amphictyonibus imperio confestim in Graeciam tendebat, Apollini opem ferendam simulans, re vera id agens, ut ipsam posset Atticam invadere. Atque si Demosthenes p. 279 (coll. 280) epistolam ea simulatione scriptam esse ait, ac si non adversus Graeciam et Thebanos et Athenienses acturus esset, serius profecto Olymp. CX, 2 Scirophorione extremo tali simulatione usus esset Philippus, quo tempore nec Elatea capta, nec foedus Atheniensium cum Thebanis, nec bellum adversus hos solos intentum latere potuit socios eius Peloponnesiacos. Immo si Philippi in Graeciam impressio ab initio agitata est specie auxilii Delphico deo ferendi, re vera contra Athenienses, Amphissensium debellandorum praetextu convocandi Philippo socii Peloponnesiaci iam tum erant, quum primum iter in Graeciam instituebat, hoc est continuo post aestivum illud Amphictyonum concilium Metagitnione Olymp. CX, 2 habitum. Iam tum enim Thebanos nosse Philippus poterat ne adversus Amphissenses quidem, nedum adversus Athenienses societatem secum esse facturos. Etenim Thebanos exardescente iam Amphissensi tumultu abstinuisse, sicut Athenienses, vidimus iam ab extraordinario illo Amphictyonum conventu, quo bellum est adversus Locros decretum; unde eos verisimile est eorum etiam societatem detrectasse, quae deinde ab Amphictyonibus acta sunt et decreta, et quod consequens est, neque decretum Amphictyonicum de invitando in Graeciam Philippo probasse, neque Philippo decreta Amphictyonum exsequenda simulanti promptos se ad obsequium praestitisse. Immo ad obsequium istud eo minus compositi poterant esse, quo magis ex longiori iam tempore Philippus ipsis in suspicionem venerat, quum excisis vix Phocensibus, in Amphictyones receptus arrogantius sese gerere coepisset, Peloponnesiacas civitates, eis quondam consociatas, sibi conci-

liasset, Nicaeam urbem, ad ipsas Thermopylas sitam, eis abreptam Thessalis tradidisset, eius ut ita sibi firmaret possessionem (v. Dem. ad epist. Phil. p. 153. Phil. II. 71. Aesch. in Ctes. p. 73 med.), item denique Echino etiam ad sinum Maliacum sito, eos privasset (Phil. III. p. 120.). His igitur de causis quum exacerbati Thebanorum animi essent, Atheniensium ii, qui adversas Philippo partes in re publica gerenda sequebantur, Aristophon, Eubulus, alii, iam ante haec tempora Thebanos Atheniensibus conciliare omni modo conabantur (Dem. de cor. p. 281. Aesch. in Ctes. p. 73. med.); sed inveteratum odium, inter utrasque civitates inde a pugna Leuctrica concitatum, restingui non facile poterat (v. ll. cc.), reluctantibus praesertim iis, quos utraque civitas alebat proditores sectatoresque Philippi. Qua de causa Demosthenes, excitatum ab Aeschine bellum Amphictyonicum et sustentatam inter utrasque civitates inimicitiam Philippo in Graeciam descendendi facultatem praebuisse contendit, ac si ea spem ei dederit, fore ut, si facta sibi ab Amphictyonibus potestate Graeciam esset ingressus, Thebani facile secum societatem adversus Athenienses essent facturi: *τὸν ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον τούτου μὲν ποιήσαντος, συμπεραναμένων δὲ τῶν ἄλλων τῶν συνεργῶν αὐτῷ τὴν πρὸς τοὺς Θηβαίους ἔχθραν, συνέβη τὸν Φίλιππον ἐλθεῖν ἐφ' ἡμᾶς, οὗπερ ἕνεκα τὰς πόλεις οὗτοι συνέκρουον.* Dem. de cor. p. 281 extr. Sed in hac gravissima opportunitate Athenienses, imminente sibi universaeque Graeciae periculo, acrius conatus renovarunt, summamque, Demosthene in primis auctore (de cor. p. 281), operam dabant, ut sibi possent reconciliare Thebanos, ipsos quidem una ex parte Amphissensibus faventes, ex altera a Philippo ex longiore iam tempore dictas ob causas abalienatos. Thebanique iamiam ad eos declinare videbantur, ita ut Philippus ipse studia Atheniensium secuturos eos esse arbitraretur,

et ob eam ipsam nimirum causam, quum non adversus Athenienses solos verum etiam adversus Thebanos bellandum sibi fore metueret, traiectis Thermopylis inter primas cum Atheniensibus inducias omnem exercitum congregaret (v. decret. Athen. II. p. 282 extr.). Imminentis vero ita gravissimi periculi metu Thebani, satius in praesentia rati, si moram facerent, Philippo brevi tempore ante captam Elateam, paratos se ad pacem et concordiam observandam esse et de rebus praesentibus melius cogitare velle, declararunt. Haec omnia docet Philippi ad Thebanos responsum, quod exstat in or. de cor. p. 283 sq., et datum est mense Thargelione Ol. CX, 2, ut infra monstrabimus. Hisque Thebanorum consiliis audacior tandem factus Philippus propius iam in Graeciam movit Elateaque potitus est. Quo facto Athenienses iam omnes pristinas simultates deposuere (v. decret. Demosth. in or. de cor. p. 289.), Thebanique Demosthenis eloquentia exsuscitati mutatis iam consiliis oblatam sibi ab Atheniensibus societatem arripuere (Dem. de cor. p. 278 et 298 sqq.).

Quae quum ita sint, epistolam ad socios Peloponnesiacos omnino mense iam Metagitnione Olymp. CX, 2 scripsisse Philippus potest, et quamquam nondum Graeciam ingressus, ea tamen iam tum simulatione, ac si non adversus Thebanos et Athenienses agere instituisset, quippe Thebanis iam tum consiliis eius non adspirantibus, *ὡς οὐχ ὑπήκουον οἱ Θηβαῖοι,* ut ait Demosthenes de cor. p. 279, qui si ipse his verbis tempus Elateam captam insequens significare voluisset, de industria potius ab iusto rerum ordine paullum declinasse dicendus esset, quo maiorem adversario conflaret invidiam.

His igitur evidentissime id certe demonstrasse mihi videor, epistolam Philippi nec post captam Elateam scriptam essse posse, nec mense demum Sci-

rophorione. Quod si verum est, ut est, neque Ἑκατομβαιῶνος in ea legi potest, sed servandum utique est Βοηδρομιῶνος, id quod ipsum idoneis argumentis in superioribus confirmatum est. Inde quod consequens sit, per se patet: nempe eam Philippi aetate obtinuisse apud Macedones fastorum rationem, ex qua Lous Macedonum Attico Boedromioni responderit, a recentiori illa prorsus diversam, sive haec Alexandro iam regnante invaluerit, quae est plurimorum chronologorum opinio, seu, quod alii statuunt, post aetatem Iulii Caesaris, quum menses Macedonici, ante lunares, in solares mutati sint. V. Ideleri Enchirid. Chronol. Vol. I. p. 402 sqq. Boeckh. in Appendice ad commentat. saepius memoratam de or. Mid. in Actis Acad. Berol. A. 1818—19. Cl. histor. philol. p. 94. Et Plutarchus manifesto ex recentiore ista Fastorum ratione Daesium, quo pugna sit ad Granicum commissa, confert Attico Thargelioni in Alex. c. 16. coll. Camill. c. 19, in quo eum sequitur Aelianus in Var. hist. II, 25, ex eadem rursus Alexandrum Hecatombaeone natum dicit, quem Loum appellent Macedones, in Alex. c. 3, in quo ipso tamen ob tempus aetatis et mortis Alexandri, quod optime constat, alia inest difficultas, nondum satis excussa, de qua v. Ideler. l. c., quum nobis de ea disputare non huius loci videatur. — Quae quum ita sint, concidit id etiam, quod praeterea coniectura sua assecutus sibi videbatur Corsinus (F. A. Vol. I. p. 140 sqq.), nempe Corinthium mensem Panemum, cui Philippus in eadem epistola Loum conferat, Attico Hecatombaeoni respondisse. Etenim Corinthiorum Panemus Metagitnioni respondisse videtur, cui respondebat Boeoticus Panemus secundum Plut. Camill. c. 19, et etiam Macedonicus, quippe qui Loum praecedat, ex epistola Philippi Boedromioni respondentem. Sin autem in epistola Philippi Boedromioni respondet, eius nulla statui potest causa ve-

risimilior ea, quam coniecit Boeckh. l. c. p. 94, et secutus etiam est Ideler. l. c. Vol. II. p. 610: scilicet quum intercalandi ratio apud singulas Graeciae civitates diversa fuerit, singulari apud Corinthios intercalatione factum esse, ut Corinthiorum Panemus eo anno, ad quem referenda est Philippi epistola, Olymp. CX, 2, in Boedromionem Atticum removeretur.

Quod igitur hucusque praesertim certe explorasse nobis videmur, hoc est: excitato Olymp. CX, 1 in verno Amphictyonum concilio bello adversus Amphissenses, insequentis statim anni, Olymp. CX, 2, mense Metagitnione Philippum ab Amphictyonibus in Graeciam invitatum esse in eamque sequenti mense Boedromione traiicere contistuisse. Postrema haec dum agerentur, Aeschines deos ipsos Athenienses eorum, quae eventura essent, admonuisse contendit omine per mortem initiatorum in Mysteriis dato (or. in Ctes. p. 72 m.). Quod et certissimum possit argumentum eorum esse, quae de posteriori Pylaea, deque Philippi ad socios Peloponnesiacos epistola modo statuimus, si Mysteria illa magna fuerint, quippe quae mense Boedromione celebrarentur. Sin autem parva erant, omen illud ad Anthesterionem referendum est. Neque enim ita serius a diis missum esset, quum Philippus Elaphebolione demum mense in Graeciam traiecerit.

Sed antequam ad sequentium rerum descriptionem progrediamur, subsistendum hic paullulum videtur, quaerendumque, qui tum, quum Philippus in Graeciam traiicere moliebatur, fuerit rerum status inter Philippum et Athenienses actarum. Etenim Diodorus (XVI, 84) Philippum inopinato invasisse Athenienses ipsa in Graecia refert, quippe minus ad bellum paratos ob pacem, quam Olymp. CX, 1 intermissa Byzantii obsidione cum Atheniensibus composuisse Philippum narrat XVI, 77. Pacis huius nec Demosthenes, nec Aeschines, nec ullus alius scriptor

ullam facit mentionem. Quam ob rem de ea dubitavit Wessel. ad Diodor. l. c., et refutare Diodorum conatus est Weiskius de Hyperb. diss. II. p. 41. Nihilominus post liberatos Byzantios Philippum re vera cum Atheniensibus pacem fecisse, quod crediderunt Corsinus in F. A. ad Ol. CX, 1 et Heyn. in Antiqu. Byz. (Soc. Gottg. Comm. I, p. 15), evidentissime docet decretum Atheniensium I, de induciis a Philippo petendis latum Olymp. CX, 2 Elaphebolione XXV (de cor. p. 282), in quo accusatur Philippus, quod impressione in Graeciam facta, quum vicinas urbes partim iam ceperit, partim oppugnet, pacem et datum ius iurandum violarit: *ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν παρασκευάζεται παραγίγνεσθαι, παρ' οὐδὲν ἡγούμενος τὰς ἡμετέρας συνθήκας, καὶ τοὺς ὅρκους λύειν ἐπιβάλλεται καὶ τὴν εἰρήνην.* Eadem recurrunt in decreto sequenti, confirmanturque etiam Philippi ad Athenienses epistola, nec referri possunt ad pacem Olymp. CVIII, 2 compositam, quam solutam iam esse raptis a Philippo inter Selymbriae obsidionem Atticis navigiis, Boedromione Olymp. CIX, 4, Demosthenes ait de cor. p. 249 (cf. cap. IV. nr. 8), discissam vero solemniter esse Olymp. CX, 1 ineunte, inter obsidionem Byzantii, nos cap. IV, 7 satis accurate monstrasse nobis videmur. Tum enim ipse Philippus bellum Atheniensibus indixit per epistolam, quae Demosthenis orationem ad Philippi epistolam in ed. Reisk. excipit, indixisseque eum fatetur etiam Demosthenes in ipsa hac oratione, quum dicat: *τῷ μὲν ἔργῳ πάλαι πολεμεῖ πρὸς τὴν πόλιν, τῷ δὲ λόγῳ νῦν ὁμολογεῖ διὰ τῆς ἐπιστολῆς:* p. 152; tum etiam Athenienses pacis Olymp. CVIII, 2 cum Philippo compositae columnam demoliti sunt Philochoro teste ap. Dionys. Hal. l. c. §. 11, et bellicos apparatus instruxerunt, per quos Chersonesitas, Byzantios et reliquos socios servatos esse, Demosthenes refert l. c. p. 252, 257.

Et bellum iustum inter Byzantii obsidionem exortum agnoscit Demosthenes p. 255, et gestum esse non solum inter Byzantii obsidionem, sed etiam ad ea usque tempora, quibus novum in Graecia bellum sacrum exarserit ipso Philippo auctore disertissimis verbis pronunciat his: *οὐκ ἦν τοῦ πρὸς ὑμᾶς πολέμου πέρας οὐδ' ἀπαλλαγὴ Φιλίππῳ, εἰ μὴ Θηβαίους καὶ Θετταλοὺς ἐχθροὺς ποιήσειε τῇ πόλει. ἀλλὰ καίπερ ἀθλίως καὶ κακῶς τῶν στρατηγῶν τῶν ὑμετέρων πολεμούντων αὐτῷ, ὅμως ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πολέμου καὶ τῶν λῃστῶν μυρία ἔπασχε κακά. — ἦν δ' οὔτ' ἐν τῇ θαλάττῃ κρείττων τότε ὑμῶν, οὔτ' εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐλθεῖν δύνατος. . . .* (de cor. p. 276), quae omnia ad bellum pertinent Olymp. CX, 1 gestum, antequam tumultus Amphissensis Philippo in Graeciam invadendi potestatem fecerit, id quod docent sequentia Demosthenis verba. Atque omnia haec egregie confirmat etiam Plutarchus, Phocionis res post liberatos Byzantios gestas his verbis celebrans: *οὕτω μὲν ὁ Φίλιππος ἐξέπεσε τοῦ Ἑλλησπόντου τότε καὶ κατεφρονήθη — ὁ δὲ Φωκίων καὶ ναῦς τινας εἷλεν αὐτοῦ, καὶ φρουρουμένας πόλεις ἀνέλαβε, καὶ πολλαχόθι τῆς χώρας ἀποβάσεις ποιούμενος, ἐπόρθει καὶ κατέτρεχε, μέχρις οὗ τραύματα λαβὼν ὑπὸ τῶν προςβοηθούντων ἀπέπλευσε.* Plut. Phoc. c. 14. Itaque iustum sane bellum et Olymp. CX, 1 ineunte exortum est, et post solutam etiam Byzantii obsidionem continuatum. — At quum Philippus impressionem in Graeciam ab Amphictyonibus invitatus faciebat, omnia pacata conspicimus compositaque. Neque hoc solum, verum etiam Athenienses Olymp. CX, 2 Elaphebolione et Munychione pacis factae et per impressionem in Graeciam violatae Philippum admonent, et ille exorti belli nulla mentione facta id solum Atheniensibus exprobrat, quod Thessalos Thebanosque abalienare a sese omni modo studeant, et Scirophorionis demum XVI Athenienses, quum capta modo Elatea esset, ex decreto

Demosthenis, quod exstat in or. de cor. p. 289, navarchum cum ducentis navibus Thermopylas tendere iubent, et pedestres equestresque copias ad Eleusinem exire. Quae quum ita sint, omnino necesse est, ut pax Olymp. CX, 1 bello Byzantio interrupta ante Philippi in Graeciam impressionem rursus sit restituta. — Sed in illo ipso decreto Demosthenis, quod postremo commemoravimus, pacis iterum compositae nullam dicas esse mentionem iniectam. Verumenimvero in eo ne bellum quidem Olymp. CX, 1 renovatum diserte commemoratur. Scilicet decretum hoc eum in finem scriptum est, ut omnibus liqueret, non tam pro sua ipsorum salute periculosum cum Philippo bellum Athenienses suscipere, quam pro communi Graeciae libertate, superbe gravissimeque infestata, utque ea de causa omnes Graeciae civitates, in primis Thebani ad societatem cum Atheniensibus ineundam accerrimis stimulis excitarentur. Idcirco non commemoranda hic ea erant, quae propria belli incitamenta Atheniensibus essent, ergo ne pax quidem cum Philippo iterum composita, iterumque ab eo violata, sicuti ne id quidem dicitur, Philippum Atticam invadere velle, quod dicitur in utroque illo decreto de induciis, quippe quod ad Philippum scriptum sit. Itaque in decreto illo omnia Philippi mala facinora summatim enumerantur, ea quidem primum, quibus praecedenti tempore, nempe inde ab Olymp. CVIII, 2 usque ad Olymp. CIX, 4, pacem cum Atheniensibus compositam violarit, et quorum vindictam Athenienses pro sua animi magnitudine repetendam minus esse censuerint; tum vero maxime ea, quae praesenti tempore, hoc est inde ab Olymp. CIX, 4, adversus Graecos omnes Philippus et tentarit iniuste et executus sit, quae iam non toleranda sibi esse videantur. Sic enim egregie additur: „quamdiu barbaras (Illyrias et Thracias) atque proprias (in Chersoneso) ur-

bes eum capere videbat populus Atheniensis, parum in se peccari existimabat; nunc vero, quum Graeciae urbes alias ignominia affici, alias funditus everti conspiciat, gravissimum sane facinus, antiquaque maiorum gloria indignissimum se patraturum fore existimat, si sua negligentia Graecos omnes in servitutem abduci patiatur."

Itaque ne hoc quidem decretum quidquam obstat, quominus pacem post liberatum Byzantium compositam statuamus.

Quae pax utinam mihi iam tum innotuisset, ubi illustrandae erant desperatae illae discrepantiae et difficultates in primo illo decreto, quod or. de cor. p. 235, insertum est sic, tamquam latum a Demosthene re vera sit de maturanda legatorum profectione ad pacis Olymp. CVIII, 2 Elaphebolionis XIX inter Philippum et Athenienses compositae ius iurandum ab illo exigendum. Quam enim illic discrepantiarum illarum desperatione quadam explicationem tentavi, unicam sane quae reliqua mihi fuit, quippe ad pacem hanc a Diodoro sub Olymp. CX, 1 commemoratam imprudentius nil animadvertenti, eam nunc iam reprobandam et reiiciendam esse ingenue fateor, et decretum illud huc transferendum constanter opinor, quod, ut hoc etiam statim addam, falso illuc translatum sit ab eo homine, qui tabulis istis publicis omnibus ad mediam usque orationem de corona aut ex Atheniensium tabulario aut aliunde colligendis operam navarit. *)

*) Non meum est istud, quod nunc de decreto illo, simul etiam de aliis statuo, sed Boeckhio debeo, praeceptori meo, summa mihi pietate per vitam prosequendo, qui commentationem de archontibus pseudeponymis, inter hoc ipsum tempus, per quod equidem his meis commentariis oc-

Quum enim decretum illud prorsus repugnet et rebus Olymp. CVIII, 2 inter pacis cum Philippo pactionem gestis et rerum temporibus, reliquum est, ut ad aliam pacem referatur, et nisi ad hanc, quam modo exploravimus, post Byzantium liberatum compositam, ad pacem eam solummodo, quae cladem Chaeronensem subsecuta est. Ad quam quominus referatur, res quidem minus obstant. Dicitur in decreto Philippus pacem fecisse missis ad Athenienses legatis. Item reportata ad Chaeroneam victoria Philippum a Demade in pugna capto adeo mitigatum esse Diodorus refert (XVI, 87), ut pacem ultro Atheniensibus obtulerit. Quamquam ea res aliquatenus est dubitationi obnoxia. Neque enim satis a Demosthene confirmatur, qui Demadem nonnisi pacis auctorem factum dicit (de cor. p. 320), neque a Plutarcho, qui Demadem decresse ait, ut Athenienses ad pacis communis conciliique a Graecis habendi societatem accederent (Phoc. c. 16). Dinarchus denique a Diodoro prorsus dissentit, decretum afferens Demosthenis post cladem Chaeronensem latum, quo

cupabar, a se scriptam, et typis iam excussam quidem, nondum tamen in vulgus editam, privatim mecum insigni sua erga me humanitate communicavit. Sed singulare hoc viri egregii bonum tum demum mihi contigit, quum octava iam commentariorum meorum plagula prelo subiecta erat, nec retractari iam poterant ea, quibus difficultates in decreto illo positas, ipsas quidem accurate perspectas, removere tamen infelicius supra tentaveram. Plura de commentatione hac, quae cum hac nostra opella communem quandam materiam habet, nunc dicere nolo, ne in rebus, quae nunc exponendae sunt, iusto longius detinear. Commodior enim in Epilogo nostri libri locus erit et ad retractanda ea, quae de decreto illo in superioribus disputavi, et si qua alia sunt, sunt autem nonnulla, de quibus opinio mea aut correcta a Boeckhio sit, aut confirmata.

cives ad urbem muniendam properare iussi sint, simul autem rogatum sit, ut legati pacis causa Philippum adirent. Certius est Aeschinem, qui in decreto legatus affertur, legatum etiam continuo post Chaeronense infortunium Philippum adisse. V. Dem. de cor. p. 319. At in decreto insiticio legati celerrime Philippum adire iubentur, *ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται* [*τὸν Φίλιππον*], quod minus quadrat ad tempus cladem Chaeronensem subsequens, quippe quod Philippus tum prope Atticam ipsa in Boeotia versaretur. Maxime tamen repugnant tempora. Nam Olymp. CX, 3 pax continuo cladem Chaeronensem subsecuta est, diem igitur Metagitnionis VII, itaque composita est aut ipso adhuc mense Metagitnione, aut insequenti Boedromione. V. Dem. de cor. p. 319 coll. 320 extr. Decretum autem insiticium latum est Hecatombaeonis ultimo, in quo mutatum mensis nomen iam non concesserim*), quippe quod mutationis istius nullam causam idoneam videam; et pax ex decreto illo confirmata ab Atheniensibus est eiusdem mensis nimirum XI, quippe prima populi concione. Quae quum ita sint, recedendum omnino est a pace post proelium Chaeronense composita ad eam, quam post Byzantios liberatos factam supra monstravimus, propositamque re vera ab ipso Philippo fuisse Diodorus testatur. Eaque ex decreto illo facta sit mensis Hecatombaeonis XI, Olymp. CX, 2, quippe post solutam Byzantii obsidionem, quam vere superioris anni solutam esse supra docuimus. Olymp. CX, 2 Hecatombaeone Phi-

*) Nam ne in altero quidem decreto (p. 238) de excubiis habendis mensem aut diem mutatum nunc statuo; sed hoc etiam decretum non id esse arbitror, quod latum est a Callisthene Olymp. CVIII, 2 Scirophorionis XXVII, id quod cum priore decreto in Epilogo accuratius perscrutabor.

lippus aut versabatur adhuc in Scythica expeditione, quam Byzantii obsidione intermissa susceperat, aut ex ea domum redibat, ita ut Demosthenes Hecatombaeonis ultimo decernere omnino potuerit, legatis Philippum sine mora adeundum esse, ubicumque eum versari compererint, iuris iurandi citissime exigendi causa dandique, fortasse ne in eo, qui tum rerum in Graecia status erat, domum repente reversus Philippus graviora adversus Athenienses denuo machinaretur, si sacramento nondum esset adstrictus.

At, dicas contra, inter legatos Aeschinem in decreto afferri, quem Anthesterione XVI Olymp. CX, 1 Pylagoram creatum, si annuum Pylagorae munus fuerit, quod supra coniecimus, alteri etiam Pylaeae, Olymp. CX, 2 Metagitnione habitae, interesse oporteret; eundem tamen ex decreto illo eodem mense in Macedoniam abiisse. Ad haec respondeo: in altero illo concilio an interfuerint Atheniensium Pylagorae omnino addubitandum est. Nam Athenienses una cum Thebanis indignati statim de iis erant, quae Amphictyones in prima Pylaea adversus Amphissenses decreverant; quam ob causam ad extraordinarium illum conventum nullos legatos miserunt. Ad autumnalem vero Pylaeam si nihilominus Pylagoras miserint, Midias et Thrasycles cum Diogneto mitti potuerint. Nam priori etiam concilio verno duo soli Pylagorae Atheniensium cum hieromnemone interfuisse videntur.*) Aeschines certe alteri huic concilio omnino non interfuisse videtur. Ubi enim de concilio hoc Demo-

*) Hoc ea de causa statuo, quod Aeschines in Ctes. p. 69 extr. et 70 extr. in priore illo concilio verno hieromnemonem febri correptum esse ait, item etiam Midiam, itaque sibi mandatam a Diogneto esse Atheniensium defensionem adversus Amphissensium criminationes, Thrasyclis nullam faciens mentionem.

sthenes disserit (p. 277 et 281), ibi Aeschinem omnino non tangit, neque eum alterius decreti Amphictyonici de Philippo in Graeciam invitando auctorem arguit, sed excitati solummodo belli Amphictyonici, per quod in Graeciam invadendi ansa Philippo praebita sit. Denique si Aeschinem etiam aestivo illi concilio interesse oportebat, poterat sane Hecatombaeonis XXX legatione ad Philippum suscepta, mense iam Metagitnione ex itinere Pylas reversus esse, quia celerrime properandum legatis ex decreto erat, iter autem in Hellespontum ipsum decem diebus, quin tribus quatuorve absolvi posse Demosthenes contendit de cor. p. 235.*)

Itaque decretum illud omni ex parte huc referendum videtur, ipsumque pacis post Byzantii liberationem compositae firmissimum est documentum. Quod si est, pax haec non continuo post solutam Byzantii obsidionem composita sit, sed aliquot mensibus post, id quod confirmant testimonia de bello continuato, quae supra attulimus. Res igitur postremo expositae ita iam ordinandae videntur:

Philippus intermissa Byzantii obsidione primo vere Olymp. CX, 1 in Scythiam proficiscitur. Ela-

*) Ceterum, quod Demosthenes Aeschinem post pugnam Chaeronensem ultro ad Philippum properasse legatum dicit, *καὶ ταῦτ' ἀρνούμενον πάντα τὸν ἔμπροσθεν χρόνον ταύτην τὴν χρείαν, ὡς πάντες ἴσασι* (de cor. p. 319), ea neminem offendant. Potuit enim Aeschines legationem pacis causa obire Ol. CX, 1 Hecatombaeone, idem postea idem munus eiurare, scilicet bello exorto. Nam bis eodem adhuc anno missa est ad Philippum legatio, altera Elaphebolione mense, altera Munychione. Idem et antea, pacis intervallo, nusquam legatus ad Philippum memoratur, ut legatio illa Ol. CX, 1 ineunte suscepta unica fuerit, quam inter Ol. CVIII, 2 et CX, 3 Aeschines obierit.

phebolione mense Amphictyonum habetur concilium, in quo bellum adversus Amphissenses commovetur Aeschine auctore, et haud longe post extraordinario conventu Amphictyonum facto decernitur geriturque, Philippo, ut Aeschines ait, in Scythia occupato. Interim Athenienses bellum in Thracia cum relictis a Philippo imperatoribus continuant. Ille vero, nondum haud dubie confecta expeditione Scythica, exeunte anno Olymp. CX primo legatos Athenas mittit de pace acturos, animum ad pacem et amicitiam compositum simulans, sed diversa iam tum nimirum animo volutans. Mox enim ad bellum sacrum, quod modo exortum erat, accitum se ab Amphictyonibus in Graeciam iri aut praesentiebat, aut id ut fieret, ipse agitabat, quippe quod, si ingressus in Graeciam esset, Athenienses statim sibi adversaturos esse, se vero iustis iam de causis et sine ullo impedimento in ipsa Attica eos coerciturum esse speraret. Itaque, sicuti Olymp. CVIII, 2 pacem cum Atheniensibus conciliaverat, ut bellum Phocense posset nil impeditus componere, ita tunc etiam in persimili opportunitate pacem proposuit, ne si bellum continuandum sibi esset, difficilior sibi transitus in Graeciam fieret, neve Atheniensium in Macedoniam impressionibus a tergo premeretur, si Thermopylas traiecisset, sed totus solam in Atticam bellum posset transferre. Neque spes haec fefellit eum. Etenim Athenienses pacem Olymp. CX, 1 exeunte a Philippo propositam Hecatombaeonis XI Olymp. CX, 2 accipiunt, eiusdemque mensis XXX legatos mittunt ius iurandum daturos et exacturos. Philippus insequenti mense Metagitnione pacem iure iurando confirmat, eodem iam ab Amphictyonibus in Graeciam ad coercendos Amphissenses invitatur, ex Scythia iam, Aeschine teste, reversus. Quo facto insequenti statim mense in Graeciam traiicere parat, sed causis mox accuratius explorandis co-

hibitus aliquot demum mensibus post Graeciam re vera ingreditur. Quod quum omnes scriptores adversus Athenienses actum esse unanimiter censeant, facile sane fieri potuit, ut brevissimum illud pacis spatium et fere nullum ab iis prorsus neglectum sit. Id quod ipsi iam Philochoro accidit, quem, postquam pacem archonte Theophrasto solemniter discissam narrasset, sub archonte Lysimachide (Olymp. CX, 2) ea exponere Dionysius H. refert (l. c. §. 11), quae facta sint *μετὰ τὴν λύσιν τῆς εἰρήνης*, ac si nulla pacis restitutio intercessisset. Eaque Dionysius non omnia quidem exscripsit, sed necessaria solummodo haec: *Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεύς. ἐπὶ τούτου τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον, τὰ δὲ χρήματ' ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικά, Δημοσθένους γράψαντος.* Haec, quoniam opinioni nostrae de pace ante Philippi in Graeciam impressionem compositae aliquatenus obesse videantur, accuratius excutienda sunt. Itaque in his Philochori verbis *ὁ πόλεμος ὁ πρὸς Φίλιππον* bellum manifesto Philippicum id est, quod Atheniensibus imminebat per Philippi in Graeciam impressionem Olymp. CX, 2 inde a mense Elaphebolione, ut docent reliqua Philochori verba: *Φιλίππου δὲ καταλαβόντος Ἐλάτειαν καὶ Κυτίνιον, καὶ πρέσβεις πέμψαντος εἰς Θήβας — Ἀθηναίων δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον πρέσβεις ἀποστειλάντων τοὺς περὶ Δημοσθένη, — τούτοις συμμαχεῖν ἐψηφίσαντο* [*οἱ Θηβαῖοι*]. Elatea capta est sub medium Scirophorionem Olymp. CX, 2. Decretum igitur Demosthenis illud latum est mense Thargelione adhuc exeunte, quo etiam decretum Demosthenes tulit de creandis moenium curatoribus (v. cap. sq.), aut aliquo ante tempore, nempe inter inducias, quas sibi a Philippo Athenienses expetierunt Elaphebolione primum XXV, tum iterum Munychionis ultimo. Tum igitur bello imminente terrestri Demosthenes decre-

tum tulit: τὰ χρήματα πάντ' εἶναι στρατιωτικά, hoc est, ut pecunia omnis iam ad instruendas conducendasque copias impenderetur, et τὰ ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωςοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην in aliud tempus differrentur. Postrema haec ad bellicos illos apparatus retuleris, quos instruendos discissa pace Olymp. CX, 1 ineunte decresse Demosthenem Philochorus supra tradidit: ναῦς πληροῦν καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖν τὰ τοῦ πολέμου, itaque continuatum etiam bellum Olymp. CX, 2 significari eis contenderis. At miro tum prorsus modo Philochorus, opera illa dilata diceret esse Olymp. CX, 2 ob bellum cum Philippo. Quam ob rem hoc sibi potius volunt: intermisso bello Olymp. CX, 1 post liberatum Byzantium restituendis navibus ceterisque bellicis instrumentis, per bellum anni superioris laesis operam Athenienses dedisse, quam tum, ubi novum bellum contra Philippum instaret, intermiserint, ut pecunia omnis ad ea, quae tunc necessaria fuerint, impenderetur; aut opera illa navalium et armamentarii aedificationem significant, quam ordinariam Athenis curam fuisse, Aeschines docet in Ctes. 57. m.

Sed gravissimum sane de pace hac Demosthenis est silentium, et Aeschinis etiam, qui si decretum illud a pace Olymp. CVIII, 2 re vera huc revocandum est, ipse in Macedonia fuerit, ius iurandum pacis daturus vicissim et exacturus. Nihilominus tamen et ille et Demosthenes ita de rebus ante proelium Chaeronense actis disserunt, ac si bellum inter Byzantii obsidionem exortum Olymp. CX, 2 nihil sit intermissum. Sic Aeschines: Φιλίππου τῷ μὲν ὀνόματι πολεμοῦντος ὑμῖν, τῷ δ' ἔργῳ πολὺ μᾶλλον μισοῦντος Θηβαίους — in Ctes. p. 73 extr. Item Demosthenes or. de cor. p. 274 in. et p. 276. Verumenimvero tacuit ille fortasse quod sibi conscius erat, pacem illam non nisi simulatione compositam esse, Demosthenes maioris adversario conflandae invidiae causa, qui Phi-

lippo belli in Atticam ipsam transferendi auctor exstiterit. Utut ea de re statues, hoc certe constabit, Athenienses Philippum Olymp. CX, 2 Elaphebolione pacis admonere non potuisse, nisi ea post bellum Byzantium esset re vera composita.

His igitur satis excussis, in viam iam redeamus. Itaque Philippum vidimus, Olymp. CX, 2 Metagitnione belli adversus Amphissenses imperatorem factum, ad Boedromionem socios Peloponnesiacos convocasse. Idem quum simul in quadraginta dies rem frumentariam eos secum afferre per epistolam iusserit, quam parabat expeditionem continuo aggredi manifesto moliebatur, ut eam ante hiemem imminentem Pyanepsione mense aut Maemacterione, si posset, conficeret. Sed consilio protinus exsequendo mora illata est. Etenim Elaphebolionis demum XXV Athenienses decernunt, ut, quum Philippus urbes quasdam iam ceperit, alias oppugnet, et omnino in Atticam invadere paret, legati eum adeant, qui ea de re cum eo colloquantur, eumque rogent, maxime, ut concordiam et pacem, quam violare moliatur, erga Athenienses observet, si minus, ut deliberandi spatium det, induciasque faciat usque ad mensem Thargelionem. V. decretum de induciis I. in or. de cor. p. 282. Ex his evidentissime liquet, Philippum mense demum Elaphebolione Pylis traiectis Graeciam esse ingressum. Nam ingredientem statim Athenienses cohibere esse conatos omnino verisimile est. Urbes autem, quas ad Elaphebolionem XXV occupasse Philippus in decreto dicitur, non Amphissensium sunt, sed Locrorum potius Epicnemidiorum, quorum terra Thermopylis proxime adiacebat. Nam quominus, quod perhibent nonnulli*),

*) Ut Wachsmuth. Hellen. Alterth.-Kunde Vol. I. P. 2. p. 348.

iam ante captam Elateam, itaque, ex nostris rationibus, autumno iam Olymp. CX, 2 in Amphissensium terram invasisse, hibernisque tum apud Amphissenses factis, primo vere Olymp. CX, 2 propius versus Atticam movisse Philippum statuamus, omnia obstant. Quum enim Philippus socios suos Peloponnesiacos in Phocide convenire secum iuberet, per Phocidem manifesto tendere adversus Amphissenses seu Athenienses constituebat. Ut autem Phocidem invaderet, traiiciendae ei erant, occupata Locrorum Epicnemidiorum terra, Cnemidis montis angustiae, occupandaque etiam urbs, eis imminens, Elatea (v. Strab. IX. p. 418. 424. Cas.). Elateam vero Philippus occupavit medio demum Scirophorione Olymp. CX, 2 (v. infra), quo facto Athenienses ducentas naves petere Thermopylas iusserunt ex decreto Demosthenis (de cor. p. 289 sq.) eo nimirum consilio, ut Philippum a Macedonia Thessaliaque excluderent. Praeterea Demosthenes Philippum ea simulatione descendisse in Graeciam dicit, ac si Cirrhaeam regionem petiturus esset, sed Locris Cirrhaeisque valedicentem ex improviso Elateam occupasse (*παρελθὼν ὡς ἐπὶ τὴν Κιῤῥαίαν, ἐῤῥῶσθαι φράσας πολλὰ καὶ Κιῤῥαίοις καὶ Λοκροῖς τὴν Ἐλάτειαν καταλαμβάνει* de cor. p. 278), hoc est, vera Philippum consilia sua continuo patefecisse, quum Elateam occuparit, quippe qua occupata sine ullo impedimento per Phocidem Boeotiam ipsamque Atticam invadere potuerit. Denique simulatum illum expeditionis finem non prorsus a Philippo neglectum, sed gestum ex parte bellum esse etiam adversus Amphissenses, attamen post Elateam demum captam brevi antequam Thebani cum Atheniensibus ad fines Boeotiae restitissent, nos statim docebimus.

Quae quum ita sint, consequens est, ut Philippus Elaphebolione demum mense in Graeciam invasisse, certe eo mense Locridis quibusdam urbibus

captis versus Phocidem tendisse statuatur; atque quum antea Boedromione iam in Graeciam constituisset traiicere, nihil reliquum est quam ut morae istius causa idoneis argumentis explicetur. Eaque non ex longinquo videntur petenda esse. Quum enim primum Philippus, delato sibi ab Amphictyonibus imperio, Graeciam ingredi constituisset, eaque de causa socios quoque Peloponnesiacos convocaret, Athenienses, quantum inde sibi impenderet periculum, certo praesagientes, quippe qui malas Philippi artes dudum essent experti, et de decreto Amphictyonum, ex quo barbaro homini de Graecis iudicandi potestas denuo esset delata, acerrime indignatos, continuo summam adhibuisse operam verisimile est, ut eius in Graeciam impressionem omnino cohiberent, sin minus, retardarent. Itaque eos tum statim consentaneum est gravissimas quasque civitates a studiis Philippicis avocare esse conatos, et eas in primis, per quas iter Philippo faciendum erat, si primum in Graeciam, tum in Atticam invadere vellet. Erant autem istae Thessalorum et Thebanorum Boeotorumque civitates. Quas sibi conciliare Athenienses re vera studuisse, cum ipsa rerum verisimilitudo docet, tum etiam Philippi responsum, Atheniensibus mense Thargelione datum, in quo: *ἣν μὲν ἀπ' ἀρχῆς εἴχετε*, Philippus ait, *πρὸς ἡμᾶς αἵρεσιν, οὐκ ἀγνοῶ, καὶ τίνα σπουδὴν ποιεῖσθε προςκαλέσασθαι βουλόμενοι Θετταλοὺς καὶ Θηβαίους, ἔτι δὲ καὶ Βοιωτούς.* V. Dem. de cor. p. 283. Si Thessalos etiam abalienare a Philippo Athenienses conati sunt, conatos id eos omnino oportet ante mensem Elaphebolionem, quippe quo Philippus ingressus iam in Graeciam sit, concesso a Thessalis transitu ipsisque etiam nimirum comitantibus. Ipsi igitur fortasse primum Thessali, inter Atheniensium Philippique stimulationes ambigui, moram aliquam intulere, quam tum et hiems statim subsecuta et ipsa maiorum appara-

tuum bellicorum in tali rerum opportunitate necessitas ad ver usque produxerit. Quod autem ad socios Peloponnesiacos attinet, eos omnino verisimile est minus, quam speraret Philippus, ad obsequium paratos se praestitisse, seu Atheniensinm monitis cohibitos, seu propria quadam socordia. Illi enim ne exorto quidem iam bello opitulati Philippo videntur, id quod iure concludi ex epistola potest, quam Ol. CX, 3 mense Hecatombaeone, postquam prioribus pugnis duabus adversa fortuna conflixerat, indignatus ad eos misit. V. Dem. de cor. p. 301 coll. 302, et quae nos infra de epistola hac disseremus. — Haec quidem omnia Demosthenes nihil tangit, immo p. 278. postquam Philippus belli dux esset creatus, *εὐθὺς*, ait, *δύναμιν συλλέξας καὶ παρελθὼν ὡς ἐπὶ τὴν Κιῤῥαίαν — τὴν Ἐλάτειαν καταλαμβάνει*, scilicet ut hic, ubi Aeschinis culpa demonstranda erat, eo gravius periculum, ab illo excitatum, appareret, quod tam repentino in rem publicam irruisset. Magis tamen ad veritatem p. 282: *τὸν ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον*, ait, *τούτου μὲν ποιήσαντος, συμπεραναμένων δὲ τῶν ἄλλων τῶν συνεργῶν αὐτῷ τὴν πρὸς τοὺς Θηβαίους ἔχθραν, συνέβη τὸν Φίλιππον ἐλθεῖν ἐφ' ἡμᾶς, — καὶ εἰ μὴ προεξανέστημεν σμικρόν, οὐδ' ἀναλαβεῖν ἑαυτοὺς ἂν ἐδυνήθημεν.*

Itaque Philippus, postquam per hiemem, ut videtur, magis sese paraverat, Thessalis interim allectis Thermopylas Elaphebolione nil impeditus traiecit, quippe quod eas iam dudum per mercenarios occupatas teneret (v. ll. cc. cap. II, 6), Athenienses autem quominus ad eas opem continuo ferrent, per pacem ineunte anno compositam impedirentur. Thermopylis traiectis per Locros Epicnemidios versus Cnemidis angustias urbemque Elateam procedebat. Sed procedentem omnesque regionis huius urbes, quae sponte deditionem facere noluerint, occupantem Athenienses cohibent per legatos, ex decreto I., Elaphebolio-

nis die XXV lato, quod est in or. de cor. p. 282, ad eum missos; declarant, manifesto eum in Atticam invadere velle, pacem compositam in memoriam ei revocant, eamque ut observare velit, rogant, sin minus, ut ad deliberandum civitati spatium det ad mensem usque Thargelionem. Ad haec quid responderit Philippus, non constat. Sed intervallum manifesto fecit, per quod ut Thebanos sibi conciliaret, operam dedisse, et maiores copias congregasse videtur. V. Decret. Athen. de induciis II, l. c. p. 282. Eodem nimirum temporis intervallo Thebani imminentis periculi metu epistolam ad eum miserunt pacis concordiaeque renovandae gratia, utque de praesenti rerum statu melius possent deliberare. V. responsum Philippi ad Theb. l. c. p. 283 sq. In qua rerum conditione Athenienses, praeterito induciarum spatio, Munychionis die ultimo novos ad Philippum legatos cum praecone mittunt, rogaturos, ut quum Thebanos abalienare a sese et cum omni exercitu accedere ad locos Atticae proximos moliatur, denuo inducias faciat, otiumque ad deliberandum concedat, quoniam etiam nunc populus vi agere nondum constituerit in iis, quae tolerari possint. Ad haec Philippus Atheniensibus, qua erga se ab initio fuerint voluntate, non ignorare sese respondet, neque etiam quantam hucusque operam dederint, ut Thessalos et Thebanos etiam Boeotos ad suam accirent societatem; qui quum eis obsequi nolint, sed propria commoda tueantur, nunc eos facta repente conversione pacis sese compositae admonere, quamquam nulla adhuc iniuria a se essent affecti, induciasque rogare; quas quidem pacisci paratum se esse, si modo iniquos suasores suos a civitate amovere voluerint. — Eodem tempore Thebanis blandissimis verbis respondet: prius quidem suspectos eos habuisse, ac si Atheniensium consiliis obsecuturi fuerint; at nunc, postquam ex epistola eorum

cognoverit, pacem eos observare potius velle et amicitiam, summopere se esse gavisum. V. Responsa Philippi ad Athen. et Theb., quae exstant in or. de cor. p. 283 sq.*).

His decretis atque responsis, ut ait Demosthenes de cor. p. 284, elatus Philippus, hoc est Thebanorum mutatis consiliis audentior factus, movit cum exercitu, Elateam cepit, in eaque sese communivit (v. Aesch. in Ctes. p. 73. med.), eo consilio, ut copiis suis in conspectu Thebanorum ostentatis atque armis expositis, tum quos Thebis amicos habebat bono animo esse iuberet, tum inimicis tantum terrorem incuteret,

*) Haec duo responsa simul data et ad idem fere tempus referenda esse, multa docent. Primum enim datum manifesto utrumque est, postquam Thebani amicam erga Philippum declararant voluntatem. Quod factum est inter primas cum Atheniensibus inducias. Nam in primo de induciis decreto Athenienses nullam Thebanorum faciunt mentionem, alterum autem latum est, quum Thebani ad pacem cum Philippo renovandam iam declinaverant: *ἐπειδὴ Φίλιππος εἰς ἀλλοτριότητα Θηβαίους πρὸς ἡμᾶς ἐπιβάλλεται καταστῆσαι.* Deinde utrumque responsum datum esse brevi tempore ante captam Elateam, Demosthenes docet, quum dicat: *οὕτω διαθεὶς ὁ Φίλιππος τὰς πόλεις πρὸς ἀλλήλας διὰ τούτων, καὶ τούτοις ἐπαρθεὶς τοῖς ψηφίσμασιν καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν, ἧκεν ἔχων τὴν δύναμιν, καὶ τὴν Ἐλάτειαν κατέλαβεν, ὡς οὐδ' ἄν, εἴ τι γένοιτο, ἔτι συμπνευσόντων ἂν ὑμῶν καὶ τῶν Θηβαίων:* de cor. p. 284. Itaque responsum ad Thargelionem mensem referendum est, et *Ἀπόκρισις Ἀθηναίοις* responsum est ad alterum Atheniensium de induciis decretum, id quod docent etiam verba: *ἀποστείλαντες ὑμεῖς πρὸς ἐμὲ πρέσβεις καὶ κήρυκα* (hoc enim cum Schaefero Bekkeroque omnino retinendum censeo). Nam ex primo decreto soli legati ad Philippum missi sunt ex senatu tres (v. Schaefer, Apparat. crit. ad Demosth. p. 282, v. 17), ex altéro legati duo ex senatu, et praeco ex populo.

ut vel prae timore ea, quae hucusque recusassent, ultro concederent, vel ad concedendum vi cogerentur (Dem. de cor. p. 286). Id factum est Scirophorionis die circiter XIII. Nam Scirophorionis XVI, pridie vesperi nuncio de Elatea capta Athenas allato (de cor. p. 284), Athenienses Demosthenis oratione excitati, cuius quod fuerit argumentum, ipse orator refert p. 286 sqq., ac si non pro sua sed pro totius Graeciae libertate saluteque arma sibi essent capienda, Demosthene auctore decernunt, ut ducenta navigia in mare deducantur, navarchus intra Pylas cum eis proficiscatur, praetor autem equitumque praefectus pedestres et equestres copias ad Eleusinem educant; legatique mittantur cum ad alias Graeciae civitates, tum in primis ad Thebanos, quippe quorum finibus Philippus immineat; eos igitur maxime hortentur, ut suam ipsorum et Graeciae libertatem tueantur, declarent, populum, pristinae simultatis immemorem, cum eis foedus facere velle, et matrimonii ius eis concedere. V. decretum Demosth. in or. de cor. p. 289 sqq., quod pseudeponymum praefert Nausiclem pro Lysimachide, Olymp. CX, 2 eponymo *).

Ex illo decreto Demosthenes, legationis princeps, Thebas se confert, et quos ibi invenit Philippi et Thes-

*) Huius enim anni mense Scirophorione captam Elateam esse, rerum a nobis hucusque expositarum ordo aperte docet. Archonte Lysimachide occupatam eam refert etiam Philochorus ap. Dionys. H. l. c. §. 11. Ita vero, quum Elatea capta sit extremo Ol. CX a. 2, et vix duobus mensibus post, Ol. CX, 3 Metagitnione VII, clades ad Chaeroneam acciderit, eo facilius Diodorus XVI, 84, ubi res ad Chaeroneam actas refert, ipsam etiam Elateae expugnationem ad Ol. CX a. 3 referre poterat, utpote scriptor in distinguendis temporibus parum religiosus, et in rebus enarrandis factorum magis cohaerentiam quam temporum sequens.

salorum aliorumque illius sociorum legatos, inter quos, praeter Aenianes, Dolopes, Phthiotas, etiam Aetolos Philochorus affert (ap. Dionys. l. c. 11), a Thebanis petentes, ut aut una secum Atheniensibus bellum inferant, aut Philippum per suam terram Atticam sinant invadere, omnes eloquentiae vi superat, Thebanosque ad foedus cum Atheniensibus exstimulat (Demosth. de cor. p. 298 sq.), lenissimis his conditionibus ineundum, secundum Aesch. in Ctes. p. 74 init., ut sumptuum nonnisi tertiam partem contribuant, terraque principatum belli obtineant. Quo facto, Demosthenes pergit (l. c. p. 300), Thebani invitarunt Athenienses, hi cum armis egressi sunt*); *ἵνα τὰν μέσῳ παραλείπω, οὕτως οἰκείως ὑμᾶς ἐδέχοντο, ὥς' ἔξω τῶν ὁπλιτῶν καὶ τῶν ἱππέων ὄντων, εἰς τὰς οἰκίας καὶ τὸ ἄστυ δέχεσθαι τὴν στρατιὰν ἐπὶ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὰ τιμιώτατα.* Inde continuo ad bellum transit ad fines Boeotiae gestum.

Nobis tamen, priusquam hoc persequamur, perscrutanda ea primum videntur, quae *ἐν μέσῳ* facta Demosthenes praeterit. Ea vero petenda nimirum sunt ex Aeschinis or. in Ctes. p. 74. extr. sqq.

Hic enim Philippum refert, Graecos nequaquam despicientem, et periculosius sibi fore ratum, si ea, quae acquisisset, commoda tantum in discrimen vocaret, postquam ictum foedus esset inter Thebanos et

---

*) Aeschines contra (l. c. p. 73 med.) invitasse Thebanos Athenienses, postquam modo Elatea capta esset, hosque egressos dicit *πρὶν περὶ συμμαχίας μίαν μόνον συλλαβὴν γράψαι Δημοσθένην.* Sed invidia dictum liquet vel ex ipso Demosthenis decreto de foedere cum Thebanis ineundo. Hoc enim latum est continuo post Elateam occupatam, quo tempore, ut ipsum docet, Thebani de subsidiis ab Atheniensibus arcessendis nondum cogitabant.

Athenienses, pacem componere voluisse, et de legatis eam ob causam mittendis cogitasse; quibus Philippi consiliis nec non imminentis periculi metu commotos principes Thebanorum magistratus et ipsos ad pacem declinasse, et subsidia Atheniensium, quae egressa iam essent, ad se recipiendum coegisse, ut ipsi etiam Athenienses de pace deliberarent. At haec Thebanorum magistratuum consilia retudit Demosthenes, decernere populum iubens, ut quisquis pacis fecerit mentionem, is in vincula abduceretur. Quam ob rem Boeotarchas, ne proditores Graeciae viderentur, continuo a pace ad aciem instruendam convertisse. Aesch. l. c. p. 75 in. Eadem ex parte refert Plut. in Dem. c. 18. Phoc. 16.

Haec autem dum agebantur, Philippus Elatea occupata cum quadam exercitus parte continuo versus Amphissam processisse videtur. Etenim Aeschines (l. c. p. 74. med.) Philippum in ea, quae tum temporis erat, rerum opportunitate nihil ardentius in votis habuisse dicit, quam ut separatim adversus Amphissenses, separatim adversus Athenienses dimicare posset. Quibus votis Philippi egregie adspirasse Demosthenem ait, quum decem mercenariorum millia, Atticis conducta pecuniis, Amphissensibus elocarit. His enim pessumdatis audentiorem illum factum, reipublicae vero subsidia graviter subcisa contendit. Cf. Dinarch. in Demosth. p. 52. Id factum Aeschines inter ea narrat, quae continuo post foedus cum Thebanis ictum gesta sint. Unde manifesto liquet, bellum Philippi cum Amphissensibus ad Scirophorionem demum exeuntem Olymp. CX, 2 referendum esse; id quod praeter ea, quae supra iam eadem de re statuimus, aliis quoque argumentis confirmatur. Etenim Dinarchus (l. c.) mercenariorum illorum ducem et proditorem factum dicit Proxenum esse, nimirum Atheniensem illum imperatorem, ex superiorum rerum enarratione satis notum (v. supra cap. III, nr. 1, 2,

? v. Maetzner ad Dinarchum p. 133.

3.). Itaque mercenarios illos Athenienses et Amphissensibus auxilio miserunt, et proprium eis praefecerunt imperatorem. Quod certe ante Thargelionem mensem factum esse non potest. Nam Munychionis adhuc die ultimo Athenienses in decreto de induciis II (de cor. p. 282) Philippo declararunt: *καὶ γὰρ νῦν οὐ κέκρικε βοηθεῖν* [*ὁ δῆμος*] *ἐν οὐδενὶ τῶν μετρίων.* Nihil igitur hucusque ab Atheniensibus susceptum erat, quod Philippo iustam ad bellum ansam praebuisset, neque Philippus in responso, ad decretum illud dato, Atheniensibus eiusmodi quidquam exprobrat. Quae quum ita sint, consequens est, ut Philippus, quum capta Elatea iter sibi per Phocidem in Boeotiam et Atticam aperuisset communissetque, tum demum continuo adversus Amphissenses primum properarit, quibus ante oppressis congregato in unum omni exercitu facilius Thebanos et Athenienses superaturum se esse sperabat. Quam ob rem quum Plutarchus *ἐπεὶ Φίλιππος*, ait, *ὑπὸ τῆς περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχίας ἐπαιρόμενος, εἰς τὴν Ἐλάτειαν ἐξαίφνης ἐνέπεσε καὶ τὴν Φωκίδα κατέσχεν* (in Demosth. c. 18): in his *ἡ περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχία* aut excitatum solummodo ab Amphictyonibus bellum adversus Amphissenses significat, aut si victos a Philippo Amphissenses, errasse Plutarchum statuendum est. Res enim re vera ita se habuisse videtur. Philochorus (ap. Dionys. l. c. §. 11) una cum Elatea Philippum occupasse Cytinium refert, urbem Doricam, ex qua una ex parte iter in Phocidem ducebat, ex altera ad Locros Ozolas, secundum Thucyd. III, 95. Philippus igitur capta communitaque Elatea cum exercitus parte Doridem ingressus Cytinium occupavit, ut inde Parnasso ad laevam relicto adversus Amphissenses procederet. Hic victis pessumdatisque mercenariis illis, solum iam cum Atheniensibus Thebanisque certamen reliquum erat. Itaque tunc iam, illis tenaciter in bello per-

stantibus, ex Elatea per Phocidem ad fines Boeotiae progrediebatur. Ad fines enim Boeotiae, septingentorum stadiorum spatio, bellum ab Attica retinuisse se Demosthenes gloriatur or. de cor. p. 304. Atque hic quidem ante ipsum Chaeronense proelium duae commissae sunt pugnae, quarum alteram *ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ*, alteram *χειμερινὴν* Demosthenes vocat: de cor. p. 300. Etenim Elatea Boeotiam versus progredienti traiiciendus erat Cephissus fluvius eo haud dubie loco, qui Parapotamii vocabatur, CLX stadiorum intervallo ab Elatea situs, XL a Chaeronea, prima Boeotiae urbe, ad retinendum hostem peropportunus. V. Mannert. Geogr. Vol. VIII, p. 78. Hic sponte patet primam illam pugnam esse commissam, quam *ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ* Demosthenes vocat. Alteram pugnam, quae continuo haud dubie illam excepit, hiemalem esse non posse, id quod contendit Weiskius l. c., omnis rerum ordo demonstrat, quem hucusque persecuti sumus. Neque commorandum nobis videtur in Corsini temeritate, qui pugnam hanc commissam opinans apud Aspledonem, urbem Boeotiae XX stadiorum spatio ab Orchomeno sitam, posterioribus temporibus etiam *Εὐδείελον* dictam teste Strabone, quod regio eius, ut ait Strabo, *μάλιστα εὐχείμερος* fuerit, inde novo regionis nomine invento, *περὶ τὴν Εὐχειμερινὴν* apud Demosthenem legendum esse coniecit (F. A. diss. III, §. 23). Quid multa? Pugna *χειμερινή*, quum hiemalis esse non possit, quippe quae commissa manifesto sit mense aestivo Hecatombaeone, de corruptione vocis autem ut cogitetur, criticae rationes nequaquam patiantur, cum Reiskio procellosa dicenda manifesto est, vel tempestuosa, h. e. quae procella (*χειμῶνι*) interpellata est vel diremta.

Utraque haec pugna commissa haud dubie est Olymp. CX, 3 Hecatombaeone circiter medio. In utraque Demosthenes (l. c. p. 300) egregiam Athe-

nienses refert praestitisse virtutem; eosque prospera certe fortuna dimicasse ea docent, quae Athenienses armorum suorum successu laetos statim instituisse orator tradit. Pompis enim et supplicationibus gratiam diis agendam decresse eos refert l. c. p. 301. Itaque pompae referendae commode videntur ad Panathenaea magna quae anno illo, Olymp. CX, 3, archonte Chaeronda, re vera celebrata esse docet inscriptio, quam edidit Boeckh. in Oecon. Civ. Ath. Vol. II, p. 165, deinde in Corp. Inscr. Gr. Vol. I. p. 363. Panathenaea autem magna celebrata esse Hecatombaeonis die XXVIII docuit Corsin. F. A. Vol. II, p. 357. Cf. Boeckh. in Oecon. civ. Ath. l. c. In eisdem magnis Panathenaeis Olymp. CX, 3 coronatus etiam haud dubie Demosthenes est ob ea, quae recentissime de re publica bene meruerat, ex decretis Demomelis et Hyperidis, in quos incassum *γραφὴν παρανόμων* intendit Diondas, teste Demosthene de cor. p. 302*). Unde Philippum coniici possit medio de-

*) Panathenaeis magnis coronati etiam sunt Diotimus et Charidemus ex decreto Calliae p. 265. At Demosthenes Demomelis Hyperidisque decreta eisdem verbis et syllabis conscripta esse dicit, quibus etiam decretum Ctesiphontis et Aristonici, olim (Ol. CIX, 4) de se latum. Itaque in illis etiam scriptum dixeris: *καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς.* Sin autem Dionysiis coronatus Demosthenes est ante cladem Chaeronensem, coronatus sit necesse est Elaphebolione Ol. CX, 2, quod ordini rerum omnino repugnat. Attamen non hoc etiam ex illis Demosthenis verbis concludendum videtur. Laudarunt Demomeles et Hyperides Demosthenem ob res in administranda re publica nuper egregie gestas, *ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ, καὶ πρόθυμός ἐστι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγα-*

mum Hecatombaeone ad fines Boeotiae esse progressum, confectis post Elateam captam in Amphissensium terra eis, quae supra retulimus. Inde duobus illis proeliis cohibitus intervallum fecisse et ad ipsos Boeotiae fines substitisse videtur usque ad Metagitnionem VII, illum diem, qui, ut Iustini verbis utar, universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit. Hoc intervallo novas fortasse copias arcessivit. Exspectatis enim per aliquod tempus sociis remanentibus, ad Chaeroneam eum accessisse Diodorus refert XVI, 85. At socii isti qui fuerint, dici difficilius potest. Praeter Thessalos, Aenianes, Dolopes, Phthiotas, ex Graecis Aetolos cum Philippo consociatos iam tum fuisse, quum Elatea occupabatur, ex Philochoro constat ap. Dionys. H. l. c. §. 11. Eorum enim legatos simul cum Philippi legatis Thebas venisse, Philochorus refert. Peloponnesios quum non commemoret, eos tum nondum Philippo auxilia-

---

θόν. Ad haec sola manifesto spectant sequentia Demosthenis verba, quibus Aeschinem carpit l. c. Laudatum tum et coronatum se dicit ob rem publicam egregie gestam, tacuisse Aeschinem, qui nunc in eandem suam rei publicae administrationem invehatur. Si tum in theatro etiam coronatus esset, certe id quoque hic enotandum non dereliquisset, ut non dereliquit in recitando Aristonici decreto, ubi *γράψαντος Ἀριστονίκου*, ait, *τὰς αὐτὰς συλλαβάς, ἅςπερ οὑτοσὶ Κτησιφῶν νῦν γέγραφε, καὶ ἀναῤῥηθέντος ἐν τῷ θεάτρῳ τοῦ στεφάνου, οὔτ' ἀντεῖπεν Αἰσχίνης παρών, οὔτε τὸν εἰπόντα ἐγράψατο:* de cor. p. 253. — Sin autem utique contendis in theatro coronandum Demosthenem proposuisse Demomelem et Hyperidem, quod Demosthenes de cor. p. 267 saepenumero se coronatum dicit ante Ctesiphontis decretum, non reluctabor, modo ne Dionysiis Ol. CX, 2 sed sequentibus Dionysiis Olymp. CX, 3. — Ceterum cf. notam in fine huius disputationis appositam.

tos esse, verisimile est. Iidemque ne postea quidem ad duas illas pugnas advenerunt. His enim commissis Philippus novas in Peloponnesum epistolas misit, querelarum et opprobriorum plenas, ut ex iis liquet, quae de argumento earum Demosthenes dicit l. c. p. 301. Postea eos approperasse propter ipsam temporis angustiam non est verisimile. Eleos certe pugnae Chaeronensi omnino non interfuisse, Pausanias diserte tradit (V, 4), quippe quod adversus Graecos dimicare noluerint. E Graecis igitur praeter Thessalos et Aetolos, quos sibi Philippus ante conciliaverat, nulli ad Chaeroneam ei auxiliati videntur esse. Athenienses contra cum Thebanis consociatos adiuvabant in primis Corinthii, Strabone teste l. IX, cap. 2. extr., et Phocenses, qui interim revaluerant, auctore Pausania X, 3; Demosthenes Euboeenses laudat, Achaeos, Corinthios, Thebanos, Megarenses, Leucadios, Corcyraeos, a quibus omnibus, suo studio ad societatem accitis, mercenariorum quindecim millia duoque equitum Atheniensibus comparata fuerint (de cor. p. 306), quorum proximos certe, Achaeos, Corinthios, Megarenses ad pugnam Chaeronensem advolasse consentaneum est (cf. sq. adnot.). Quam ob rem Diodorus (XVI, 84) falso solos Thebanos ad societatem ab Atheniensibus invitatos contendit, quod ob repentinam Philippi impressionem alias civitates adeundi legatis otium defecerit. Melius Iustinus (IX, 3) „motae quaedam civitates Atheniensibus se iungunt, quasdam autem ad Philippum belli metus traxit.“

Haec est series rerum, quae gestae sunt inde a vere Olymp. CX, 1 usque ad Olymp. CX, 3 Metagitnionem septimum, clade Chaeronensi insignem. In qua quod ad tem-

porum ordinem attinet, ea certe loco moveri nequaquam posse opinor, quae usque ad alterum Amphictyonum conventum et Philippi epistolam ad socios Peloponnesiacos scriptam constitui. In reliquis non fugit me aliam, et quae probabilior videatur, posse rationem proponi. Quam ob rem hanc adhuc consideremus illustremusque necesse est.

Philippus Olymp. CX, 2 Metagitnione belli dux adversus Amphissenses creatus est. Eum Demosthenes, quum primum creatus esset, continuo in Graeciam descendisse contendit: *ᾑρέθη — ἡγεμών· καὶ μετὰ ταῦτ' εὐθὺς ὁ Φίλιππος δύναμιν συλλέξας καὶ παρελθών:* de cor. p. 278. Idque constituisse certe Philippum epistola docet, per quam socios suos Peloponnesiacos convenire secum in Phocide iussit instanti Boedromione; eodemque mense vere ingressum etiam eum in Graeciam esse probare videtur *μάχη χειμερινή*, commissa ante proelium Chaeronense, mensem igitur aestivum Metagitnionem Olymp. CX, 3, quippe quae aptissime hiemalis intelligenda videatur; et eam re vera hieme commissam esse, confirmari egregie eo videtur, quod Demosthenes, postquam duabus illis prioribus pugnis, *τῇ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῇ χειμερινῇ*, secundo Marte cum Philippo conflixissent Athenienses, pompas eos egisse narrat et supplicationes, se vero coronatum esse ex decretis Demomelis et Hyperidis, de quibus haec dicit: *ταυτὶ τὰ ψηφίσματα, ὦ ἄ. Ἀθ., τὰς αὐτὰς συλλαβὰς καὶ ταὐτὰ ῥήματα ἔχει, ἅπερ πρότερον μὲν Ἀριστόνικος, νῦν δὲ Κτησιφῶν γέγραφεν οὑτοσί· καὶ ταῦτ' Αἰσχίνης οὔτ' ἐδίωξεν αὐτὸς, οὔτε τῷ γραψαμένῳ συγκατηγόρησε.* In illis igitur decretis scripta haec etiam censeas: *καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς.* Eadem enim in Aristonici quoque decreto leguntur, quem etiam scripsisse Demosthenes ait *τὰς αὐτὰς συλλαβὰς, ἅςπερ οὑτοσὶ Κτησιφῶν νῦν γέγραφε*: p. 253. Accedit, quod Demosthenes istud Aristonici decretum, Ol. CIX, 4 latum, secundo sibi obtigisse dicit (l. c.), et p. 267 psum se saepenumero (*πολλάκις*) ante Ctesiphontis de-

cretum in theatro coronatum contendit. Quae quum ita sint, in Dionysiis omnino Demosthenes coronatus videatur ex decretis illis Demomelis et Hyperidis, mense igitur Elaphebolione, et, quod ante cladem Chaeronensem, Elaphebolione Olymp. CX, 2. Unde pugnam *χειμερινὴν* videas re vera hieme commissam esse Olymp. CX, 2. Ita etiam inter ingressum in Graeciam Philippum et cladem Chaeronensem annuum fere spatium intercesserit, et bellum per octo certe menses gestum sit, quod ex priori rerum ordine nonnisi sesquimestre fuit, brevius, quam ut eo tres pugnae committi potuerint. Atque diutius sane bellum indicare Demosthenis verba videntur haec: *ἡ γὰρ ἐμὴ πολιτεία — ἀντὶ μὲν τοὺς Θηβαίους μετὰ Φιλίππου συνεμβαλεῖν εἰς τὴν χώραν, ὃ πάντες ᾤοντο ἔσεσθαι, μεθ' ἡμῶν συμπαραταξαμένους ἐκεῖνον κωλύειν ἐποίησε, ἀντὶ δὲ τοῦ ἐν τῇ Ἀττικῇ πόλεμον εἶναι, ἑπτακόσια στάδια ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τοῖς Βοιωτῶν ὁρίοις γενέσθαι· ἀντὶ δὲ τοῦ τοὺς λῃστὰς ἡμᾶς φέρειν καὶ ἄγειν ἐκ τῆς Εὐβοίας, ἐν εἰρήνῃ τὴν Ἀττικὴν ἐκ θαλάττης εἶναι πάντα τὸν πόλεμον* (p. 304), quamvis in his postremum *πᾶς πόλεμος* ad universum bellum, quod inter obsidionem Byzantii ortum est, respiciat. — Praeterea Demosthenes socios se conciliasse Atheniensibus dicit: Euboeenses, Achaeos, Corinthios, Thebanos, Megarenses, Leucadios, Corcyraeos, *ἀφ' ὧν μύριοι μὲν καὶ πεντακισχίλιοι ξένοι, δισχίλιοι δ' ἱππῆς ἄνευ τῶν πολιτικῶν δυνάμεων συνήχθησαν.* Quibus omnibus ad pugnam Chaeronensem congregandis diutius sane spatium quam sesquimestre tribuendum esse videatur*). Itaque ex his argumentis, si ea sola superessent, diversus sane ab eo, quem in praeceden-

*) Nempe si omnes hi revera congregati ad pugnam erant. Nam Demosthenes hoc loco in universum eam, quam administratione sua Atheniensibus compararit, potentiam describit. At etiamsi omnes hi pugnae Chaeronensi interfuere, minus hoc superioribus nostris calculis obstat. Nam congregari potuerunt, non post Elateam de-

tibus secuti sumus, rerum gestarum ordo constituendus esset. Sed illum decreta confirmare visa sunt duo illa de induciis p. 282 et Demosthenis de foedere cum Thebanis ineundo p. 289. Attamen superioribus conscriptis iam et maximam partem prelo subiectis denuo argumenti difficultates reputantem me mota de decretis illis suspicio quaedam coniecturae admonuit, in quam non nemo facile inciderit. Etenim in altero decreto Amphictyonico de Philippo in Graeciam invitando perperam *ἐαρινῆς* legi monstravimus pro *ὀπωρινῆς*. Depravationem natam opineris ex sequenti Anthesterione, qui χρόνους designat, tempora prioris posteriorisque decreti, sed quod multis accidit, facile potuit ad alterum illud Amphictyonum decretum referri. Qui Philippum Anthesterione belli ducem creatum opinabatur, is non poterat nisi Elaphebolione eum in Graeciam ingressum statuere, et inde Elaphebolione etiam decretum prius de induciis latum, eisque usque ad Thargelionem concedendis, posterius igitur de renovandis induciis Munychionis ultimo, et Sciroporione decretum Demosthenis de foedere cum Thebanis ineundo. Itaque qui in altero decreto Amphictyonico scripserat *ἐαρινῆς* pro *ὀπωρινῆς*, idem pro *Βοηδρομιῶνος*, quo latum prius decretum sit, reponebat *Ἐλαφηβολιῶνος*, item ibidem pro *Μαιμακτηριῶνος*, *Θαργηλιῶνος*, in altero *Μουνυχιῶνος* pro *Πυανεψιῶνος*, denique in Demosthenis decreto *Σκιροφοριῶνος* pro *Ποσειδεῶνος*. Atque exstincta si reponantur, cedent difficultates, conciliari plurima satis poterunt, et rerum gestarum ordo prodibit hic commodus nec improbabilis:

Olymp. CX, 2 Metagitnione Philippus belli dux adversus Amphissenses creatur; creatus socios Peloponnesiacos in Phocide convenire secum iubet mense instanti Boedromione cum re frumentaria, quae in quadraginta dies sufficiat.

---

mum captam, sed statim post ingressum Elaphebolione mense in Graeciam Philippum.

Boedromione per Thermopylas Locridem ingreditur; ingressum Athenienses cohibent, inducias rogantes usque ad mensem Maemacterionem.

Pyanepsione ultimo Athenienses denuo legatos ad Philippum mittere decernunt, iterum inducias rogaturos.

Posideone ineunte Philippus progreditur Elateamque occupat et communit.

Decimo sexto Demosthenes, nuncio de Elatea capta allato, decretum fert de copiarum exitu deque foedere cum Thebanis conciliando.

Extremo Thebani foedus ineunt.

Gamelione cum Philippo confligunt in pugna ad fluvium, alteraque frigida tempestate commissa, χειμερινῇ. Ob quarum prosperum eventum pompae Athenis aguntur et supplicationes, Demosthenes coronatur

Elaphebolione medio in theatro, Dionysiorum solemnitate.

Philippus de rebus male gestis ad Peloponnesios conqueritur et intervallum facit, quo novis possit copiis corroborari, usque ad Olymp. CX, 3 ineuntem, cuius mense Metagitnione VII. clades ad Chaeroneam consequitur. —

Speciosa sane coniectura, quae tamen, vereor, ut plus sit, quam speciosa et speciosis argumentis insistens. Etenim ex ea, praeter quod utraque pugna, ἡ ἐπὶ τ. ποτ. et ἡ χειμερ. hieme commissa sit, septem fere mensium spatium intercesserit inter pugnam illam hiemalem et proelium ad Chaeroneam commissum, quo nihil sit actum, nihil actum a Philippo, homine uno loco diu morandi prorsus insolito, sed acriter potius celerrimeque persequendis inceptis adsueto. Qui si re vera duabus illis prioribus pugnis tam diu ad fines Boeotiae cohibitus esset, id ne verbo quidem tetigisse Demosthenem credas? Immo, quum omnes scriptores in eo conspirent, ut ab Elatea ex improviso occupata ad cladem Chaeronensem continuo transeant, nec ullus eorum duas priores illas pugnas commemoret, eo mihi maxime id

confirmari videtur, belli spatium nonnisi brevissimum fuisse, et priores illas pugnas celeriter subsecutam esse cladem ad Chaeroneam. Ita etiam Aeschines, ac si semel tantum acies instructa sit: *ὑπεραισχυνθέντες δ' οἱ ἐν Θήβαις ἄρχοντες,* ait, *μὴ δόξωσιν ὡς ἀληθῶς εἶναι προδόται τῶν Ἑλλήνων, ἀπὸ μὲν τῆς εἰρήνης ἀπετράποντο, ἐπὶ δὲ τὴν παράταξιν* (non *ἐπὶ δὲ πόλεμον*) *ὥρμησαν. Ἔνθα δὴ καὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἄξιόν ἐστιν ἐπιμνησθῆναι, οὓς οὗτος ἀθύτων καὶ ἀκαλλιερήτων ὄντων τῶν ἱερῶν ἐκπέμψας ἐπὶ τὸν πρόδηλον κίνδυνον ἐτόλμησε, τοῖς δραπέταις ποσὶ καὶ λελοιπόσι τὴν τάξιν ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τάφον τῶν τετελευτηκότων, ἐγκωμιάζειν τὴν ἐκείνων ἀρετήν:* in Ctes. p. 75 med.

Denique verbo moneo aliam etiam fingi coniecturam posse, si cladem Chaeronensem accidisse statuas non Metagitnione mense Ol. CX, 3, ad quem eam solus Plutarchus refert, sed Thargelione. Nam archonte Chaeronda mense Thargelione Demosthenes decretum tulit de creandis murorum reficiendorum curatoribus, ex quo ipse creatus est *τειχοποιός,* secundum Aesch. or. in Ctes. p. 57 extr. Idem autem munere hoc, ut cap. sq. monstrabimus, functus est continuo post pugnam Chaeronensem. Et exornari haec sententia egregie posset. At Plutarchus Metagitnionem illum VII. ita communivit, ut de errore commisso nulla possit moveri suspicio. — Quam ob rem omni ex parte in rerum ordine supra constituto acquiescendum esse opinor.

Caput sextum.

Quo tempore actio in Ctesiphontem ab Aeschine insituta, quo post in iudicium deducta, et certamen de corona inter Demosthenem et Aeschinem actum sit, investigatur.

Exposita usque ad proelium Chaeronense universa sua rei publicae administratione, Demosthenes orationis de cor. p. 310 post cladem acceptam continuo adversarios suos tanta in se vehementia esse invectos refert, ut nomen suum primis maxime post eam temporibus in dies fere omnique iudiciorum genere ad iudices deferretur. Sed periculis his, tum sibi malevole structis, omnibus cum a populo tum ab iudicibus egregie absolutum se liberatumque gloriatur, et postquam gloriatus est, continuo *τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων*, ait, *τί προσῆκον ἢ τί δίκαιον ἦν τοῖς ὑπ' ἐμοῦ πεπραγμένοις θέσθαι τὸν Κτησιφῶντα ὄνομα· οὐχ ὃ τὸν δῆμον ἑώρα τιθέμενον, οὐχ ὃ τοὺς ὀμωμοκότας δικαστάς, οὐχ ὃ τὴν ἀλήθειαν παρὰ πᾶσι βεβαιοῦσαν;*

Haec ad Ctesiphontis decretum spectant de coronando Demosthene, ex quo certamen inter celeberrimos oratores celeberrimum de corona initium cepisse constat, post cladem Graeciae ad Chaeroneam factam, ut ex antecedentibns liquet. Demosthenes enim, quum eodem tempore moenium curator (*τειχοποιός*) simul erat, a tribu sua creatus, et delata sibi a populo theorici administratione fungebatur, exhaustis publicis pecuniis de proprio in muros reficiendos tria talenta impendit, et singularum tribuum theoris*) ad sacrificia facienda minas addidit centum.

*) *Ἐπέδωκε τοῖς ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν θεωροῖς* pro *θεω*

Quas pecunias quum liberaliter rei publicae largitus esset, Ctesiphon, amicorum quidam, cum ad remunerandam hanc Demosthenis erga civitatem munificentiam, tum maxime reliquae eius virtutis gratia et benevolentiae quam erga Graecos omnes et Atheniensium populum semper habuisset, et agendo dicendoque praestitisset, rogationem tulit, ut Demostheni aurea donaretur corona, eiusque praedicatio Dionysiorum solemnibus in theatro fieret, quum novae fabulae ederentur. Decretum ea de re conscriptum, licet ex parte mutilatum et ex Aeschinis accusatione (de cor. p. 243) integrandum (v. nos in Epilogo), legitur in or. de cor. p. 266.

Hoc decretum, quod post proelium Chaeronense latum esse Demosthenis verba, supra allata, clarissime docent, Cetesiphon quarti mensis Pyanepsionis XXII. senatui obtulit, ut, quod leges iubebant, postquam *προβούλευμα* factum esset, ad populum deferretur; quo tamen anno obtulerit, ex ipso decreto non liquet, quippe quod archontem praeferat Euthyclem pseudeponymum. Sed decretum a senatu comprobatum, adeoque in senatus consulti formam redactum, quominus populus sciscerct, Aeschines impedivit, VI. Elaphebolionis die, qui idem sextus est ante Dionysiorum solemnia, delata ad archontem accusatione, qua legum violatarum Ctesiphontem accusavit tribus his praesertim de causis: quod Demosthenem coronandum proposuerit, nondum ab eo relatis administratorum munerum rationibus; et quod in theatro,

---

ρικοῖς in Ctes. decreto or. de cor. p. 266 cum Scrimgeri schedis legendum iure contendit Schaefer. in Apparatu ad l. c. *Θεωρικά* enim si singularum tribuum aeraria significaret, dictum exspectares *τοῖς πασῶν τῶν φ. θεωρικοῖς*, non *ἐκ π. τ. φ.*

Dionysiorum solemnitate; maxime, quod virtutis gratia et benevolentiae, quam erga Graecos omnes et populum Atheniensem perpetuo haberet, et agendo dicendoque constanter praestaret. V. Aesch. libellum in Dem. de cor. p. 243.

Accusationem hanc ad archontem delatam ante Philippi obitum esse Aeschines diserte ait or. in Ctes. p. 85 in.: *ἀπηνέχθη ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφὴ — ἔτι Φιλίππου ζῶντος, πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι.* Philippum decessisse constat Ol. CXI, 1 (Diod. XVI. 91. Arrian. Exped. A. I. init.), menseque Metagitnione aut Boedromione (v. Cors. F. A. T. IV. p. 41.). Proelium autem Chaeronense quum commissum sit Olymp. CX, 3 mense Metagitnione, Olymp. CX anno 3 solummodo seu 4 patet Pyanepsione mense legem Ctesiphontis latam, Elaphebolione actionem in Ctesiphontem ab Aeschine institutam esse posse.

Et archontem quidem Chaerondam, clade Chaeronensi insignem, ipsa Aeschinis accusatio praefert; unde eam Ol. CX, 3 Elaphebolione, octavo post cladem mense ad archontem delatam pateat. At in oratione adversus Ctesiphontem Aeschines demonstrare volens, Ctesiphontem legem de coronando Demosthene proposuisse, quum ille *τειχοποιοῦ* munere adhuc fungeretur (*ὡς τοίνυν καὶ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν, ὅθ' οὗτος τὸ ψήφισμα ἔγραψε, — τούτων ὑμῖν αὐτὸν Δημοσθένην καὶ Κτησιφῶντα μάρτυρας παρέξομαι*) clarissimis verbis: *ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος*, ait, *Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος, ἐκκλησίας οὔσης ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης, ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ, καὶ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας* (in Ctes. p. 57 extr.), quibus susceptum a Demosthene *τειχοποιοῦ* munus indicare eum velle, clarissime ex additis liquet: *καὶ μάλ'*

ὀρθῶς, ἵν' ἡ πόλις ἔχοι ὑπεύθυνα σώματα, παρ' ὧν ἤμελλε τῶν ἀναλωμένων λόγον ἀπολήψεσθαι. Et decreta, quae recitare continuo scribam iubet, patet alterum ipsius Demosthenis esse de creandis tributim *τειχοποιοῖς*, ex quo Demosthenes ipse Scirophorionis II vel III a tribu sua moenium curator constitutus est, ex quo etiam Aeschines illam temporis notationem manifesto desumpsit, alterum autem Ctesiphontis de coronando Demosthene, ut utrisque secum collatis iudicibus patefiat, ultimo anni mense Scirophorione Demosthenem a tribu sua *τειχοποιόν* creatum esse, et mense iam insequentis anni quarto Pyanepsione Ctesiphontem decretum de coronando Demosthene senatui proposuisse; insequentis anni, contendo: nam moenium reficiendorum cura praeter ordinem quidem, quippe pro usu et necessitate, demandabatur, et spatium eius legibus statutum non fuerit. Attamen ultra annuum spatium prorogari eam non potuisse, nisi novo delectu habito, ex institutis rei publicae Atheniensis liquet. Verumenimvero Aeschines or. in Ctes. l. c. quum Scirophorione Demosthenem *τειχοποιόν* factum ostendat, nec quidquam ultra afferat, sed recitatis solummodo duobus decretis, Demosthenis de creandis murorum curatoribus, Ctesiphontis de coronando Demosthene, monstrare contendat, ante relatas muneris rationes Demosthenem esse a Ctesiphonte coronatum, id certe significare vult, inter susceptam a Demosthene moenium reficiendorum curam et latum a Ctesiphonte decretum nonnisi breve quatuor mensium spatium inde a Scirophorione usque ad Pyanepsionem intercessisse, quum differenda fuisset rogatio, donec exeunte anno Demosthenes, deposito munere, eius etiam rationes retulisset.

Itaque Aeschines in oratione Demosthenem Chaeronda archonte mense Scirophorione, Olymp. igitur CX, 3 extr. *τειχοποιόν* esse creatum docet. Atque

Chaerondam hunc vere eponymum esse iudicaveris, sicuti Themistoclem et Theophrastum, quibus Aeschines in eadem oratione aliis locis annos designat; Chaerondam contra, accusationi Aeschineae praefixum, falsum iure suspiceris, et sicuti omnes reliquos archontes, qui actis publicis orationi de corona insertis praefixi sunt, pseudeponymum. Quod si statuas, rerum huc pertinentium ordinem hunc obtineas necesse est:

Olymp. CX, 3, epon. Chaeronda.

Metagitnionis VII. ad Chaeroneam confligitur.

Scirophorione Demosthenes τειχοποιός fit.

Olymp. CX, 4, epon. Phrynicho.

Pyanepsionis XXII. Ctesiphon decretum proponit de coronando Demosthene.

Elaphebolionis VI. Aeschines γραφὴν παρανόμων ad archontem defert.

In hoc rerum ordine id statim quaerendum se offert, reficiendorum murorum consilium, ad quod instante praesertim impressionis periculo confugisse civitatem per se consentaneum est, quid valuerit Ol. CX, 3 exeunte, decimoque demum mense post cladem ad Chaeroneam acceptam, quo tempore res publica, quae sibi per cladem illam imminebant mala, diu effugerat, et pace iam fruebatur. Continuo enim post infortunium illud victorem mutasse consilia animique erga Athenienses affectionem scriptores referunt: Diodor. XVI, 87. Iustin. IX, 4. Plut. Phoc. 16; confirmat ipse quoque Demosthenes de cor. p. 304, inopinatae salutis item etiam Aeschines meminit or. in Ctes. p. 76. med. Demosthenes Aeschinem continuo post pugnam legatum pacis causa ad Philippum pro-

perasse dicit de cor. p. 319, et pacem conciliatam iam esse per Demadem refert, quum ipse ad Chaeroneam occisos oratione funebri celebraret, id quod *παρ' αὐτὰ τὰ συμβάντα* factum contendit de cor. p. 320*). Transferendum igitur potius istud de muris reficiendis consilium ad id tempus videtur, quo muniendae urbis summa Atheniensibus necessitas aderat, quum victi ad Chaeroneam eorum exercitus in Atticam sese reciperent, eosque Philippus iamiam subsecuturus videretur. Qua tempestate Atheniensibus tantus certe de salute urbis timor incussus est, Hyperides ut decretum ferret de inquilinis civitate, servis libertate donandis, deque mulieribus et liberis in Piraeum asportandis. V. Lycurg. in Leocr. p. 170. R. Pseudo-Plut. vit. X orr. Hyperid. Vol. XII. p. 270. H. Cf. orat. pseudo-Demosth. in Aristogit. II. p. 803. Atque hac sane ipsa opportunitate, quum Philippi post cladem Chaeronensem in Atticam subita impressio imminebat, Athenarum urbem summa celeritate et intentione a civibus re vera munitam, repetitumque id fere erga patriam studium esse, quod post expulsos ex Graecia Persas Themistoclis consilio et calliditate praestitum erat, insignis Lycurgi locus or. in. Leocr. (p. 172 R.) planissime docet, in quo

*) Pseudo-Plut. vit. X. orr. in Isocr. Vol. XII. p. 240. H. Isocratem vita decessisse refert *ἅμα ταῖς ταφαῖς τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ πεσόντων*, postquam, nuncio de clade Chaeronensi accepto (p. 238), ne Graeciam quartum subactam videret, per novem quatuorve dies a cibo abstinuisset. Unde pacem decem circiter post cladem diebus conciliatam coniicias. Et quamquam fabellae isti non tantum tribui potest, praesertim quum Philippus non continuo post cladem occisos in pugna victis reddiderit secundum eundem auctorem l. c. Hyperid. p. 270, id tamen certe ex ea concludere licet, brevi post pugnam tempore pacem compositam esse.

Athenarum post cladem ad Chaeroneam status his verbis describitur: *καίτοι κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους οὐκ ἔστιν ἥτις ἡλικία οὐ παρέσχετο αὐτὴν εἰς τὴν τῆς πόλεως σωτηρίαν, ὅτε ἡ μὲν χώρα τὰ δένδρα συνεβάλλετο, οἱ δὲ τετελευτηκότες τὰς θήκας, οἱ δὲ νέοι τὰ ὅπλα. ἐπεμελοῦντο γὰρ οἱ μὲν τῆς τῶν τειχῶν κατασκευῆς, οἱ δὲ τῆς τῶν τάφρων, οἱ δὲ τῆς χαρακώσεως· οὐδεὶς δ' ἦν ἀργὸς τῶν ἐν τῇ πόλει.*

Cum his si conferas id, quod Demosthenes tria illa talenta, quae in administrando *τειχοποιοῦ* munere rei publicae condonavit, in fossas praesertim circa Piraeum ducendas consumpserit*), nonne hanc Demostheneam murorum reficiendorum curam ad eam ipsam calamitosam Athenarum conditionem omnino revocandam esse concedes? Sin minus, vereor ne ipse te vincat Demosthenes, ipse etiam Aeschines. Illius enim primum Dinarchus decretum affert (in Dem. p. 56), quo cives *ἐπὶ τὰ ἔργα* sese conferre iussi fuerint. Ipse vero Demosthenes industriam suam populique constantem erga se voluntatem in extrema illa rei publicae calamitate his gravissimis verbis celebrat: *μετὰ*

---

*) Aesch. in Ctes. p. 87. extr. ad Ctesiphontem: *εἰ μὲν γὰρ λέγεις, ὅθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ ψηφίσματος ἐποιήσω, ὅτι τὰς τάφρους τὰς περὶ τὰ τείχη καλῶς ἐτάφρευσε, θαυμάζω σοῦ.* — Demochares in depravato decreto in honorem Demosthenis lato, quod exstat ap. Pseudo-Plut. vit. X. orr. Vol. XII. p. 275. H., restitutis, quae restituenda sunt: *καὶ ὅτι εἰς τὴν τειχοποιΐαν χειροτονηθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου τρία τάλαντα ἐπέδωκε, δύο τάφρους περὶ τὸν Πειραιᾶ ταφρεύσας, μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην.* Demosth. de cor. p. 325: *τὸν δὲ τειχισμὸν τοῦτον, ὃν σύ μου διέσυρες, καὶ την ταφρείαν ἄξια μὲν χάριτος καὶ ἐπαίνου κρίνω. — τούτοις [τοῖς ὑπ' ἐμοῦ πεπολιτευμένοις] ἐτείχισα τὴν χώραν οὐχὶ τὸν κύκλον μόνον τοῦ Πειραιῶς οὐδὲ τοῦ ἄστεος.*

τὴν μάχην εὐθὺς ὁ δῆμος εἰδὼς καὶ ἑωρακὼς πάντα ὅσα ἔπραττον ἐγώ, ἐν αὐτοῖς τοῖς δεινοῖς καὶ φοβεροῖς ἐμβεβηκὼς — πρῶτον μὲν περὶ σωτηρίας τῆς πόλεως βουλευόμενος τὰς ἐμὰς γνώμας ἐχειροτόνει, καὶ πάνθ' ὅσα τῆς φυλακῆς ἕνεκ' ἐπράττετο, ἡ διάταξις τῶν φυλάκων, αἱ τάφροι, τὰ εἰς τὰ τείχη χρήματα διὰ τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων ἐγίγνετο· ἔπειθ' αἱρούμενος σιτώνην ἐκ πάντων ἐμὲ ἐχειροτόνησεν ὁ δῆμος: or. de cor. p. 309. In his animadvertas, Demosthenem dicere: ἐκ τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων — αἱ τάφροι ἐγίγνοντο, τὰ εἰς τὰ τείχη χρήματα. Cur non: τά τε εἰς τὰς τάφρους καὶ εἰς τὰ τείχη χρήματα? Scilicet propriis Demosthenes impensis fossas ducendas curavit, publica pecunia in muros reficiendos consumpta est. Decretum est auctore Demosthene, ut muri reficerentur, iique fossis etiam circumdarentur. Destinata vero operi ex aerario pecunia nonnisi ad muros reficiendos sufficiebat, fossis ducendis Demosthenes tria talenta largitus est. Hoc dicere volebat Demosthenes, sed tacite expressit, quod clarius dicere vetabat modestia: me auctore decretae sunt fossae, destinata etiam muris reficiendis pecunia. Quod ita fuisse, et Demosthenem propriis impensis fossis moenia circumdanda curasse, idque in desperata post cladem Chaeronensem civitatis conditione, unde Ctesiphonti coronae in eum conferendae ansa praebita sit, Aeschinis verba aperte docent haec, quibus Ctesiphontem alloquitur: εἰ μὲν γὰρ λέγεις ὅθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ ψηφίσματος ἐποιήσω, ὅτι τὰς τάφρους τὰς περὶ τὰ τείχη καλῶς ἐτάφρευσε, θαυμάζω σοῦ. τοῦ γὰρ ταῦτ' ἐξεργασθῆναι καλῶς τὸ γεγενῆσθαι τούτου αἴτιον μείζω κατηγορίαν ἔχει· οὐ γὰρ περιχαρακώσαντα χρὴ τὰ τείχη οὐδὲ τὰς δημοσίας ταφὰς ἀνελόντα*)

---

*) Revocanda hic in memoriam sunt Lycurgi verba, supra allata: κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους οἱ τετελευτηκότες

τὸν ὀρθῶς πεπολιτευμένον δωρεὰς αἰτεῖν, ἀλλ' ἀγαθοῦ τινος αἴτιον γεγενημένον τῇ πόλει (in Ctes. p. 87. extr.): coronasti Demosthenem, Ctesiphon, quod fossas moenibus pulchre praeducendas curasset; cuius tamen ob id ipsum maior etiam culpa est, quippe qui administratione sua eo civitatem adduxerit, ut fossas ducere et vallis communire coacta sit.

Itaque continuo post cladem Chaeronensem, post Olymp. CX, 3 Metagitnionem VII, in desperata illa civitatis conditione, quum exhaustae bello publicae pecuniae erant, Philippique imminens impressio urbis communiendae civitati necessitatem iniunxerat, tum Demosthenes in fossas moenibus praeducendas tria de proprio talenta impendit, tum murorum reficiendorum curam administrabat, et decem illa talenta, quae ex aerario accepisse eum Aeschines dicit (in Ctes. p. 57 med.), eae manifesto pecuniae sunt, quas suo consilio ad moenia restituenda destinasse populum in extrema illa calamitate ipse Demosthenes refert or. de cor. p. 309.

At Demosthenem non sola patriae ista calamitas, sed propria etiam pericula ad liberalitatem illam excitasse videntur, id quod ad comprobandam opinionem nostram de iusto institutae actionis anno haud minimum facit. Etenim continuo post cladem Chaeronensem exortae sunt contra Demosthenem illae adversariorum conspirationes, de quibus ipse orator agit de cor. p. 310, unde haec exorsa est disputatio. Demosthenis in re publica administranda consiliis facta est cum universae Graeciae, tum Atheniensium ad Chaeroneam clades. Profligatis igitur per eam Demo-

---

τὰς θήκας [συνεβάλλοντο]· ἐπεμελοῦντο οἱ μὲν τῆς τῶν τειχῶν κατασκευῆς, οἱ δὲ τῆς τῶν τάφρων, οἱ δὲ τῆς χαρακώσεως.

sthenis consiliis, oratores, qui adversas in re publica gerenda partes sustinebant, optimam copiam ad deprimendum eum nactos se esse arbitrabantur. Factum igitur est, ut multorum tum orator flagraret invidia, et nomen eius primo praesertim post cladem Chaeronensem tempore quotidie fere ad iudices deferretur. Sed populus meritorum eius haud immemor ab omni improbitatis labe ubique eum absolvit. Inter haec autem latum a Ctesiphonte decretum esse ipse Demosthenes haud ambigue indicat. Continuo post pugnam Chaeronensem, ait (p. 309), ex suis decretis instituta urbis est custodia, decretae sunt fossae, destinata muris reficiendis pecunia: *ἔπειθ' αἱρούμενος σιτώνην ἐκ πάντων ἐμὲ ἐχειροτόνησεν ὁ δῆμος. καὶ μετὰ ταῦτα συστάντων, οἷς ἦν ἐπιμελὲς κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, καὶ γραφάς, εὐθύνας, εἰςαγγελίας, πάντα ταῦτ' ἐπαγόντων μοι — ἴστε γὰρ δή που καὶ μέμνησθε, ὅτι τοὺς πρώτους χρόνους καθ' ἑκάστην σχεδόν τι ἡμέραν ἐκρινόμην ἐγὼ — ἐν τοίνυν τούτοις πᾶσι μάλιστα μὲν διὰ τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ δι' ὑμᾶς ἐσωζόμην. — Οὐκοῦν ἐν μὲν οἷς εἰσηγγελλόμην, ὅτ' ἀπεψηφίζεσθέ μου, . . . τότ' ἐψηφίζεσθε τὰ ἄριστά με πράττειν· ἐν οἷς δὲ τὰς γραφὰς ἀπέφευγον, ἔννομα καὶ γράφειν καὶ λέγειν ἀπεδεικνύμην· ἐν οἷς δὲ τὰς εὐθύνας ἐπεσημαίνεσθε, δικαίως καὶ ἀδωροδοκήτως πάντα πεπρᾶχθαί μοι προςωμολογεῖτε.* Deinde: *τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων,* pergit, *τί προςῆκον ἢ τί δίκαιον ἦν τοῖς ὑπ' ἐμοῦ πεπραγμένοις θέσθαι τὸν Κτησιφῶντα ὄνομα, οὐχ ὃ τὸν δῆμον ἑώρα τιθέμενον, οὐχ ὃ τοὺς ὀμωμοκότας δικαστάς, οὐχ ὃ τὴν ἀλήθειαν παρὰ πᾶσι βεβαιοῦσαν;* Postrema haec ita sane dicta sunt, ac si post repressos demum illos adversariorum impetus lata sit lex Ctesiphontis. Eam autem, si continuo post cladem Chaeronensem Demosthenes murorum reficiendorum munere fungebatur, mensibus igitur Metagitnione et Boedromione Olymp. CX, 3, latam necesse est ex rationibus supra excussis eiusdem anni Pyanepsione

XXII, duobus post pugnam mensibus dimidioque, quod spatium brevius videatur, quam ut eo omnes illi, quos Demosthenes numerat, impetus potuerint reprimi. Verumenimvero praeter quod Demosthenes pericula illa structa sibi esse dicit continuo post cladem acceptam, quod impetus illos *καθ' ἑκάστην σχεδόν τι ἡμέραν* excepisse se ait, eosque tentatos ab adversariis esse *οὐ δι' ἑαυτῶν τό γε πρῶτον ἀλλὰ δι' ὧν μάλιστα ὑπελάμβανον ἀγνοηθήσεσθαι,* id quod ad id temporis momentum spectare videtur, in quo pace cum Philippo nondum aut vix composita periculosius videri adversariis poterat, si ipsi rectaque via in Demosthenem inveherentur, quem tum populus adhuc salutis suae columen praesidiumque aestimabat; reputa, oratorem illa loqui, et de rebus Olymp. CX, 3 gestis verba facere Olymp. CXII, 3, quo tempore quid ni oratoria arte ita rem exornare poterat, ac si Ctesiphon confirmatus populi constanti in se benevolentia, item etiam iudicum auctoritate, collaudandum se et coronandum proposuerit. Poterat igitur Ctesiphontis lex etiam inter illos impetus ferri. Immo ipsa illa pericula, quibus continuo post cladem Chaeronensem Demosthenes obruebatur, aut obrutum iri se metuebat, acerrime et ipsum compellere poterant ad liberalitatem, qua adversariorum impetus eo certius reprimere posset, et Ctesiphontem excitare, ut nondum deposito a Demosthene munere, necdum relatis rationibus coronandum eum senatui proponeret. Scilicet Ctesiphon, quod iam Taylorus animadvertit (Proleg. ad or. de cor.), id sane consilio suo petisse videtur, ut, comprobata praeiudicio senatus virtute Demosthenis, obtrectatores eius ab invidis illis impetibus deterrerentur. His enim oppositum manifesto est praeconium illud in Ctesiphontis decreto, coronari Demosthenem virtutis gratia et benevolentiae,

quam erga Graecos omnes et populum Atheniensem omni tempore (ἐν παντὶ καιρῷ) habeat, et agendo dicendoque constanter praestet, cuius cum omnia verba ad Demosthenis res recentissime gestas pertineant, tum maxime illud ἐν παντὶ καιρῷ recentissimam rei publicae calamitatem nedum praesentem adhuc indicare videtur. Quae omnia ita fuisse, confirmabo iam uno adhuc argumento et eo, quod mihi omnium fere videtur firmissimum. Demosthenes l. c. (p. 310) Ctesiphontem nil aliud de se decresse contendit, quam quod decernere eum iusserit populi de se constans etiam post cladem iudicium, cuius singula exempla attulerat. Inter haec vero primarium illud deesse mirari subit, quod sibi demandatum sit occisos ad Chaeroneam oratione funebri celebrare. Quod profecto hic verbo certe memorasset, si sibi honos ille ante latum a Ctesiphonte decretum contigisset. Verum ad eum transit loco inferiori (p. 320) et his quidem verbis: πολλὰ καὶ καλὰ καὶ μεγάλα ἡ πόλις Αἰσχίνη καὶ προείλετο καὶ κατώρθωσε δι' ἐμοῦ, ὧν οὐκ ἠμνημόνησε. Unde ego occisorum ad Chaeroneam iusta funebria confecta contendo post latum a Ctesiphonte decretum, et concessurum hoc mihi quemque esse opinor, qui Demosthenis in observanda rerum, quas exponit, iusta serie accurationem et sagacitatem animadverterit. Illa vero confecta Demosthenes ait (l. c.) continuo post pacem compositam, quam compositam brevi post cladem esse supra monstravimus. Unde decretum etiam Ctesiphontis brevi post cladem Chaeronensem latum patet, ergo Pyanepsione Olymp. CX, 3.

Quod si ita est, litem intentam Ctesiphonti ab Aeschine patet eiusdem anni mense Elaphebolione, archonte Chaeronda, quem praefert etiam accusationis libellus, et sub quo Plutarchus etiam (in Demosth.

c. 24) causam esse institutam refert.*) Atque huic certe tempori proxime etiam accedunt Ciceronis verba: „hanc mulctam a Ctesiphonte petiit [Aeschines] quadriennio ante Philippi Macedonis mortem;" (de opt. gen. orat. c. 7), in quo tamen quadriennium ante non idem valeat, ac quatuor annis ante, sed Graecum esse Ὀλύμπιας potest.

Idem institutae actionis tempus confirmant etiam auctor argumenti II. ad or. de cor. et Pseudo-Plut. in Vit. X orr. Demosth. Vol. XII. p. 263. H., quippe qui Demosthenem continuo post cladem ad Chaeroneam moenium reficiendorum munus administrasse referant. Verum hi, quod post cladem Chaeronensem demum creatum etiam Demosthenem esse moenium curatorem dicunt, in eo manifesto errant, si quidem continuo post eam, hoc est mense Metagitnione reficiendis muris manus apposita est, eademque opportunitate Demosthenes τειχοποιοῦ munere fungebatur.

*) Inde, quod mire additum est, μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν, et quo potissimum Corsini opinio nititur actionem ante pugnam Chaeron. Ol. CX, 2, institutam contendentis (F. A. diss. III. 13 et VIII. 23), id cum Casaubono mutandum conieceris in μικρὸν κατωτέρω· quod tamen equidem audacius factum censeo. Neque tamen persuadere mihi possum, Plutarchum ante pugnam Chaeron. litem institutam iudicasse, quippe quod ipse sciat Metagitnionis VII esse ad Chaeroneam conflictum. Quam ob rem ad designandum potius primum post cladem tempus abusum eum dixerim voce ἐπάνω, quippe quae mediam habeat, ideoque ambiguam significationem, ut possit et ad tempus proxime antecedens et proxime subsequens referri. Sed negligentia auctoris manifesta est etiam in sequentibus: κριθεῖσα δ' ὕστερον ἔτεσι δέκα ἐπ' Ἀριστοφῶντος, ubi pro ἔτεσι δέκα dicendum erat ἔτεσιν ὀκτώ· si quidem auctoris haec sunt, nec potius simul cum illis μικρὸν ἐπάνω τ. Χαιρ. recentioris cuiusdam hominis male docti laciniae.

Creatum enim eum necesse est certe anni iam praecedentis, Olymp. CX, 2, Scirophorione. Schoemannus quidem (de comit. p. 138) archonte Theophrasto Olymp. CX, 1 exeunte, latum illud de muris reficiendis decretum opinatur, quod tum, bello Philippi imminente, legem Demosthenes tulerit secundum Philochorum (ap. Dionys. Hal. ep. a. Amm. §. 11) *ναῦς πληροῦν καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖν τὰ τοῦ πολέμου·* insequenti anno, archonte Lysimachide, quum Athenienses *τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον,* illud etiam murorum reficiendorum opus dilatum, et qui eius curatores fuerint, neque abiisse munere neque rationes retulisse, quo evenerit, ut Demosthenes, unus ex curatoribus, adhuc Olymp. CX, 3 mense Pyanepsione *τειχοποιός* esset. At haec viri doctissimi sententia facile refellitur et rationibus in hac ipsa disputatione supra a nobis excussis et eo rerum ordine, quem exploravimus cap. IV. nr. 7. 8. et cap. V. Etenim archonte Theophrasto, Olymp. CX, 1 ineunte (nam exeunte in Scythia versabatur. V. cap. V.) quum Philippus Olymp. CIX, 4 extr. Byzantium obsidione clausisset, discissa Athenis solemniter pace, Demosthenes legem tulit, ut summa diligentia naves Athenienses instruerent, ceteraque belli opera curarent, nempe ut possent Byzantiis opem ferre iustoque bello Philippum premere. Eo tempore quum in Thracia Hellespontique regionibus bello Philippus occupatus esset, nullus aderat instantis impressionis metus, qui Athenienses murorum reficiendorum admoneret. Omnis tum potius opera classi instruendae navanda erat. Nulla igitur communio interest inter illam navium apparationem et murorum reficiendorum munus Demostheni demandatum. Bellum hoc Byzantium continuatum est usque ad Olymp. CX, 2 mensem Hecatombaeonem, si eo pacem restitutam recte supra con-

iecimus. Interea vero Olymp. CX, 1 exeunte ortum erat bellum adversus Amphissenses Amphictyonicum, cuius ducem Amphictyones Olymp. CX, 2 Metagitnione Philippum crearunt. Quo facto Philippus insequenti Elaphebolione per Thermopylas Locridem invasit, Amphictyonum decreta exsecuturum se simulans, re vera ut Athenienses in ipsorum terra coercere posset. Tum temporis, ingresso iam in Graeciam Philippo, Athenienses ex decreto Demosthenis *τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωςοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο* (intermiserunt ordinariam et non necessariam navalium et armamentarii reficiendorum curam) *διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον, τὰ δὲ χρήματ' ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικά,* ut ad bellum cominus et iamiam gerendum omnes pecuniae militibus conducendis alendisque impendi possent. Id quod factum est aut ipso iam mense Elaphebolione aut aliquot mensibus post. Eoque ipso tempore urbis etiam muniendae et murorum reficiendorum summa sane necessitas aderat, quum hostis super capite staret. Sed Athenienses, quum primum Philippus in Graeciam ingressus erat, initio id agebant maxime, eum ut a terra sua quam possent longissime retinerent. Quam ob rem Elaphebolione XXV inducias rogant usque ad Thargelionem, eo temporis intervallo Thebanos secum conciliaturos se esse sperantes. Factae induciae renovantur Munychionis ultimo die. Eo tempore Thebani mutatis consiliis pacem se amicitiamque cum Philippo observaturos esse declaraverunt. Qua rerum conversione Atheniensibus summus iam illatus est timor, ne Philippus, societate etiam Thebanorum conciliata, Atticam sine ullo impedimento invaderet. Quam ob rem tum eos de urbe communienda cogitasse omnino est verisimile, itaque consentaneum etiam, Demosthenem Thargelione exeunte legem tulisse de creandis ad insequentem annum, in quem

Philippi impressio imminebat, moenium curatoribus, ipsumque cum novem aliis a tribu sua τειχοποιόν esse electum Scirophorione ineunte, paucis ante captam Elateam diebus, ut, si male res verteret repentinaeque impressionis metus urbem invaderet, parati essent qui operi sine mora manum apponerent, ita ut non continuo opus inceptum, sed dilatum sit in tempestivum momentum, quo magis tum adhuc omnis pecunia copiis posset congregandis impendi et maior civium numerus in arma vocari hostique obviam ire. Et apposita fortasse etiam manus statim esset operi, nisi brevi post, capta Elatea, conciliatum cum Thebanis foedus rerum faciem mutavisset, inque Atheniensibus spem excitasset fore, ut ad ipsos Boeotiae fines Philippus reprimi, ipsique ab impressione omnino liberari possent. Itaque factum est, ut Demosthenes, Olymp. CX, 2 extr. moenium curator creatus, conciliato cum Thebanis foedere, ipse cum exercitu ad pugnam egressus sit, unde clypeo abiecto turpiter fugam eum cepisse adversariorum tulit calumnia. V. Aesch. in Ctes. p. 74 extr. 76 med. 89 extr. Dinarch. in Demosth. p. 10. Plut. Demosth. c. 20. Pseudo-Plut. vit. X. orr. p. 263. H. Ita etiam evenit, ut post pugnam demum, Olymp. CX, 3 Metagitnione VII. amissam, Demosthenes Athenas continuo redux, quum tunc communiendae urbis adesset necessitas, decretum tulerit de pecuniis in moenia reficienda destinandis (de cor. p. 309). Quibus destinatis opus continuo inceptum, et licet pax brevi post, ipsoque iam fortasse Metagitnione, inexspectato conciliata esset, continuatum est, donec absolveretur. Idque curandum post pugnam demum ingressus Demosthenes, τειχοποιός ante creatus, propriis impensis fossas praesertim moenibus praeducendas curavit, quibus, quum earum usus ad cohibendam hostis impressionem principalis sane gravissimusque esset, primo statim manus

appositas esse consentaneum est, ut Ctesiphon Pyanepsionis iam XXII pro absoluto egregie opere (Aesch. in Ctes. p. 87 extr.) coronandum Demosthenem omnino proponere posset, nondum tamen deposito a Demosthene munere, necdum relatis rationibus, quae ne relatae quidem ab eo erant Elaphebolione VI, quum Aeschines causam in Ctesiphontem instituebat (*ἔστι δὲ Δημοσθένης τειχοποιός*: Aesch. in accusat.), quod referendae haud dubie erant anno demum exeunte.

Omnibus igitur egregie consentientibus unum reliquum est, quod explorato temporum ordini omnino repugnare videatur. Nam Olymp. CX, 2. mense Thargelione XXVIII, quo ex calculis modo expositis Demosthenes legem tulit de creandis moenium curatoribus, Lysimachides adhuc eponymus fuit, cui Hecatombaeone demum Olymp. CX, 3 successit Chaerondas, clade Chaeronensi nobilitatus. At Aeschines clarissimis verbis: *ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος*, ait, *Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης, ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ, καὶ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμεληθησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας* (in Ctes. p. 57 extr.). Quae qui Atheniensium audiebat, non poterat non de eponymo Olymp. CX, 3, clade Chaeronensi celeberrimo, cogitare, ergo neque rem Olymp. CX, 2 extr. factam opinari, sed omnino Thargelione Ol. CX, 3. Chaerondas igitur iste Aeschineus non potest pseudeponymus esse. Neque enim ex pseudeponymo Aeschines definire poterat tempus suscepti a Demosthene *τειχοποιοῦ* muneris hic, ubi demonstrandum erat, medio Demosthenis magistratu Ctesiphontis legem rogatam esse. In quem finem quum recitare etiam Aeschines scribam iubeat ipsum illud Demosthenis decretum de creandis moenium curatoribus ipsam-

que Ctesiphontis legem, et huic, si ea lata est Olymp. CX, 3 Pyanepsione, praefixus esse debebat Chaerondas quem etiam praefert Ctesiphontis libellus, et illi eponymus Lysimachides. Iam vero attendas quaeso. Archonte Chaeronda mense Thargelione Aeschines ait Demosthenem legem tulisse de creandis murorum curatoribus, ex qua ipse moenium curator electus est Scirophorione; tum scriba legem Ctesiphontis recitat latam esse archonte Chaeronda mense Pyanepsione, octavo ante Thargelionem. Nonne haec audientes iudices merito ineptientem oratorem explosissent?

Quae quum ita sint, aut re vera Demosthenes Olymp. CX, 3 Scirophorione *τειχοποιός* factus sit, et Olymp. CX, 4, archonte Phrynicho, Pyanepsione Ctesiphon legem tulerit, Elaphebolione Aeschines causam instituerit, aut Aeschinis verbis *ἐπὶ Χαιρώνδου* medela afferatur, necesse est*). Atque quod cap. V. extr. tetigimus, idem hic primum in mentem fortasse recurrat, Plutarchum in tempore cladis Chaeronensis lapsum eamque non Metagitnione commissam esse, sed Thargelione Olymp. CX, 3, ut Demostheni Scirophorione mense, archonte Chaeronda, moenium reficiendorum cura omnino demandari posset. Sed isti cogitationi nil tribuendum esse, supra monstravimus; et ea unam evitantes difficultatem aliis occurreremus, haud facile solvendis. At multo probabilius dixeris, post pugnam demum captum reficiendorum murorum consi-

*) Clintonum, qui Fast. Hellen. p. 363 Aeschinis verbis hanc tribuit sententiam, ut docerent, etiam tum Demosthenem fuisse curatorem moenium, ideoque decretum Demosthenis in Thargelionem Olymp. CX, 3, archonte Chaeronda, post Demosthenem a Ctesiphonte laudatum et Ctesiphontem ab Aeschine accusatum refert, merito refutavit Boeckh. in Comment. de archontib. pseudepon. p. 23 et nos tacite supra.

lium, coeptumque Demosthene quidem auctore, nondum tamen ipso moenium curatore creato, continuo opus esse, et destinatis semel ex aerario pecuniis, quamvis mox consecuta pax esset, tamen continuatum. Quamobrem exeunte Olymp. CX, 3, opere nondum confecto, novos esse ex decreto Demosthenis *τειχοποιοὺς* creatos ad opus insequenti anno continuandum; inter hos demum novos moenium curatores electum etiam Demosthenem esse, qui, quum exhaustae iam tempore publicae pecuniae essent, ad perficiendum opus tria talenta de proprio largitus esset Olymp. CX, 4 ineunte, ut lis ab Aeschine intenta demum sit eiusdem anni mense Elaphebolione, sexto ante quam mortuus Philippus esset eumque subsecutus Alexander. Cui institutae actionis tempori competere certe Aeschinis verba videntur haec: *ἀπηνέχθη ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφή, ἣν οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀλλ' ὑπὲρ τῆς εἰς Ἀλέξανδρον ἐνδείξεώς με φῂς ἀπενεγκεῖν· ἔτι Φιλίππου ζῶντος, πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τῆν ἀρχὴν καταστῆναι* (in Ctes. p. 85 in.). Obiiciebat Demosthenes Aeschini, quod actionem studii in Alexandrum ostentandi causa instituisset, quod obiicere minus posse videatur, si causa delata ad archontem sit Elaphebolione Olymp. CX, 3, duodeviginti menses ante mortem Philippi, aut Aeschinem certe mireris ad opprobrium istud accuratius designandum institutae actionis tempus dereliquisse, nempe quod biennio fere ante mortem Philippi ad archontem delata sit. At haec explicanda sunt alio quocumque modo. Ad pervertendos superiores calculos nostros valere certe non possunt, quos qui accurate excusserit eum vix crediturum arbitror, decimo demum mense post cladem ad Chaeroneam Demosthenem moenium esse curatorem electum, idque ad continuandum seu absolvendum opus. Repugnat igitur isti opinioni, ne ad Chaerondam confugiam, quem

ipsa Aeschinis accusatio praefert, aut ad Plutarcheum Chaerondam, hoc maxime, quod Ctesiphontis decretum ante iusta funebria occisis ad Chaeroneam confecta latum supra recte nobis statuisse videmur; praeterea quod Demosthenes, *τειχοποιοῦ* munere suscepto, tria illa talenta fossis in primis impendit, quarum, ut supra monui, ad cohibendum hostem principalis sane usus et gravissimus erat, ut eis ducendis manus apposita videatur, quum primum repentina Philippi impressio exspectaretur; quod fossis ducendis tumulos publicos amolitum esse Demosthenem Aeschines ait (in Ctes. p. 87 extr.), id quod ut fieret, civitatis calamitate adductum sit, quam suis rei publicae gerendae consiliis in eam contraxisset Demosthenes. Repugnare praeterea isti sententiae decem illa talenta videntur, quae ex aerario ad opus curandum accepisse Demosthenem contendit Aeschines, et quae vix neges eas esse pecunias, quibus continuo post pugnam ad muros reficiendos destinandis auctorem sese populo exstitisse Demosthenes refert (l. l. 309). Vix enim credideris Olymp. CX, 3 extr., quo tempore periculum diu iam praeterierat, civitatem, bello exhaustam, novas operi pecunias destinasse. Ipsaque Demosthenis verba: *εὐθὺς μετὰ τὴν μάχην διὰ τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων αἵ τάφροι ἐγίγνοντο, τὰ εἰς τὰ τείχη χρήματα* (p. 309) indicare aperte videntur, reficiendorum moenium consilium captum iam antea esse, ut instante post cladem impressione nonnisi pecuniae destinatae sint. Quodsi enim res aliter fuisset, dictum exspectares: *διὰ τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων ἐγίγνετο ἡ τῶν τειχῶν κατασκευή*. Nec videas, cur opus fuerit novo populiscito de creandis tributim *τειχοποιοῖς* Olymp. CX, 3 exeunte, nec cur hoc a Demosthene factum sit, qui non fuerit inter moenium curatores post pugnam Chaeronensem creatos; nec denique Aeschinis verba ad decretum de continuando opere, sed de incipiendo potius spectant.

Quae omnia quum eo convenire videantur, ut decretum hoc Demosthenis, quod Aeschines affert, primum esse de moenibus reficiendis deque *τειχοποιῶν* delectu tributim habendo statuamus, nulla ex parte archonte Chaeronda latum esse potest; sed latum est Lysimachide, qui Chaerondam praecesserat. Itaque *ἐπὶ Λυσιμαχίδου ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος κ. τ. λ.* dicendum Aeschini erat, quod praefixum in decreto inveniebat. Idque manifesto recitaturus erat scriba ex ipso decreto Demosthenis. At, quod hic maxime memorandum est, Aeschines ipse hic ante scribam tempus definit, quod non fecerat antea in definiendo eo tempore, quo factus Demosthenes sit theorici quaestor. Hoc non temere facit, sed consulto. Atque quum de voce *Χαιρώνδου* suspicioni locus nullus esse possit, ex Chaeronda dicendum est voluisse Aeschinem tempus decreti illius Demosthenei designare, quod ex Lysimachide definiturus erat scriba; seu, quod Chaerondam clades ad Chaeroneam nobilitaverat, per quam a Demosthene in civitatem contractam murorum reficiendorum necessitas rei publicae esset iniuncta, seu alia quadam de causa. Quid multa? *πρὸ γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος μηνὸς ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης* dixisse eum statuendum est, id quod egregie coniecit Boeckhius (in Comment. de archontib. pseudepon. p. 31), insolitam formulam, addens, fraudem fecisse vel librariis vel criticis antiquis, qui ad usitatam formulam *ἐπὶ Χαιρώνδου* delapsi sint. Et coniectura haec obtinenda certe omnino erit, donec ex Plutarchi auctoritate constabit, cladem Chaeronensem Olymp. CX, 3 Metagitnione accidisse, sicuti, ex superioribus calculis nostris, continuo post illam moenia Athenarum refici coepta, eaque ipsa tempestate Demosthenem esse *τειχοποιοῦ* munere functum. Atque si *πρὸ γὰρ Χαιρώνδου* legatur, vera iam etiam causa liquebit, cur Aeschines, ante-

quam scribam recitare Demosthenis decretum de creandis moenium curatoribus iubeat, ipse, quo sit tempore latum, definiat. Nempe iam paulo antea (p. 57 med.) docuerat Aeschines, archonte Chaeronda mense Pyanepsione Ctesiphontem legem tulisse de coronando Demosthene, idque invitis legibus, quod Demosthenes tum adhuc theorici administratione fungeretur, quam suscepisse eum eodem Chaeronda, nimirum primo anni mense, multis de causis probabile est.*) Inde continuo transit ad *τειχοποιοῦ* munus a Demosthene administratum idque etiam nondum a

*) Aeschines or. in Ctes. p. 57 med. *καί μοι ἀνάγνωθι,* ait, *ἐπὶ τίνος ἄρχοντος καὶ ποίου μηνὸς καὶ ἐν τίνι ἡμέρᾳ καὶ ἐν ποίᾳ ἐκκλησίᾳ ἐχειροτονήθη Δημοσθένης τὴν ἀρχὴν τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ.* Sequitur *διαλογισμὸς τῶν ἡμερῶν.* Hic, dixeris, dies numerari, qui inter susceptum a Demosthene munus et latum a Ctesiphonte decretum intercesserint; unde nonnisi paucis diebus ante Pyanepsionem XXII munus illud suscepisse Demosthenem coniiciendum sit, itaque post cladem ad Chaeroneam; aliter enim non *διαλογισμὸν ἡμερῶν,* sed *χρόνων* institutum fuisse. Et potuit sane centum minas illas largiri singularum tribuum theoris aut mysteriorum solemnitate, mense Boedromione, aut si ipso demum Pyanepsione electus fuerit, Thesmophoriis, quae inde a Pyanepsione XIV celebrabantur. Sed Demosthenes or. de cor. p. 309 quantam populus, clade vix accepta, fiduciam in se posuerit, copiose enarrat. Theorici autem administrandi munus quantae auctoritatis fuerit, Aeschines docet in Ctes. p. 57. med. Itaque si sibi munus illud brevi post cladem delatum fuisset, enotandum hoc certe l. c. Demosthenes non dereliquisset. Quam ob rem aliud valet ille *διαλογισμὸς τῶν ἡμερῶν.* Nempe confertur dies, quo susceptum a Demosthene munus est, cum eo, quo latum est a Ctesiphonte decretum, ut videant iudices, hoc latum esse, quum annuum muneris spatium nondum exierit. Annuum enim munus illud fuisse consentaneum ob id maxime est, quod magistratus alios cum illo coniunctos

Demosthene depositum esse, quum legem ferret Ctesiphon, demonstrare conatur ex decreto de creandis *τειχοποιοῖς* a Demosthene lato. Sed ex hoc Demosthenes moenium curator electus est diverso archonte Lysimachide. Itaque verba *ἐπὶ Λυσιμαχίδου ἄρχοντος Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος εἶπε Δημοσθένης* recitaturus

---

Aeschines fuisse refert, qui nonnisi annui fuisse possunt (*οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι ἦρχον μέν, πρὶν ἢ τὸν Ἡγήμονος νόμον γενέσθαι, τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχήν, ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρῶν, καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν, ἦσαν δὲ καὶ ὁδοποιοί.* Aesch. l. c.). Et creatos theorici quaestores esse circa Dionysiorum urbanorum solemnitatem ex ipsis his, quas hic excutimus, rationibus contendit Petitus (Legg. Att. III. 2. 25), putarimque ego quoque, etsi minus tribuens argumentis Petiti, sed quod universum theorici institutum a spectaculis Dionysiacis originem duxit (v. Boeckh. Oecon. Ath. civ. Vol. I. p. 235.). Nihilominus Demosthenem theorici quaestorem creatum esse primo mense anni eiusdem, cuius Pyanepsione lata est lex Ctesiphontis, multa me monent. Nam si archonte Lysimachide ad Dionysia, mense igitur Elaphebolione creatus fuisset, eodem archonte et theorici quaestor factus esset et *τειχοποιός*. Sed diversum manifesto archontem Aeschines indicat, sub quo moenium reficiendorum curam Demosthenes susceperit, quum in sequentibus [*ἐπὶ*] *γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος,* ait, *ψήφισμα Δημοσθένης ἔγραψε ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν κ. τ. λ.*, sive in his *ἐπὶ Χαιρώνδου* legas, sive *πρό*. Et ad ineuntem annum spectare etiam prolixa illa temporis videtur notatio: *καί μοι ἀνάγνωθι, ἐπὶ τίνος ἄρχοντος καὶ ποίου μηνὸς καὶ ἐν τίνι ἡμέρᾳ καὶ ἐν ποίᾳ ἐκκλησίᾳ ἐχειροτονήθη Δημοσθένης τὴν ἀρχὴν τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ.* Accedit, id quod maximum est, quod Demosthenes Ol. CX, 3 Elaphebolione VI, sexto ante Dionysia die, adhuc theorici quaestor erat, ut docet Aeschinis accusatio (de cor. p. 243), qui vix esse poterat, si Ol. CX, 2 ante Dionysia munus suscepisset, per annum administrandum.

erat scriba ex illo decreto Demosthenis de creandis moenium curatoribus, ex quo ipse Scirophorione mense a tribu sua electus est *τειχοποιός*. Ut tamen continuo intelligant iudices, factum hoc esse praecedentis anni ultimo mense et uno solummodo ante Chaerondam eum, quem modo audiverant, ipse Aeschines ante scribam tempus definit, et ex eodem quidem Chaeronda, quo certius Ctesiphontis culpa liqueat, si omnia tempora ad unum sint relata archontem: Scirophorione ante Chaerondam factus est Demosthenes *τειχοποιός*, Chaeronda archonte Hecatombaeone mense theorici quaestor creatus, Pyanepsione XXII legem rogavit Ctesiphon de coronando Demosthene, ergo *ὑπεύθυνον* coronandum eum proposuit. Atque sententia nostra stabit, etiamsi Demosthenem archonte Chaeronda theorici quaestorem creatum minus concesseris. Poterat enim Aeschines etiam solum suscepti *τειχοποιοῦ* muneris tempus ex Chaeronda definire, quippe quod munus illud uno solummodo mense ante Chaerondam susceptum sit, sub quo Pyanepsione mense lata est lex Ctesiphontis.

Itaque quum haec etiam summa difficultas levissima medela superioribus nostris calculis cedat, ne illa quidem Aeschinis verba: *ἀπηνέχθη ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφή, ἣν — ὑπὲρ τῆς εἰς Ἀλέξανδρον ἐνδείξεώς με φῂς ἀπενεγκεῖν, ἔτι Φιλίππου ζῶντος, πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι*, ad pervertendam nostram de institutae actionis tempore opinionem quidquam valere possunt. Nempe instituta actio est vivo quidem adhuc Philippo, sed ad iudices deducta demum est Olymp. CXII, 3, Alexandro iam Asiam tenente (v. sqq.). Tum temporis igitur obiicere Aeschini Demosthenes poterat, quod studii in Alexandrum ostentandi causa actionem ageret. At Aeschines, quo magis explodere adversarium possit, studii in Alexandrum ostentandi gratia institutam etiam eum dixisse insimulat. Opprobrio autem calumnia ita

detorto non opus erat institutae actionis tempus accurate definitum opponere; et *ἀπηνέχθη ἡ γραφὴ ἔτι ζῶντος Φιλίππου* respondet Aeschines, quo melius carpere etiam sequentibus Demosthenem possit: *οὔπω σου τὸ περὶ Πανσανίαν ἐνύπνιον ἑωρακότος, οὔτε πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὴν Ἥραν νύκτωρ διειλεγμένου.* Eodem loco paulo post sequentibus excusat quidem Aeschines sese, quod tempestivo tempore accusare Demosthenem eiusque poenam persequi diutius intermiserit. Sed quae dicit, ea ad superiores calculos nostros optime congruunt, quin etiam eos confirmant. Ante pugnam Chaeronensem, ait, resistere et melioribus consiliis rem publicam adiuvare tentantem me repressenrunt Demosthenis, qui tum populi favorem occupaverat, calumniae; postquam consecuta erat clades, continuo persequi te sane me oportuisset; sed legatione tum pro salute civitatis occupato otium deficiebat ad poenam a te repetendam; tu vero ne hoc quidem contentus fuisti, quod supplicium effugeras; quapropter quum etiam gratiarum actionem a populo desiderare es ausus, tum exstiti et litem intendi: *τῆς μάχης ἐπιγενομένης οὐκ ἐσχολάζομεν περὶ τὴν σὴν εἶναι τιμωρίαν, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως ἐπρεσβεύομεν· ἐπειδὴ δ' οὐκ ἀπέχρη σοι δίκην μὴ δεδωκέναι, ἀλλὰ καὶ δωρεὰς αἰτεῖς — ἐνταῦθ' ἐνέστην καὶ τὴν γραφὴν ἀπήνεγκα* (p. 86 init.). His certe nihil inest, quod sententiae nostrae de tempore institutae actionis repugnet. Nam causa instituta est octavo demum post cladem Chaeronensem mense; legatio autem, quam tangit Aeschines, una est et ea quidem, quam continuo post pugnam pacis causa ad Philippum, in Boeotia versantem, obibat; pacem autem brevi post cladem conciliatam supra monstravimus.

Verum actio Olymp. CX, 3 Elaphebolione instituta (iam enim ad alteram disputationis huius partem convertimur) per octo annos pendebat, donec de-

ducta in iudicium est. Actum enim de corona certamen esse Olymp. demum CXII, 3, archonte Aristophonte, quum Alexander ad Arbela victor universam iam fere Asiam teneret, praeter Dionysium Hal. ep. ad Amm. §. 12. et Plutarchum in Demosth. c. 24, gravissimus testis fert Theophrastus in Char. VII. *π. λαλιᾶς.* At ne opus quidem est aliorum testimoniis in re per ipsam Aeschinis in Ctes. orationem certissime confirmata. Etenim Aeschines in ea (p. 77) Alexandri, imperio nuperrime suscepto, in Asiam profectionem commemorat, eiusque cum Dario in Cilicia certamen tangit, denique de recentissimis rebus (*ὑπὲρ τῶν νυνὶ καθεστηκότων*) loquitur, ibique *Ἀλέξανδρος,* ait, *ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει,* quo tempore Lacedaemonii cum aliis Peloponnesi civitatibus Agide duce bellum adversus Macedones moverint, id quod ab Antipatro in ipso ortu oppressum Diodorus (XVII, 62 sq. et 73) copiosius refert sub Olymp. CXII, 3. Eiusdem orationis p. 72 med. de Dario haec ait: *ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεὺς — νῦν οὐ περὶ τοῦ κύριος εἶναι ἑτέρων διαγωνίζεται, ἀλλ' ἤδη περὶ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας.* Illa de Alexandro et haec de Dario ad ea manifesto spectant, quae victoriam ad Arbela continuo subsecuta sunt, nempe ad fugam Darii Alexandrique illum persequentis profectionem, qua remotiores Asiae regiones, Babylonem, Persiam et Mediam petiit, unde ad Parthos usque mareque Caspium progressus erat, dum Darius a Besso proditus et caesus interiit. Pugna ad Arbela accidit Olymp. CXII, 2 mense Pyanepsione (Arrian. exped. Alex. III. 15), eamque subsecuta est caedes Darii Olymp. CXII, 3 Hecatombaeone (Arr. l. c. III. 22). Post eam Alexandro Mardis domitis in castra reverso traditos in custodiam esse Lacedaemoniorum legatos Arrianus refert (l. c. III. p. 220 Blancard.), qui missi ad Darium fuissent, nimirum

ut belli adversus Macedones ei communionem offerrent (cf. Diod. l. c.); post Darii mortem Iustinus quoque (XII, 1) Alexandro, in Parthis versanti, Antipatri epistolas allatas narrat, quibus bellum Agidis regis Spartanorum nunciatum sit. Quam ob rem bellum hoc motum esse verisimile est, id quod Diodorus etiam diserte dicit, post victoriam ad Arbela exeunte Olymp. CXII, 2, defectoribus Alexandri in remotissimas Asiae regiones profectionem tum consecutam consiliis suis egregie favere existimantibus. De hoc bello autem Aeschines: *Λακεδαιμόνιοι μὲν καὶ το ξενικὸν ἐπέτυχον μάχῃ, καὶ διέφθειραν τοὺς περὶ Κόῤῥαγον στρατιώτας· Ἠλεῖοι δ' αὐτοῖς συμμετεβάλλοντο καὶ Ἀχαιοὶ πάντες πλὴν Πελληναίων καὶ Ἀρκαδία πᾶσα πλὴν Μεγάλης πόλεως· αὕτη δ' ἐπολιορκεῖτο, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπίδοξος ἦν ἁλῶναι· ὁ δ' Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει, ὁ δ' Ἀντίπατρος πολὺν χρόνον συνῆγε στρατόπεδον, τὸ δ' ἐσόμενον ἄδηλον ἦν* (or. in Ctes. p. 77). Itaque sub medium fere annum Olymp. CXII, 3, nimirum finiente aestate, consentaneum est fractas ab Antipatro Lacedaemoniorum vires esse acri proelio illo, in quo Agis gloriosam mortem occubuit (Diodor. XVII, 62. Curt. VI, 1, 16 sqq. Iustin. XII, 1). Hoc facto convocatae Corinthum sunt Graeciae civitates, a Lacedaemoniis obsides quinquaginta Antipatro dati legatique in Asiam ad Alexandrum missi, qui regis clementiam implorarent. Diod. XVII, 73. Curt. VI, 1, 20. Et ipsum etiam hunc belli eventum Aeschines his verbis commemorat: *Λακεδαιμόνιοι δ' οἱ ταλαίπωροι — νῦν ὁμηρεύσοντες καὶ τῆς συμφορᾶς ἐπίδειξιν ποιησόμενοι μέλλουσιν ὡς Ἀλέξανδρον ἀναπέμπεσθαι, τοῦτο πεισόμενοι καὶ αὐτοὶ καὶ ἡ πατρίς, ὅ τι ἂν ἐκείνῳ δόξῃ:* in Ctes. p. 72. Quae quum ita sint, altera parte anni Olymp. CXII tertii probabile est actum de corona certamen esse. Et excussa haec a me accuratius sunt, quo certius con-

stent sequentia. Nam anno quidem tertio orationes habitas esse, clarissime docent Aeschinis verba: *ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίγνεσθαι καὶ τὸ συνέδριον το τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι* (in Ctes. p. 89 extr.). Pythia vero anno Olympiadum tertio quoque acta esse, ita demonstravit Corsinus (dissert. agon. p. 26 sqq. et F. A. T. II. p. 437 sqq.), ut qui ea de re etiam nunc dubitet, nemo sit. At quod praeterea ex Thucyd. V. 1 coll. IV. 118 contendit Corsinus, mense ea verno Munychione incipiente acta esse, id recentissime impugnavit Clintonus (in Fast. Hell. p. 119 sqq.), Pythiaque non vere, sed auctumno acta acute conatus est demonstrare. Eiusque ex argumentis unum gravissimumque ex ipsa Aeschinis in Ctesiphontem oratione petitum est. Etenim Olymp. CXII, 3 Hecatombaeone Darius necatus est, de quo Aeschines p. 72 med. ut vivo loquitur; itaque eius mors nondum comperta Athenis fuit, quum causa de corona agebatur; unde Pythia, quae paucis diebus celebratum iri Aeschines dicit, non vere acta patet, octo mensibus post caedem Darii, sed auctumno, eoque etiam, hoc est mense Pyanepsione vel Maemacterione, ut voluit Palmerius quoque (in Exercitt. ad Aesch.), orationes de corona habitas esse. Sed Boeckhius, qui nuper Corsini de Pythiorum tempore opinionem copiose defendit (in Corp. Inscr. Gr. Inscr. Phoc. p. 812 a. sqq.) iure Clintoni et illi et reliquis argumentis opponit Thucydidem, qui de induciis Olymp. LXXXIX, 1 Elaphebolione XIV in unum annum pactis (v. Thuc. IV. 118) l. V. 1 *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους* (Ol. LXXXIX, 2), ait, *αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων*, quae verba nullo modo hoc possunt significare, quod Clintonus vult: induciae per aestatem dissolutae erant usque ad Pythia, hoc est non per totam aestatem, sed ad auctumnum usque Olymp. LXXXIX, 3, quo Pythia agenda essent.

Nam induciae renovatae sunt demum Ol. LXXXIX, 3 Elaphebolione XXV (v. Thuc. V, 19), incipiente vere. Et dissolutis vere Olymp. LXXXIX, 2 induciis bellum per totam insequentem aestatem gestum est in Thracia, eaque finiente pugna ad Amphipolin accidit (V. 12); insequentique hieme Spartana subsidia duce Rhamphia progressa sunt ad Pierium in Thessalia, sed Thessalis impedientibus domum reducta. Quo facto inimicitiae quidem intermissae sunt (V. 14), et de pace concilianda actum est per reliquam hiemis partem, sed *πρὸς τὸ ἔαρ παρασκευή τε προεπανεσείσθη ἀπὸ τῶν Λακεδαιμονίων, — ὅπως οἱ Ἀθηναῖοι μᾶλλον ἐςακούοιεν* (V. 17). Tum demum conciliata est pax in annos quinquaginta Olymp. LXXXIX, 3 Elaphebol. XXV. De renovatis autem interea induciis pacis paciscendae causa nihil Thucydides scribit, neque, quod omnino exspectares, hoc memorat, finiente aestate Pythias inducias inimicitiis finem imposuisse, ut inde de pace concilianda cogitatum sit. Quam ob rem Thucydidis illa *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων* aut ita solummodo interpretanda sunt: incipiente aestate Ol. LXXXIX, 2 induciae finitae sunt non ipso Elaphebolione XIV, sed Pythiis, brevi post actis, aut quod rectius propter Pythiorum annum Boeckhius censet: annuae induciae, quum incipiente aestate Ol. LXXXIX, 2 finitae essent, dissolutae erant usque ad Pythia Ol. LXXXIX, 3, hoc est ad Elaphebolionem XXV, quo novae induciae in annos quinquaginta pactae sunt. Utut statues, Pythia verno tempore acta et aut extremis Elaphebolionis diebus, aut Munychionis primis, probant aperta Thucydidis verba. Unde orationes de corona Elaphebolione ineunte aut praecedenti Anthesterione habitas patet paucis ante Pythia diebus, paucis item ante Dionysia urbana. Et per se quidem verisimile est, certamen brevi ante

Dionysia actum esse, quibus coronandus Demosthenes erat; et sane spectacula aliaque solemnia Dionysiis in theatro peragenda ita memorat Aeschines p. 75, ac si ea proxime instarent: *τίς γὰρ οὐκ ἂν ἀλγήσειεν ἄνθρωπος Ἕλλην ἢ καὶ παιδευθεὶς ἐλευθερίως, ἀναμνησθεὶς ἐν τῷ θεάτρῳ ἐκεῖνό γε, εἰ μηδὲν ἕτερον, ὅτι ταύτῃ ποτὲ τῇ ἡμέρᾳ μελλόντων, ὥςπερ νυνί, τῶν τραγῳδῶν γίγνεσθαι* sqq. Accedit denique, quod magnam Graecorum multitudinem adesse certamini Aeschines dicit (*ὁρῶ δ' οὐκ ὀλίγους [Ἕλληνας] παρόντας, ἀλλ' ὅσους οὐδεὶς πώποτε μέμνηται πρὸς ἀγῶνα δημόσιον παραγενομένους* p. 61 extr.), quos quidem non sola causa de corona, sed certamina etiam Dionysiaca Athenas congregasse probabile est. Quae quum ita sint, si de Dario, ante septem menses secundum Arrianum occiso, ut de vivo adhuc loquitur Aeschines, id quocumque modo explicetur, necesse est. Et acute quidem Boeckhius l. c. „speciosum tantum esse, ait, quod vivus repraesentetur Darius: prioribus temporibus recentia opponere Aeschinem: *οὐχ ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας καὶ τὸν Ἑλλήσποντον ζεύξας, ὁ γῆν καὶ ὕδωρ τοὺς Ἕλληνας αἰτῶν, ὁ τολμῶν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς γράφειν, ὅτι δεσπότης ἐστὶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος μέχρι δυομένου, νῦν οὐ περὶ τοῦ κύριος ἑτέρων εἶναι διαγωνίζεται, ἀλλ' ἤδη περὶ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας;* at recens acta tempore praesenti extulisse; *ἀγωνίζεται*, non ut adhuc vivum Darium repraesentaret, sed ut nuperrime acta antiquis opponeret: „„„olim Persa de imperio universorum contendebat, nunc contendit de eo, vivat an moriatur.““ Hoc etiam noto Darii obitu dici potuisse, immo si nota iam Darii nex fuerit, multo graviorem sententiam esse, qua rem tristissimam nuper compertam proponat Atheniensium animis et miseretur verbis lenibus.“ Haec Boeckhius, quae tamen persuadere mihi equidem difficilius possum, quum non intelligam, cur

prorsus occultanda Aeschini veritas fuerit. Et poterat nil inflexa veritate Aeschines et gravem sententiam et lenibus verbis pronunciare, si diceret: *ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς — νῦν οὐ περὶ τοῦ κύριος ἑτέρων εἶναι διαγωνίζεται, ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας.* Atque hoc dixisse eum utique contenderim, nisi Arrianum in designando ex Atticis fastis tempore mortui Darii falsum negligentioremve fuisse concesseris, aut mortem Darii nondum certo compertam Athenis fuisse, ut Aeschines publice certum pro incerto proferre maluerit. Nam Aeschinis verba: *ὁ δ' Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει* non mihi necessario ad Scythicam Alexandri expeditionem referenda videntur, quae sane demum post obitum Darii suscepta est, sed possunt etiam ad Alexandrum circa Caspium mare Parthianamque versantem spectare, quo post victoriam ad Arbela et iam ante Darii mortem processerat.

Quod utut est, Aeschinis Demosthenisque de corona orationes Olymp. CXII, 3 paulo ante Dionysia Pythiaque habitae sunt, Anthesterione extremo aut ineunte Elaphebolione, eodem igitur tempore, quo octo annis ante Aeschines Ctesiphontis accusationem ad archontem detulerat. Neque quidquam adhuc quaerendum restat, quam de diuturna illa litis intermissione. Quae explicari quidem quodammodo eo primum potest, quod causa tam insignis haud leves apparatus desiderarit, donec deferri ad iudices posset. Gravior tamen in temporibus quaerenda est, quae institutam eam continuo subsecuta sunt. Postulavit Ctesiphontem Aeschines exeunte anno Olymp. CX, 3. Eo tempore , aut insequentis certe anni initio convocatae sunt Corinthum a Philippo Graeciae civitates ad bellum adversus Persas decernendum. Diod. S. XVI. 89. Olymp. CXI, 1 subsecutus est obitus Philippi, Alexandrique in regno successio, inde

Thebanorum a Macedonibus defectio et interitus, Athenarum item rebellantium tremor ac periculum, redintegrata cum Alexandro pax, denique Alexandri in Asiam transgressio, inquieta sane ac turbulenta tempora, in quibus verisimile est, Aeschinem ac Demosthenem legationibus pro re publica susceptis saepius Athenis abfuisse. Demostheni certe novimus Thebis dirutis legationem esse ad Alexandrum mandatam. Aesch. in Ctes. p. 76. Plut. Demosth. c. 23. Sed gravissima diuturnae illius intermissionis causa in ipsius actionis materia et conditione quaerenda videtur. Erat enim actio publica et ea, in qua, quum Aeschines in universam Demosthenis rei publicae gubernationem accusatione sua esset invectus, id agebatur, ut quae res publica adversus Macedones cepisset consilia, quum ea a Demosthene potissimum essent profecta, aut eo damnato iniuria notarentur, aut comprobarentur absoluto. Illud agens adversarius causam eo tempore insidiose instituit, quo Atheniensium et acceptas calamitates deplorantium, et de pace turpi indignatorum iram odiumque in Demosthenem, recentissimae rerum miserabilis conditionis auctorem, facillime moveri posse sperabat. At in hoc morem gerere adversarii malevolentiae vetabat et ambitio publica, licet infortuniis fracta, et iusta viri de re publica egregie meriti aestimatio, quae ipsis calamitatibus nequaquam deminuta est, quin ortis post mortem Philippi novis motibus adeo creverat, ut quum Thebis dirutis pro pace Atheniensibus concedenda ab Alexandro exposceretur (quod ipse Demosthenes tangit de cor. p. 239), prodere eum turpe ingratumque sit a civitate iudicatum. V. Aesch. in Ctes. p. 76 extr. Diodor. XVII. 15. Plut. Demosth. 23. Phoc. 17. Pseudo-Plut. in Demosth. p. 266 ed. H. Item vero absolvere Demosthenem collaudareque vetabat metus primum Philippi victoris, tum Alexandri, cuius ma-

xime iram moverant Athenienses tentata Olymp. CXI, 1 defectione, suspicionem igitur excitare timuerint, si Demosthenes, gravissimus Macedonum osor, publice ob res a se contra Macedones actas coronaretur. Dilata ergo tam diu causa videtur esse, donec temporis decursu maior ori iudicioque libertas reddita esset. Ad quod maxime sane opportunum tempus venit Olymp. CXII, 3, quum a Lacedaemoniis et plerisque civitatibus Peloponnesiacis tentata defectio est ea, cuius tristem eventum supra memoravimus. Quorum motuum quum nullam Athenienses cum Lacedaemoniis communionem fecissent (Diodor. XVI, 62), conciliatis ita sibi magis Macedonum animis, minus iam metuendum esse crediderint, si coronandus Demosthenes iudicaretur, quum praesertim ipse Demosthenes moderationis recentissimae auctor sit Atheniensibus factus. Quod ipsum Aeschines in crimen Demostheni vertens (in Ctes. p. 77), eum ut doceat Alexandri sibi turpiter gratiam conciliasse, nihilominus (p. 90) iudices monet, ut tempestatis meminerint, qua sibi sententia sit ferenda: *ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίγνεσθαι, καὶ τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι. διαβέβληται δ' ἡμῶν ἡ πόλις ἐκ τῶν Δημοσθένους πολιτευμάτων περὶ τοὺς νῦν καιρούς· δόξετε δ' ἐὰν μὲν τοῦτον στεφανώσητε, ὁμογνώμονες εἶναι τοῖς παραβαίνουσι τὴν κοινὴν εἰρήνην, ἐὰν δὲ τοὐναντίον τούτου πράξητε, ἀπολύσετε τὸν δῆμον τῶν αἰτιῶν.*

Epilogus.

in quo monumentorum publicorum, quae orationi de corona inserta sunt, universa ratio conditioque exploratur, archontes, quos praeferunt, pseudeponymi, quid sibi velint, inquiritur, simul quae aut ambigue aut minus feliciter supra disputavimus retractantur, in primis ea, quae de duobus Calliae decretis (de cor. p. 265), deque Demosthenis decreto (p. 235), item de Callisthenis (p. 238), denique de pseudeponymo Nicia in testimonio, quod exstat or. de cor. p. 273, in superioribus visa nobis sunt et statuta.

In libri huius prooemio, exploratis rerum gestarum temporibus acturum esse me dixi de archontibus iis, qui, quod eponymorum, ex quibus designari apud Athenienses anni solebant, speciem prae se ferant, a fastorum tamen eponymis prorsus dissentiant, nomine a Corsino invento pseudeponymi vulgo vocantur. Eiusmodi enim archontes, uno excepto, quem Aeschinis accusatio praefert, omnes eos esse deprehendimus, qui tabulis publicis, orationi de corona insertis, praescripti sunt, perinde ac si re vera annis designandis inserviant. Atque in his potissimum ex oratione nostra petitis versatur quaestio de pseudeponymis universis, quos ad annorum seriem collegit exploravitque Corsinus (F. A. diss. VIII), quippe qui et plerique inter eos sint, et gravissimi ea de causa videantur, quod sint actis publicis confirmati. Eaque quaestio aegerrime plerosque viros doctos torquebat, et prout quisque de archontum illorum aetate statuebat, alii in aliam de iis opinionem trahebantur. Erant igitur, qui eos senatus epistatas opinarentur, qui thesmothetas regesve aut polemarchos, denique qui eponymorum suffectos. Quarum opinionum quum mihi nulla satis videretur probabilis, de universis pseudeponymis

accuratius ipse quaerere coepi. Ipsi vero mihi inter varias coniecturas dubitationesque fluctuanti occurrit Boeckhius, insignique sua erga me benevolentia suam misit de archontibus pseudeponymis commentationem, supra iam grato a me animo commemoratam. In qua arduam illam quaestionem ita sane solutam reperi, ut in summa certe Boeckhianae opinionis acquiescendum mihi omnino videatur.

Quam ob rem desistendum hic iam nobis a proposito nostro, et finis esset operi imponendus, nisi quaestio de archontibus pseudeponymis in Demosthenis oratione de cor. pars solummodo amplioris cuiusdam esset argumenti, cuius accuratiorem pervestigationem utique exigit ratio, quam secuti supra sumus in explorandis rebus rerumque temporibus. Nam quod in maxima commentariorum nostrorum parte monumentorum, quae orationi de corona inserta sunt, auctoritatem secuti sumus, id certe fecimus, quod fidem eorum ratam esse nec addubitandam censuimus. Sed opinio haec adhuc aliqua ex parte demonstrationem desiderat. Nam in monumentis illis mirum se hoc primum offert, quod solummodo ad mediam usque orationem inveniuntur, in reliqua parte omissa sunt; tum quod, una excepta Aeschinis accusatione, quotquot eorum decreta sunt populi et senatus, ea archontes illos praeferunt pseudeponymos; deinde quod in decretis duobus primis menses et dies certe falsos esse docuimus, in eisdem alia quoque deprehendimus, quae etiam rerum verae conditioni repugnent, denique quod aliae etiam resident difficultates, quibus excutiendis supra minus commodus locus videbatur. Quae omnia sane eiusmodi sunt, ut nisi ad monumentorum horum auctoritatem et fidem omnino evertendam valeant, multas tamen offerant dubitationes, quas removendi omnino nobis faciendum periculum restat. Illustranda igitur adhuc est universa monu-

mentorum horum ratio conditioque. Id quod hoc loco persequemur, initio ab retractandis iis facto quae in superioribus minus feliciter explorasse solvisseque nobis nunc persuasum habemus, Boeckhii praesertim iudicio monituque ad meliora revocati. Scilicet Boeckhius in explorandis archontum annis magnam eorum etiam partem tetigit, quae nos in commentariis nostris tractavimus, devitata tamen, ut ipse ait, uberiore omni de rebus gestis disputatiône, quae ex instituti nostri ratione persequenda nobis erat. Atque in ea operis nostri parte, quae communem cum Boeckhiana Commentatione materiam habet, laetati summopere sumus, cum Boeckhianis calculis nostros in plerisque consentire. Duo tamen, eaque haud parvi momenti, reperimus, de quibus diversam a Boeckhio sententiam protulimus, falsam quidem, ut nunc intelligimus, sed quae emendari ante non poterat, quod, ut supra monitum est, octava iam commentariorum nostrorum plagula prelo subiiciebatur, quum Boeckhii scriptionem accepi.

Itaque redeundum primum est ad pseudeponymum Demonicum in decreto Calliae or. de cor. p. 265, de quo Boeckhius (l. c. p. 7) ita disputavit: „corona decernitur Nausicli, quod quum Atheniensibus in Imbro colonis opem ferrent Attici praesidiarii, his sit stipendia largitus; eodem tempore, eodem fortasse die, auctore eodem Callia, Charidemum et Diotimum, qui Salamine [quam non Cypri, sed Atticae vicinam intelligi sponte pateat] copiis praefuerant, placuit coronari, quorum coronae non tantum in Dionysiis, sed etiam in Magnis Panathenaeis dicuntur renunciandae esse. Magna vero Panathenaea anno Olympiadum tertio quoque, mense Hecatombaeone acta sunt: quae quum horum decretorum tempus proxime videantur secuta esse, Demonicus secundo anno tribuendus erit. Nec reppereris commodius

tempus, quam Ol. CVI, 2. Nam Ol. CVI, 1 Chii, Rhodii, Byzantii vastarunt Lemnum, Imbrum, alias insulas (Diod. XVI, 21); mox Athenienses de Lemno, Imbro, Scyro solliciti ob Philippum fuerunt, paulo ante quam in Euboeam et Olynthum expediebant (or. c. Neaer. p. 1346), quod factum est Ol. CVI, 3/4, et tum fere Philippus e Lemno et Imbro captos Athenienses abduxit, Geraestum petiit, Marathonem invasit (Philipp. I. p. 49); itaque Ol CVI, 2 probabile est Atticos praesidiarios fuisse in Imbro et Salamine; tum floruisse Charidemum aliunde certum est. Quare Demonicum referimus in Ol. CVI, 2 archonte Callistrato, in prytaniam tertiam." — Idem Demonicus nobis supra (p. 55 sqq.) ad Ol. CVII, 3 referendus visus est ob pugnam praesertim Salaminiam, in altero decreto commemoratam, quam ad Cypri Salaminem commissam coniecimus. Verum sententia haec qua difficultate laboret, ipse et tum sensi, quum illa vix a me scripta erant, et magis postea intellexi, quum mihi Boeckhius cur de Salamine Cypri sibi non videatur esse cogitandum, clarius per litteras significaverat. Qua de causa sagacius rem explorare coepi, explorataque denuo, nunc novas rationes meas sic, ut ab ipso Boeckhio, quocum eas communicaveram, maximam partem comprobatae sunt, hic exponere liceat.

Itaque, quod supra monstravimus, decretum utrumque ad Demostheneam aetatem pertinet ob Nausiclem et Charidemum, imperatores Demostheneae aetatis notissimos. Utrumque praeterea eodem die latum est, quod utriusque idem est auctor Callias, et tempus nonnisi in priori indicatum est, in altero omnino omissum.*) In posteriori decreto corona decernitur

*) Ad diversum quidem tempus referenda contenderis,

Magnis Panathenaeis et Dionysiis (urbanis) praedicanda. Dionysia cuiusque anni Elaphebolione, Panathenaea Magna anno quoque Olympiadum tertio mense Hecatombaeone agebantur. Unde decretum utrumque ad Boedromionem secundi anni Olympici esse referendum patet. Iam vero in priori decreto corona decernitur Nausicli, τῷ ἐπὶ τῶν ὅπλων, quod, quum Atheniensium bis mille hoplitae in Imbro essent, ferrentque auxilium Atheniensibus insulae huius colonis, his sit de proprio stipendia largitus; in posteriori Charidemo et Diotimo, quod in expeditione Salaminem missa, quum nonnulli milites in pugna ad fluvium spoliati ab hostibus essent, suis sumptibus iuvenes octingentis clypeis instruxerint. Haec expeditio Salaminia, quum decreta eodem mense et die lata sint, brevi temporis spatio post illam in Imbrum acciderit necesse est, anno tamen diverso, quod alteri Nausicles, ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων, praefuit, alteri Charidemus, item ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγός.

Itaque quaestio iam redit ad expeditiones illas in Imbrum et Salaminem. Imbrum Demosthenea aetate una cum Lemno aliisque illius regionis insulis bis devastatam novimus, Ol. CVI, 1 a sociis rebellibus secundum Diodor. XVI, 21, deinde Ol. CVI, 3/4 a Philippo secundum Demosth. Phil. I. p. 49. V. supra I, 9, p. 59. In Salaminia expeditione ambiguum est, Salamis Atticane intelligatur an Cypria. Atticam Salaminem aetate Demosthenea impugnatam esse qui

---

quod illud latum sit γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου, hoc πρυνάνεων λεγόντων βουλῆς γνώμῃ. Sed formulis his, explicatu sane difficilioribus, nil significatur, nisi decreta ab uno quidem eodemque homine esse conscripta, quae tamen lata sint ratione diversa, id quod nihil obstat, quominus utrumque simul latum statuamus. V. quae paulo inferius de formulis illis disputabimus.

referat, nemo est. Philippi certe in eam impetum statui non posse, supra monuimus (p. 63). Contra expeditionem Atheniensium in Cypri urbem Salaminem, Ol. CVII, 2 susceptam, ut statueremus, adduxit nos Diodorus XVI, 42 et 46. Etenim Ol. CVII, 2 Cyprus ab Artaxerxe defecit. A quo Idrieus, Cariae dynasta, insulam iussus in Persarum potestatem redigere, classem contra defectores misit ducibus Evagora et Phocione Atheniensi, qui urbem praesertim Salaminem, diu obsessam, insequenti anno, Ol. CVII, 3 expugnarunt. Eo ipso tempore Artaxerxes bello Aegyptiaco occupatus auxilium a Graecis petebat. Quapropter, et quod Phocion classi Persarum ad Salaminem praefectus fuerit, illa quoque alterius decreti Salaminia expeditio ad annum Ol. CVII, 2 probabiliter nobis referenda videbatur, ac si ea esset Persis auxilio missa; ex eaque reversum Charidemum et Diotimum Ol. CVII, 3 Boedromione relatis rationibus coronatos censuimus, una cum Nausicle, qui Ol. quidem CVI, 4 in Imbrum missus, ibique de re publica bene meritus sit, cuius tamen coronationem quacumque de causa per duos annos dilatam esse opinabamur.

Sed huic sententiae nunc sane Boeckhii monitu gravissima obstare argumenta sentimus.

Etenim omnino non verisimile est, Ol. CVII, 2 Athenienses Persis misisse auxilia, quod Diodorus Athenienses atque Lacedaemonios, quum ab Artaxerxe ad belli contra Aegyptios societatem invitati essent, recusasse eam refert: *τὴν φιλίαν ἔφασαν τὴν πρὸς τοὺς Πέρσας τηρεῖν, συμμαχίαν δὲ ἀποστέλλειν ἀντεῖπον* (XVI, 44). Foedus igitur Athenienses subsidiaque recusarunt, nimirum quod eodem tempore occupati ipsi satis erant bello adversus Philippum, qui Ol. CVII, 1 Thraciam ingressus Chersoneso et illo et insequenti anno imminebat. V. s. p. 196 et quae infra de Cha-

ridemo disputabimus. Quam ob rem ne Phocion quidem cum Atheniensium subsidiis Persicae adversus Salaminem expeditioni interfuisse, sed solus propter imperatoriam gloriam invitatus classique praefectus videtur et mercenariis, fortasse Graecis, quos conduxerat Idrieus secundum Diodor. l. c.

Verum concedatur licet, missa adversus Salaminem Cypriam Atheniensium etiam subsidia esse; ea certe expeditio, quae posteriori decreto commemoratur, cum illis conferri minime potest. Tum enim decreta referenda essent ad Boedromionem Ol. CVII, 3. Quibus quantum et Panathenaea Magna repugnent et Nausiclis in Imbrum expeditio, ex antecedentibus liquet.

Porro qui Salaminem audiebat, non poterat non de vicina insula cogitare. Si igitur expeditio adversus Cypri Salaminem significanda fuisset, additum exspectares *εἰς Σαλαμῖνα Κύπρον.* *) Neque verisimile est, pugnam, quae in obsidenda urbe Cypria commissa fuisset, ex parvulo illo fluvio, qui Salaminem praeterfluebat (v. supra p. 64), nominari potuisse. Immo quum *ὁ ποταμός*, omisso nomine, nonnisi notum flumen vocari potuerit, *τὴν ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ μάχην* ad vicinum locum omnino esse referendum patet. Quod sane non quadrat nisi ad fluvium Bocaliam, qui Salaminem Atticam interfluebat (v. supra p. 63). Ita ex duabus pugnis, quae cladem Chaeronensem praecesserant Ol. CX, 3 in., altera *ἐπὶ ποταμοῦ* vocatur (de cor. p. 300), quod ad fines Boeotiae

---

*) Dixeris etiam *ἐπὶ Σαλ.*, quippe non Salaminem sed adversus Salaminem; sed occurrunt etiam *ἐπιδόσεις εἰς Ὄλυνθον* ap. Dem. Mid. p. 566, ubi largitiones ad expeditionem adversus Olynthum suscipiendam intelligi sponte patet. Sic etiam: *Πελοποννήσιοι ἐστράτευσαν ἐς τὴν Ἀττικήν* ap. Thuc. III, 1.

commissa est et ad notum flumen Cephissum (v. cap. V.).

Denique ad Salaminem Atticam pugnam hanc omnino referendam esse, rei etiam gestae ratio clarissime docet, quae in decreto indicata est. Charidemus enim, ὁ ἐπὶ τ. ὅπλων, in Salaminem mittitur, non comitante, ut suspicor, Diotimo, τῷ ἐπὶ τ. ἱππέων· dicitur enim: *Χαρίδημος — ἀποσταλεὶς εἰς Σαλαμῖνα, καὶ Διότιμος — καθώπλισαν*, non *Χαρίδημος καὶ Διότιμος ἀποσταλέντες εἰς Σαλ. καθώπλισαν.* Ibi pugna committitur ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, in qua milites nonnulli (τινές) caesi ab hostibus spoliantur. Quo facto Charidemus et Diotimus suis sumptibus octingentos iuvenes clypeis instruunt. Cur iuvenes (νεανίσκους) et octingentos quidem, quum pauci modo milites (στρατιῶται) spoliati sint? Nimirum Charidemus cum paucis modo militibus, h. e. hoplitis, in Salaminem advenerat, qui, quum hostis superior esset, caesi sunt in pugna ad fluvium commissa et spoliati. Ad depellendum igitur hostem opus erat, ut maiora subsidia quam possent celerrime compararentur. Eaque, deficientibus, ut inde coniicias, hoplitis et alibi occupatis, compararunt Charidemus et Diotimus armatis octingentis iuvenibus. Iuvenesque aut Salaminii sunt, aut ipsis Athenis acciti; posterius veri videtur similius, si Diotimus expeditioni non interfuerit.*) Quae omnia multum profecto abest, ut possint ad Cypriam

---

*) Illud Boeckhius censet, dubitanti mihi, num ex Salamine, nullius fere magnitudinis insula, octingenti iuvenes in arma vocari potuerint, respondens: Salaminem 5/8 supra quadratum milliarium circuitu patere, itaque Atticae partem esse circiter vicesimam sextam, in qua urbe rurique multos habitasse Athenienses verisimile sit, eosque maximam partem, qui ipsi demo Salamini accensi fuerint, etiam tamen ex aliis demis multos, ut ex demo

Salaminem referri. Neque enim Cypria iuventus ab Atheniensi imperatore armari, neque Atheniensis iuventus Cyprum acciri celeris auxilii causa poterat, neque haec Persarum gratia fieri, nec denique propterea Charidemus et Diotimus coronari potuerint. Diotimus porro si expeditioni ipse interfuisset, equites missos ab Atheniensibus statuendum esset Persis, qui ipsi equitatu satis superque abundabant; si non, neque quidquam commodi suppeditare Charidemo, in Cypro versanti, Athenis poterat, quippe quod absonum sit, Charidemum ad repentinam hostis impressionem depellendam in Cyprum accisse Atheniensium iuventutem.

Quam ob rem omni ex parte redeundum patet ad Salaminem insulam, Atticae vicinam, atque ex iis, quae modo exposita sunt, hoc etiam liquet, magnam tum militiae partem domo abfuisse, ut facta ex improviso in insulam impressione, pauci modo qui restitissent succurrere possent; quibus ab hoste superiore facile caesis spoliatisque, imperator iuvenes armare cogeretur. Unde iam coniici etiam facile potest, quinam hostis et qua opportunitate Salaminem ausus sit impugnare. Nam de Philippi impetu, tacente Demosthene, cogitari nequaquam posse, supra monuimus. At Megarenses et Corinthios Ol. CVII—VIII, hostes Atheniensium fuisse quibuscum interdum etiam Atheniensibus dimicandum fuerit, supra commemoravimus (p. 64) ex Dem. Olynth. III. p. 34.

Leuconoe secundum Corp. Inscr. Gr. p. 150, 151, nec non Piraeenses aliosque qui casu inveniantur l. c. Class. XI. Opponit praeterea Boeckhius demum Acharnas, ex quo in bello Peloponnesiaco tria hoplitarum millia instructa sint teste Thucydide II, 20. Verum Acharnas *μέγα μέρος τῆς πόλεως* Thucydides vocat.

Megarenses hostes etiam tum Atheniensium erant, aut certe ad hostilia magis quam ad amicitiam proclives, sicuti Thebani et Euboeenses, quum Demosthenes ad rei publicae administrationem adspirabat, secundum or. de cor. p. 306, hoc est Ol. CVI ineunte, quo tempore bellum exarserat cum Philippo Amphipolitanum, certandumque praeterea erat cum Olyntho (v. s. c. II, 10. p. 66), acerrime vero cum Chiis, Rhodiis, Byzantiis, iisdem, quos Ol. CVI, 1 Imbrum, Lemnum aliasque Atheniensium insulas devastasse Diodorus refert (XVI, 21). Quid multa? Tum etiam verisimile est Megarenses, angusta Athenarum conditione usos, Salaminem, pristinam discordiae invidiaeque materiam, impugnasse. Quod si ita est, haec de decretis illis probabilis sententia statui poterit.

Ol. CVI, 1 socialis belli anno secundo, Byzantii, Chii et Rhodii Imbrum et Lemnum devastant, Samum adoriuntur et terra marique oppugnant, aliasque Atheniensium insulas depopulantur. Diodor. l. c. Quam ob rem Athenienses ad Imbri insulae, indeque aliarum his in regionibus possessionum suarum custodiam Nausiclem, illius anni ordinarium pedestris exercitus imperatorem (τὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων) mittunt cum bis mille hoplitis. Simul novam classem instruunt ducibus celeberrimis Iphicrate Timotheoque qui Hellespontum navigent et cum Charete, penes quem ex superiori anno summum belli imperium erat, Byzantium adoriantur et obsideant. Exeunte anno, quum Philo ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως κεχειροτονημένος *) propter tempestates (fortasse Etesias, oriente

*) Addita voce κεχειρ. indicari mihi videtur praetor aerarii novus, nuperrime, h. e. exeunte anno creatus. Quam ob rem simul cum Philone illo creati etiam sint Chari-

cane spirantes) navigare in Imbrum non posset, nec stipendia militibus solvere, Nausicles de proprio pecunias largitur. Tum ineunte anno Ol. CVI secundo, quum annuum muneris eius spatium exiisset, Athenas redit, solutamque pecuniam liberaliter civitati condonat. Eodem tempore, hoc est ineunte Ol. CVI, 2, quum maxima Atticae militiae pars in Imbro adhuc Hellespontoque abesset, Megarenses in vicinam Salaminem insulam ex improviso impetum faciunt. Ad eos depellendos Charidemus, huius anni praetor ἐπὶ τ. ὅπλων nuperrime creatus, succurrit cum parva manu ex hoplitis delecta iis, qui ad urbis Atticaeque custodiam restiterant. Qui quum impares essent, commissa ad Bocaliam fluvium pugna caesi sunt, nonnullique eorum ab hostibus spoliati. Exercitus igitur ut non compleri solum, sed augeri etiam posset, Charidemus, expeditionis dux, cum Diotimo, huius anni praetore equitum ordinario iuvenes, qui armis ferendis pares erant, Salaminios sive Athenienses, ad arma vocant, eorumque octingentos proprio sumptu clypeis instruunt. Quo facto hostes aut superati sunt, aut quod sibi infirmiores esse viderentur, ultro fugam ceperunt. Repressumque ita periculum est primis, ut suspicor, mensibus Ol. CVI, 2, Nausicle, superioris anni τῷ ἐπὶ τ. ὅπλων praetore, Athenas modo reverso. Quam ob rem eiusdem anni Ol. CVI, 2 mense eodem Boedromione, eodem etiam die senatus populusque decernit, ut coronetur Nausicles, coronentur etiam Charidemus et Diotimus, et ille quidem Dionysiis, eiusdem anni Ol. CVI. qui agebatur

---

demus, posterioris decreti ὁ ἐπὶ τ. ὅπλ. et Diotimus, ὁ ἐπὶ τ. ἱππέων, quibus munus administrandum esset insequenti anno, Ol. CVI, 2, quum Nausicles superioris anni, Ol. CVI, 1, ὁ ἐπὶ τ. ὅπλων στρατηγός fuerit. Quam nostram sententiam illustrabunt sequentia.

secundi Elaphebolione celebrandis, quod ille munus iam deposuerat, fortasse etiam rationes retulerat, hi, postquam munus elapso Ol. CVI a. 2 deposuerint, insequentis anni, Ol. CVI, 3, Magnis Panathenaeis, Hecatombaeone agendis, deinde iterum eiusdem anni Dionysiis, hoc est Ol. CVI, 3 Elaphebolione. Scilicet hi simul cum Nausicle Ol. CVI, 2 Dionysiis coronari nondum poterant, quod eis ad finem usque anni munus gerendum erat, et leges mediam inter muneris administrationem magistratus coronari vetabant. Quam ob rem differenda coronae praedicatio erat usque ad insequentis anni Dionysia. Quae tamen quum Elaphebolione demum mense, Ol. CVI, 3 agenda essent, duobus fere annis facta coronatio esset post quam Charidemus et Diotimus de re publica bene meruerant. Itaque ne diutius honos eis detineatur, decernitur, ut quum primum munus deposuissent, instantibus Magnis Panathenaeis, quae insequentis anni, Ol. CVI, 3, Hecatombaeone celebranda erant, coronae praedicatio fiat. At in Magnis Panathenaeis, etsi ea gravissimum essent festum urbanum, tamen non edebantur fabulae, sed gymnicum modo certamen, non confluebat Graecia ludorum theatralium causa, id quod fiebat in Dionysiis urbanis, quibus novi tragoedi in scenam prodibant. Ne igitur maturiori coronae praedicatione honos quodammodo minueretur, Dionysia etiam in decreto adduntur. Ita fit, ut Nausicles solis Dionysiis coronetur, Ol. CVI, 2, Charidemus et Diotimus Ol. CVI, 3 tamquam in antecessum Panathenaeis primum Magnis, Hecatombaeone agendis, deinde, id quod honoris summa erat, Dionysiis Panathenaea Magna Elaphebolione mense sequentibus. *)

---

*) Inde illustrari etiam videtur, cur decretum de Nausi-

Ita sane egregie conspirant omnia; ipsaque illa geminanda coronae praedicatio certissime confirmat id quod supra statuimus, Charidemum et Diotimum

cle latum sit *γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου,* alterum, de Charidemo et Diotimo, *πρυτάνεων λεγόντων βουλῆς γνώμῃ*. — *Βουλῆς γνώμῃ* quid sit, clarissime liquet ex psephismate Aristophontis de cor. p. 250. Hoc enim conscriptum est de rebus in senatu actis et ad populum referendis, itaque iussu senatus ipsoque haud dubie in senatu, quem de eligendis ad Philippum legatis acturum congregare iussi praetores prytanesque a populo erant ex decreto Eubuli, quod in concione latum est a praetoribus convocata, et illum Aristophontis libellum in or. de cor. praecedit. Libello igitur isto Aristophon, proedrus non contribulis, iussu senatus ad populum refert, senatum iussa populi exsecutum esse. Atque in eiusmodi senatus actis et placitis, ad populum referendis, omitti etiam poterat is, qui conficiebat libellum, quippe qui nec sponte eum nec solam suam in eo sententiam conscripserit. Eiusmodi decretum est illud de induciis a Philippo petendis I. de cor. p. 282. Hoc quidem conscriptum est *βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμῃ*. Praetores enim, id quod factum etiam est in re p. 250 relata, congressi cum senatu erant, audita Philippi impressione, de periculo civitatis deliberaturi. Conveneratque inter eos, ut legati induciarum causa ad Philippum mitterentur, qui ipsi etiam, ut videtur, in ipso senatu creati sunt: *ἡρέθησαν ἐκ τῆς βουλῆς,* ex solo senatu, quum ex altero decreto, quod illud excipit, legati duo ex senatoribus creati sint, et praeco ex populo. Illud praetorum senatusque placitum conscriptum a proedro seu senatore quodam est, ut populo proponeretur, tum concione facta recitatum et a populo confirmatum. Ita praetores et senatus populo auctores fiunt decreti de legatis ad Philippum induciarum causa mittendis; unde praescriptum decreto est *στρατηγῶν καὶ βουλῆς γνώμῃ* — *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ,* sicuti in sequenti de induciis decreto *πολεμάρχου γνώμῃ,* quippe cuius auctor populo factus sit polemarchus. Contra Callisthenis decretum de excubiis fugaque ex

cum armatis suo sumptu octingentis illis iuvenibus quod accepta ad fluvium clade civitati ex improviso immineret periculum retudisse.

---

agris capienda (de cor. p. 238) latum est in concione a praetoribus et prytanibus convocata *βουλῆς γνώμη*. Nam in hoc *συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων βουλῆς γνώμη* omnino reponendum videtur pro vulgari *σ. ἐ. ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων καὶ βουλῆς γνώμη*, id quod prorsus absonum est, quia senatus dissentientibus prytanibus decernere nihil potest, itaque *βουλῆς γνώμη* complectitur etiam *γνώμην πρυτάνεων*. Et morem fuisse Athenis, ut praetores cum prytanibus extraordinariam concionem convocarent, docet Thucydides IV, 118: *ἐκκλησίαν δὲ ποιήσαντας τοὺς στρατηγοὺς καὶ τους πρυτάνεις*, sicuti ex decreto Eubuli (de cor. p. 249) praetoribus simul et prytanibus iussu populi congregandus erat senatus. Itaque Callisthenis decreti ratio manifesto haec est: praetores et prytanes concionem convocarunt: *συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων·* quod additur *βουλῆς γνώμη* aut hoc valet: consentiente et iubente senatu concionem convocarunt, in qua excubias habendas et fugam ex agris capiendam decrevit Callisthenes, id quod placere possit, quia post *βουλῆς γνώμη* sequitur mensis et dies, et tum demum *Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαλ. εἶπεν*. Sed quum ea de re actum certe antea sit in senatu, *βουλῆς γνώμη* verisimilius hoc valere dixeris: Callisthenem in concione a praetoribus prytanibusque convocata verba fecisse de re in senatu acta, populoque senatus sententiam aperuisse, itaque auctoritate et voluntate senatus, cui tamen ipse haud dubie sententiae ferendae auctor exstiterit. Quae quum ita sint, *βουλῆς γνώμη* praescribi patet non quidem senatus consultis iis, quae rata esse possunt etiam absque populi auctoritate, et a populiscitis, in quibus solemnis formula est: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, distinguuntur formula: *δεδόχθαι* aut *ἔδοξε τῇ βουλῇ*; sed eis potius rebus, quae acta in senatu sunt, deinde ad populum referenda, ut in Aristophontis illo libello, aut populiscitis, quae non a privato quopiam rogata sunt,

Atque summa certe huius nostrae opinionis stabit, etiamsi decreta non ad Ol. CVI, 2 sed ad Ol. CVII, 2 referenda contendas. Nam ad hunc so-

sed in ipso senatu et rogata et confirmata, quibusque decernendis ipse senatus, relatione senatori aut ei, in cuius sententia ipse acquieverat, aut alii cuidam demandata, auctor fit populo. — Itaque quod in altero illo decreto Calliae legitur *βουλῆς γνώμη*, id hoc sibi vult: Callias conscripsit decretum de coronando Charidemo Diotimoque, quod senatui placuerat, id vero non sponte nec a se ipso rogatum, ut docet praecedens *πρυτάνεων λεγόντων*. Hoc enim aut idem valet quod *κελευόντων*, hoc est: prytanum iussu Callias senatus rogationem conscripsit, aut explicandum est ex persimili decreto senatus, quod legitur ap. Boeckh. in Corp. Inscr. I. nr. 108, in quo scriptum est: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ, τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ ἐπαινέσαι τὸν γυμνασιαρχήσαντα κ. τ. λ.* Quod igitur hic proedris demandatur, idem agendum fuerit prytanibus, in altero illo Calliae decreto commemoratis: Senatui placuit, ut coronentur Charidemus et Diotimus, concione facta prytanes voluntatem senatus proposuerunt populo eamque conscripsit Callias. Contra prioris decreti de Nausicle coronando ipse Callias auctor factus sit, quod quum senatui proposuisset, ne *ἀπροβούλευτον* ad populum referretur, senatus hoc probans simul illud de Charidemo et Diotimo ferendum censuerit. De utrisque tum una in concione actum, sed a populo prius solummodo confirmatum sit, quod Nausicles tum iam munus deposuerat, haud dubie rationes quoque retulerat. Charidemus et Diotimus contra tertium tum primum suscepti muneris mensem agebant, Boedromionem. Quam ob rem quod de his quoque coronandis prytanes rogarunt auctoritate senatus, id quidem simul a Callia conscriptum est, nondum tamen a populo confirmatum, sed repositum est, ut deposito demum munere et relatis rationibus confirmandum populo denuo proponeretur: unde illi praescriptum est: *γνώμη βουλῆς*

tummodo annum referri ea posse, nisi ad Ol. CVI, 2, satis ex antecedentibus liquet. Et ad hunc sane annum omnino referenda sint, si Charidemus is, qui copiis in Salaminem missis praefuisse in altero decreto dicitur, Orita sit ille, cuius facinora, perfidiam, res gestas acerbe persequitur Demosthenis in Aristocratem oratio. Is enim et per ipsius belli socialis spatium, et insequenti tempore usque ad Ol. CVII, 1, quo habita est oratio in Aristocr. secundum Dionys. ep. ad Amm. §. 4 *), conducticii exercitus dux erat apud Thracum regem Cersobleptem, cognatum sibi et in tutelam a Cotye patre olim traditum, id quod clarissime ex iis liquet, quae exposuimus ad p. 194. not. 2. Idem vero eodem tempore magna apud Athenienses florebat auctoritate. Quamquam enim nondum Atheniensis imperatoris provinciam administraverat, tamen ante iam saepius ab Atheniensibus conductus fuerat in bellis, quae adversus Amphipolitas, Olynthios, et in ipsa quoque Chersoneso gerenda eis erant ante Ol. CV, 3, multaque eis officia usque ad Ol. CVII, 1 praestiterat. Primum enim per tres annos

---

καὶ δήμου Καλλίας Φ. εἶπε ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, huic *πρυτάνεων λεγόντων βουλῆς γνώμη.* Haec haud incommode addenda videbantur ad ea, quae de formulis illis in universum disputavit Schoemannus de Comit. Ath. p. 99 sqq.

*) Eo anno orationem hanc re vera habitam esse, liquet prae ceteris ex p. 661, ubi Phayllus commemoratur, Phocensium imperator. Is enim subsecutus in imperio est Onomarchum fratrem, Ol. CVI, 4 a Philippo in Thessalia victum et necatum, sed Ol. iam CVII, 1 mortuus imperium tradidit Phalaeco, Onomarchi filio secundum Diodor. XVI, 38. Et quod Philippus p. 681 Maroneam, Thraciae urbem, venisse dicitur, id quoque pertinere videtur ad Thraciam Philippi expeditionem, Ol. CVII, 1 susceptam, de qua v. not. sq.

continuos mercede militavit sub Iphicrate, quem post Amyntae regis Macedoniae mortem, Ol. CII, 3, Athenienses ad recuperandam Amphipolim miserant (v. cap.II. 1. p. 39). Dem. or. in Aristocr. p. 669. Deinde quum Iphicrati imperium abrogatum esset, Timotheoque delatum, ab Olynthiis, adversus quos tum temporis Atheniensibus certamen de Amphipoli erat, conductus quidem est, sed itinere ab Atticis triremibus interceptus fide data Timotheum rursus adiuvabat, quem Ol. CV, 1 in recuperanda Amphipoli victum supra docuimus (cap. II, 1. p. 39). V. Dem. l. c. Tum relicto Timotheo ab Amphipoli in Asiam transgressus est, ibique per aliquod tempus commoratus ad Cotym transiit, Thraciae regem, quocum Athenienses de Chersoneso pugnabant. Dem l. c. p. 670 sqq. Ab hoc brevi post, Ol. CV, 2, per Pythonem necato Cersobleptae infanti custos et tutor relictus cum Atheniensibus in Chersoneso pacisci coepit, et eo potissimum auctore Athenienses a Thraciae regibus Chersonesi possessionem tutam recuperarunt Ol. CV 3. V. sup. cap. IV, 9. Cuius in primis facti gratiam referentes Athenienses et civem Charidemum fecerunt, et aurea corona donarunt (Or. in Aristocr. p. 666, 668). Et magna tum Athenis exstitit factio, quae ei gratiam populi omnimodo conciliare conabatur (l. c. 668, 681), nec aliud quidquam agebat, quam ut imperator a populo crearetur, ut qui solus posset Amphipolim civitati recuperare, etiam, quo tutius commoda Atheniensium in Chersoneso agitare posset, decretum fieret, ut qui Charidemum occidisset, is Athenas abduci ad supplicium posset (p. 624 sq.). Haec agitata sunt Athenis brevi ante Ol. CVII, 1. Illud enim decretum id ipsum est, quod ab Aristocrate in senatu rogatum, sed *παρανόμων* delatum ab Euthycle est, qui Ol. CVII, 1 in Aristocratem invectus est Demosthenis illa contra Aristocratem oratione.

Hanc causam an vicerit Aristocrates et decretum de Charidemo pertulerit, non constat; quapropter hoc etiam ambiguum est, utrum Charidemus Orita creatus a populo sit imperator, nec ne, et Charidemus, qui deinde invenitur, Orita ille sit, an Atheniensis et ab illo diversus. Etenim anno post illam Demosthenis in Aristocratem orationem, Ol. CVII, 2 mense Boedromione Charidemus Athenis in Chersonesum seu Hellespontum mittitur cum navibus decem vacuis et quinque talentis adversus Philippum, Thraciam nuper ingressum Chersonesoque imminentem.*) Idem ibi-

*) Dem. Olynth. III. 29: *μέμνησθε ὦ ἄ. Ἀθ., ὅτ᾽ ἀπηγγέλθη Φίλιππος ὑμῖν ἐν Θρᾴκῃ τρίτον ἢ τέταρτον ἔτος τουτὶ Ἡραῖον τεῖχος πολιορκῶν. τότε τοίνυν μὴν μὲν ἦν Μαιμακτηριών, πολλῶν δὲ λόγων καὶ θορύβου γιγνομένου παρ᾽ ὑμῖν ἐψηφίσασθε τετταράκοντα τριήρεις καθέλκειν καὶ τοὺς μέχρι πέντε καὶ τετταράκοντα ἐτῶν αὐτοὺς ἐμβαίνειν καὶ τάλαντα ἑξήκοντα εἰςφέρειν. καὶ μετὰ ταῦτα διελθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ τούτου Ἑκατομβαιών, Μεταγειτνιών, Βοηδρομιών· τούτου τοῦ μηνὸς μόγις μετὰ τὰ μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε ἔχοντα κενὰς Χαρίδημον καὶ πέντε τάλαντα ἀργυρίου.* Oratio haec cum reliquis Olynthiacis habita est Ol. CVII, 4. Illa igitur Philippi in Thraciam incursio ad annum referenda est Ol. CVII. primum aut secundum. Ad primum referendam multa docent. Thraciam enim Philippus invasit post res in Thessalia adversus Phocenses prospere gestas (Ol. CVI, 4. V. cap. II. 6), nimirum postquam Ol. CVI, 4 exeunte aut ineunte Ol. CVII, 1 per Pylas Phocenses in Graeciam persequi ab Atheniensibus impeditus erat (v. cap. II, 6 p. 51). Quam ob rem illa Philippi in Thraciam impressio ea haud dubie est, ad quam Demosthenis or. Philipp. I spectat, Ol. CVII, 1 habita (v. cap. II, 9. p. 61 sq.), qua ipsa probabile est excitatos Athenienses hieme Ol. CVII, 1 eos decresse bellicos apparatus, mox tamen intermissos, qui or. Olynth. III. l. c. commemorantur. Quod si ita est, Charidemus Ol. CVII, 2 Boedromione

dem nimirum commorabatur etiam Ol. CVII, 4, quo anno Philochorus (ap. Dionys. Hal. l. c. §. 9) Charidemum, *τὸν ἐν Ἑλλησπόντῳ στρατηγόν*, Chalcidicis urbibus a Philippo pressis auxilio missum esse ab Atheniensibus et Olynthiis iunctum Pallenem et Bottiaeam vastasse refert. At Ol. CX, 3 Charidemum Athenis invenimus, quo tempore continuo post cladem Chaeronensem Athenis in extremo civitatis discrimine novarum rerum cupidi Charidemo rei publicae administrationem imperiique summam tradendam agebant. Plut. Phoc. 16. — Ol. CXI, 1 tamen rursus in Chersoneso versatus videtur. Charidemi enim speculatores necem Philippi Demostheni nunciasse, Aeschines contendit or. in Ctes. p. 64 extr. Denique Ol. CXI, 2 Alexander, Thebis modo dirutis, pro pace Atheniensibus concedenda Charidemum ab eis expoposcit una cum Demosthene, Lycurgo, Hyperide, Diotimo, Charete et aliis tribus vel quinque, qui tum in re publica administranda principes erant Macedonumque adversarii. Plut. Demosth. 23. Phoc. 17. Arrian. Exped. Alex. I. 10. Curt. III. 5. Et rex placatus quidem est per Demadem, Charidemum tamen, unum ex omnibus, quos poposcerat, exulare iussit. Isque in Asiam ad Darium regem se contulit, Alexandro adversaturus (Arrian. l. c. Dinarch. in Demosth. p. 25), ibique inter regis consultores receptus magna vixit auctoritate, donec in suspicionem vocatus est, et ob nimiam linguae licentiam iussu Darii interfectus (Curt. l. c.) Ol. CXI, 4 secundum Diodor. XVII. 30. Iam vero hic Charidemus, quem inde ab Ol. CVII, 2 toties nominatum celebratumque invenimus, ut virum et arte militari insignem, et viris etiam in re

---

cum decem illis navibus et talentis quinque in Chersonesum missus sit.

publica administranda tum principibus, Demostheni, Hyperidi, Lycurgo, Diotimo, Nausicli, Chareti adnumeratum, quin unus homo sit idemque, nemo certe addubitabit. Eundem vero nostrum etiam illum posterioris decreti Charidemum esse, vix opus est demonstrare. Illum cum Diotimo expoposcit Alexander Ol. CXI, 2, hic atque Diotimus, uterque simul praetor, iuvenes in expeditione Salaminia armant; ille mortem obiit Ol. CXI, 4, huius manifesto ut mortui Demosthenes meminit. Utrum tamen Orita sit iste, nec ne, ardua quaestio. Orita quidem Ol. CVII, 1 adhuc in Thracia apud Cersobleptem commorabatur; hic Ol. CVII, 2 mense Boedromione Athenis in Chersonesum mittitur. Itaque quum ille civis quidem fuerit Atheniensis, sed factus, hunc probabiliter dixeris genere Atheniensem fuisse et eum haud dubie, quem brevi ante quam bellum Amphipolitanum Atheniensibus cum Philippo exarserit, cum Antiphonte quodam legatum ab Atheniensibus ad Philippum esse, acturum de amicitia, cum eoque *τὸ θρυλούμενόν ποτε ἀπόῤῥητον* de Amphipoli Atheniensibus recuperanda, quod Demosthenes tangit in or. Olynth. II. p. 19, pactum esse, Suidas refert v. *τί ἐστι τὸ ἐν τοῖς* ex Theopompi historiarum L. XXXI. V. nostr. cap. II. 1. p. 41. Hoc actum haud dubie est in pace, quam, mox dirimendam, Ol. CV, 2 composuisse cum Atheniensibus Philippum, Amphipoli anno superiori ultro relicta, Diodorus tradit l. XVI, 4. Quam ob rem hunc Charidemum Oritam esse non est verisimile, et quod ille tum Athenis omnino non commorabatur, et quod non verisimile est, Athenienses mercenariorum duci legationem demandasse, et quod huius rei nullam mentionem facit Demosthenes in or. Aristocrat., denique quod Charidemum Oritam Ol. CV, 2, quo illa acta videntur, iam non ad Amphipolim cum Timotheo, sed in Asia versatum esse ex rationibus su-

pra expositis omnino statuendum videtur. Quam ob rem si Ol. CV. Charidemum Atheniensem, ab Orita diversum vixisse constet, eundem etiam probabile sit Ol. CVI, 2 cum Diotimo praetorem factum in Salamine de re publica bene meritum esse, quod supra statuimus, et Ol. CVII, 2 Athenis in Chersonesum missum, indeque Ol. CVII, 4 Olynthum, unde domum reversus et rei publicae gerendae deditus Philippi studiis acerrime adversatus sit, donec Ol. CXI, 2 Alexandro iubente exul ad Darium sese contulerit, cuius iussu necatus sit Ol. CXI, 4. Ita vero Charidemus Orita ex sola oratione Aristocratea notus, nec quidquam praeterea exploratum fuerit, quae vitae eius ratio fuerit post Ol. CVII, 1. Verum de hac etiam possit coniectura haud improbabilis ex Diodoro peti, qui quum de Charidemo exule, Ol. CXI, 4 in Persia necato, falsissime dicat: *συνεστρατεύσατο μὲν Φιλίππῳ τῷ βασιλεῖ καὶ πάντων τῶν ἐπιτηδευμάτων ἀρχηγὸς καὶ σύμβουλος γεγονὼς ἦν*, ad Atheniensem Charidemum confuse retulisse videri possit, quod ad posteriorem Oritae vitam pertineat. Is enim iam antea cum hostibus Atheniensium communionem inibat (Dem. in Aristocr. p. 669), quippe homo turbulentus et lucri studiosus; quem, si Ol. CVII, 1 post orationem Aristocrateam reiectus ab Atheniensibus fuerit, Cersoblepte relicto, id quod eo ipso fere tempore Pytho etiam fecit (v. cap. IV, nr. 3. p. 135), ad Philippum se contulisse commode coniicere possis.

Probabilis sane sententia, a qua tamen vereor, ne nos recedere cogant ipsi illi Charidemi Oritae mores ingeniumque. Quod enim Plutarchus (Phoc. c. 16) de Charidemo refert, clade ad Chaeroneam facta *τῶν θορυβοποιῶν καὶ νεωτεριστῶν τῶν ἐν ἄστει τὸν Χαρίδημον ἑλκόντων ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ στρατηγεῖν ἀξιούντων, ἐφοβήθησαν οἱ βέλτιστοι· καὶ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔχοντες, ἐν τῷ δήμῳ δεόμενοι καὶ δακρύ-*

οντες, μόλις ἔπεισαν τῷ Φωκίωνι ἐπιτρέψαι τὴν πόλιν, et quod hunc unum omnium exulare iussit Alexander, passus est populus Atheniensis, quod idem post in Persiam sese contulit, id agens, ut belli adversus Alexandrum sibi a Dario imperium deferretur, sed ob animi vehementiam et linguae nimiam licentiam iussu Darii interfectus est, id sane ad Charidemi Oritae mores et ingenium optime quadrat, quem primum Demosthenes ut turbulentum hominem et perfidum et lucri studiosum acerbissimis conviciis oratione Aristocratea persequitur, Theopompus vero gulae etiam ganeoque deditum describit ap. Athen. X, p. 436, ubi haec Theopompi de Charidemo postrema verba leguntur: καὶ εἰς τοσοῦτον προῆλθεν ἀκρασίας, ὥστε μειράκιόν τι παρὰ τῆς βουλῆς τῆς τῶν Ὀλυνθίων αἰτεῖν ἐπεχείρησεν, ὃ τὴν μὲν ὄψιν ἦν εὐειδὲς καὶ χαρίεν, ἐτύγχανε δὲ μετὰ Δέρδου τοῦ Μακεδόνος αἰχμάλωτον γεγενημένον. Quae ipsa certe vix ad aliud tempus referri possunt, quam ad Ol. CVII, 4, quo anno Olynthiis cum Philippo bellum gerentibus Charidemus ab Atheniensibus auxilio missus est is, qui Ol. CVII, 2 Athenis in Chersonesum solverat. Quae opinio eo maxime confirmatur, quod Derdas Macedo captivus tum Olynthi versatus dicitur, quem Philae, uxoris Philippi, fratrem fuisse constat ex Athenaeo XIII. p. 557. Etiam praecedenti quidem iam tempore (sub Ol. CV, 1) Charidemus Orita ab Olynthiis, quibuscum tum Athenienses et Macedones simul bellabant (Dem. Olynth. II. p. 22), conductus erat teste Demosthene in or. Aristocr. p. 669, sed tum itinere a Timotheo interceptus quominus cum Olynthiis sese coniungeret, prohibitus est. Quae quum ita sint, Charidemum eum qui Ol. CVII, 2 Boedromione mense Athenis in Chersonesum missus est, et qui tum Olynthiis opitulatus, et post cladem ad Chaeroneam exul in Persiam sese contulit, ibique necatus est, verbo, celebrem illum ducem Athe-

niensium non natu Atheniensem, sed Oritam illum esse orationis Aristocrateae, iure contenderis. Atque profecto illius factio iam ante Ol. CVII, 1, quo anno Demosthenis in Aristocratem oratio perorabatur, id iam agebat, ut quum primum vicisset decretum Aristocratis, ille a populo dux adversus Philippum crearetur, ut qui solus posset Amphipolim recuperare (Dem. in Aristocr. p. 625). Eum igitur coniicere possis vel ipsa causâ Aristocratea adductum Ol. CVII, 1 Athenas venisse, et perlato tum Aristocratis decreto imperatorem adversus Philippum creatum, inde Ol. CVII, 2 Boedromione Athenis in Chersonesum missum esse. Et coniectura haec possit eo etiam probabilior fieri, quod eo ipso tempore, hoc est Ol. CVII, 1, Philippus in Thraciam impressionem fecit, ut certamen, quod de Thraciae imperio inter Cersobleptem et reliquos Thraciae reges hucusque intererat, suo ex arbitrio componeret (Dem. Olynth. I. p. 13), simul vero etiam Athenienses in Chersoneso aggrederetur. V. not. sup. Nempe Cotye mortuo, Ol. CV, 2, Cersobleptae, quem ille infantem reliquerat, in obtinendo patris imperio duo aemuli adversabantur, Berisades et Amadocus. Quos ut facilius debellaret, Charidemus Orita, Cersobleptae tutor a patre constitutus, Atheniensium maxime et illi et sibi amicitiam conciliare conabatur, eamque conciliavit, quum eis pacto Chersonesum concesserat. Quo facto ut iam tutius opprimere adversarios, Cersobleptaeque universum Thraciae imperium comparare posset, factio, quam commodis suis propensam Athenis habebat, legem illam Aristocrateam tulit: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ Χαρίδημον, ἀγώγιμος ἔστω ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀθηναίων συμμαχίδος*, id praeterea agens, ut lege hac perlata, Charidemus etiam dux Atheniensis a populo crearetur. V. or. in Aristocr. p. 623 sqq. Haec agebantur Athenis Ol. CVII, 1. Sed eodem anno Philippus a Cerso-

bleptae aemulis haud dubie excitatus, in Thraciam invasit, ubi alios Thraciae reges expulisse eum, alios constituisse Demosthenes refert or. Olynth. I. p. 13.*) Eodem tempore Atheniensium etiam in Thracia possessiones impugnasse Philippum, liquet ex Dem. or. Olynth. III, p. 29 sq. Hac igitur opportunitate, instante et sibi et Atheniensibus gravi periculo, verisimile est Charidemum foederis inter Cersobleptem et Athenienses conciliandi gratia Athenas petisse; eademque quum ipsi etiam Athenienses Charidemi, viri in illis regionibus versatissimi, et auctoritatis gravissimae, et imperatoria virtute iam admodum probati, maxime sane indigerent auxilio, ei, quo firmius sibi obligaretur, belli adversus Philippum in Thracia Chersonesoque gerendi imperium detulisse eos omnino probabile videatur.

Itaque si Charidemus celeber Demostheneae aetatis dux Atheniensium, non diversus est a Charidemo Orita, consequens est, ut decreta, de quibus disputamus, ad Ol. CVII, 2 referantur. Scilicet Charidemus Orita, postquam Ol. CVII, 1, facta Philippi in Thraciam impressione, Athenas venisset, dux ab Atheniensibus simul cum Diotimo creatus sit in annum sequentem, Ol. CVII, 2, quo ineunte in Salaminem a Megarensibus infestatam missus, hostes, quod in decreto narratur, armatis proprio sumptu octingentis iuvenibus, depulerit; quo facto, Mysteriis celebratis, in Chersonesum legatus sit Boedromione mense, quum simul Callia auctore ei et Diotimo corona decreta sit, insequentis anni, Ol. CVII, 3, Panathenaeis et Dionysiis praedicanda ob beneficium nuperrime in civi-

*) Eo nimirum tempore Cersobleptes superatus cum Philippo pactus est filio obside dato, quem Ol. CVIII, 2 Pellae versantem legati Atheniensium invenerunt, quum Philippus novam adversus Cersobleptem impressionem suscipiebat. V. supra cap. IV, 1. p. 124.

tatem collatum. Nec desunt, quae in hunc annum omnino, quin magis etiam quam in Ol. CVI, 2 competere videantur. Nam Megarenses, quos invasisse Salaminem unice probabile est, Ol. CVI dimicasse cum Atheniensibus non diserte tradit Demosthenes or. de cor. p. 306, sed ad hostilia eos magis quam ad amicitiam proclives fuisse contendit. At or. Olynth. III, quae Ol. CVII, 4 habita est, clarissimis verbis Atheniensibus exprobrat, quod adversus Corinthios et Megarenses arma capiant, Philippum contra civitates Graecas in servitutem redigere patiantur: *ἐπὶ μὲν Κορινθίους καὶ Μεγαρέας ἁρπάσαντας τὰ ὅπλα πορεύεσθαι, Φίλιππον δ' ἐᾶν πόλεις Ἑλληνίδας ἀνδραποδίζεσθαι* (p. 34). Praeterea, eodem tempore Athenienses summa sane et pecuniarum et ob eam ipsam causam militum etiam inopia premebantur, id quod, praeter Demosthenis or. Phil. I, or. de Symmoriis et orr. Olynth., maxime docet or. in Neaer. p. 1346. Quid? quod ipse Charidemus Ol. CVII, 2 Boedromione mense cum decem vacuis navibus nec nisi quinque talentis in Chersonesum missus est, teste Demosthene in or. Olynth. III, p. 29. Quod ipsum rursus ad Charidemum Oritam omnino quadrare videtur, quippe qui etiam exigua pecunia in Thracia, unde venerat, facile mercenarios conducere posset. — Ex eadem vero sententia Nausicles, quem simul cum Charidemo Diotimoque coronatum supra statuimus, Atticis in Imbro colonis opem tulerit Ol. CVII, 1; neque hoc improbabile est. Nam quo tempore Chersoneso Philippus immineret, hoc est sub Ol. CVII, 1, eodem etiam de Lemno, Imbro, Scyro timendum Atheniensibus fuisse et Aeschines testatur *π. παραπρ.* p. 37 med. et auctor or. in Neaer. p. 1346. Demosthenes denique in or. Phil. I., quae Ol. CVII a. primo, eoque, ut suspicati supra (p. 51) sumus, circiter medio habita est, de Philippo: *τὸν παρελθόντα χρόνον*, ait, *εἰς Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμ-*

βαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ' ἔχων — ὑμεῖς δ' οὔτε ταῦτα ἠδύνασθε κωλύειν, οὔτ' εἰς τοὺς χρόνους οὓς ἂν προθῆσθε βοηθεῖν (p. 49), unde insulis illis, Lemno et Imbro, quum devastatae a Philippo essent Ol. CVI a. 3 seu 4, subsidia ab Atheniensibus, licet serius, missa tamen fuisse liquet et tum quidem missa, quum oratio illa perorabatur. Quam ob rem Nausiclem probabiliter dixeris Ol. CVII, 1 in Imbrum legatum indeque ineunte Ol. CVII, 2 reversum Boedromione mense simul cum Charidemo et Diotimo coronatum esse. Sed Diodorus XVI, 34 Nausiclem Ol. CVII, 1 cum Atticis copiis post Onomarchi in Thessalia cladem Phayllo esse auxilio missum refert, quo tempore simul progredientem ad Thermopylas Philippum Athenienses insigni classe prohibuere. Idem igitur non poterat eodem anno Atticis in Imbro colonis auxilium ferre. Veruntamen haec apte secum conciliari possint, si Nausiclem aestate Ol. CVI, $^4/_1$ Phocensibus opem tulisse statuamus. Tum enim exeunte aestate Ol. CVII, 1 poterat e Phocide reversus aut revocatus, prorogato imperio, hieme eiusdem anni in Imbrum legari, indeque Ol. CVII, 2 Boedromione, annuo imperii spatio finito, Athenas reverti. Id quod omnino statuendum sit, si Charidemus is qui Ol. CVII, 2 Boedromione in Chersonesum profectus est, re vera Orita est. Ceterum nobis in rationibus in utramque partem accurate excussis iam acquiescendum videtur.

Iam quod praeterea retractandum superest, gravius illo, et quod ad constituendam de Pseudeponymis deque universa monumentorum ratione opinionem maximi momenti sit, in duobus illis decretis vertitur, quae archontis Mnesiphili nomen praeferunt; quorum alterum p. 235 insertum est sic tamquam latum a Demosthene sit de maturanda legatorum profectione ad exigendum a Philippo ius iurandum pa-

cis Ol. CVIII, 2 cum Philippo compositae, alterum p. 238, tamquam id decretum sit, quod post nunciatam Athenis Philippi in Phocidem impressionem Ol. CVIII, 3 Scirophorione extremo latum a Callisthene esse supra (p. 105 sqq.) omnibus argumentis mihi videor demonstrasse. Utrumque decretum quibus laboret difficultatibus, satis supra cognovi et exposui (cap. III, 2, 3, 4); quam tamen ibidem discrepantiarum explicationem tentavi, eam nunc Boeckhii (l. c.) sequens vestigia, reprobandam esse ingenue confiteor. Rebus igitur eo quem supra exploravi ordine denuo nunc in conspectum positis, novam meam de decretis illis sententiam ita mihi exponere liceat, simul ut quae minus apte et accurate in superioribus dicta propterea sint, quod tum decreta illa ab ipso profecta oratore iudicabam, ea nunc emendatius proponantur. Itaque

Ol. CVIII, 1 archonte Theophilo.

Philocrates primum decretum fert de legatis creandis, qui pacis cum Philippo componendae causa in Macedoniam eant; *παρανόμων* accusatus a Lycino, a Demosthene defenditur, iudicioque absolvitur. Aesch. in Ctes. 62 med.

Ol. CVIII, 2, archonte Themistocle

Demosthenes senatoriam dignitatem sortitur. Aesch. l. c. Athenienses de pace cum Philippo ineunda denuo deliberant tempore *τῶν σπονδῶν μυστηριωτίδων*, mense igitur circiter Boedromione, quo acta esse Eleusinia, seu magna mysteria constat. Aesch. *π. παραπρ.* p. 45 extr. Alterum Philocratis decretum vincit de creandis legatis decem invitaturis Philippum, ut si transigere cum Atheniensibus velit, legatos Athenas mittat, de pace acturos. Aesch. in Ctes. p. 62 extr. Legati sunt: Ctesiphon, Aristodemus, Iatrocles, Cimon, Nausicles, Dercylus, Phryno, Philocrates, Aeschines, Demosthenes. V. argmt. 2 ad Dem. or. *π. παραπρ.*

Iidem passim omnes fere memorantur ab Aeschine π. παραπρ. p. 30 m. et 34 m. Hi abeunt mense circiter Gamelione; revertuntur Elaphebolione ineunte, cuius die VIII concio fit, auctore Demosthene, ut quum primum Philippi legati advenerint, sine mora cum eis transigatur. Aesch. in Ctes. 63 in. Adveniunt Philippi legati ad Dionysia Magna. Aesch. in Ctes. p. 64 m. Dem. de cor. p. 234. Quibus celebratis, praesidente inde ab Elaphebolionis die XI aut XII tribu Pandionide, cui accensus erat Demosthenes (v. supra p. 96 sq.)*), eiusdem mensis diebus XVIII et XIX continuo de pace et foedere cum legatis regiis agitur. Priori die oratores de pace verba

*) Hoc adhuc statuo; licet iam non ea de causa, quod in decreto Demosthenis (p. 235) tribus Pandionis ἡ πρυτανεύουσα dicitur, sed quod Demosthenes duabus continuis concionibus proedrus fuit (v. supra p. 100 not.) et in earum altera ὁ ἐπιψηφίσας, quem eadem de causa tum (hoc est Ol. CVIII, 2) adhuc prytanum epistatam intelligendum nec proedrum non contribulem Schoemanno concedo (de Comit. p. 92 A.) et Boeckhio (Corp. Inscr. Vol. I. p. 130 A.), qui Ol. CIX—CXI mutationem illam factam censet, ex qua ἐπιψήφισις in Senatu et in Comitiis, quae antea prytanum epistatae fuerit, ad proedros non contribules transierit. Sunt quidem, quae ad haec moneri possint: sed ea retineo. Quod enim de duabus illis continuis concionibus p. 100 (in nota) statui, in hoc, quum aliter Aeschinem secum conciliari non posse censeam, etiam nunc persto, nisi quod nunc concionum illarum priorem de sociorum iure iurando Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη φθίν., quem diem Aeschines or. in Ctes. p. 64 m. decreto confirmat, alteram, in qua invito Demosthene proedro perlatum decretum sit de admittendo ad ius iurandum cum reliquis sociis Cersobleptae legato, πέμπτη φθίν. factam, et Aeschinem, qui ἑβδόμῃ eam congregatam dicit π. παραπρ. p. 39, omnino sive consulto seu memoria falsum opinor.

faciunt, posteriori demum ad suffragia itur (v. supra p. 97), eodemque pax decernitur (Dem. π. παραπρ. p. 359. Aesch. π. παραπρ. p. 36. in Ctes. 64) simul cum foedere (v. supra p. 78), et iure iurando confirmatur. Posteriori hoc fortasse die legati etiam creantur, pacis ius iurandum a Philippo exacturi. Creati enim secundum Aeschinem erant iam ante Elaphebolionis XXIII (*ἑβδόμην φθίν.*), quo die, comitiis ante habitis, Atheniensium socii Philippi legatis ius iurandum dederunt. Aesch. π. παραπρ. p. 39 in. Cf. supra p. 100 sq. ibique not. et not. sup. Sed commorantur Athenis usque ad Munychionem III, quo die Demosthenes senatus consultum perfert de maturanda legatorum profectione. Cf. supra p. 90.

Hoc senatus consultum certe id est, de quo Demosthenes in or. de cor. p. 233 *ἐγὼ μὲν τοίνυν*, ait, *ἔγραψα βουλεύων ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται καὶ τοὺς ὅρκους ἀπολαμβάνειν*, et de quo tum ad scribam: *λέγε τοίνυν μοι τὸ ψήφισμα τουτὶ λαβών* (p. 235). Sed quod tum in or. de cor. sequitur decretum et quod ad res attinet et quod ad tempora ab illo prorsus abhorret. Illud enim senatus consultum fuit; decretum insiticium populiscitum est: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ·* illud latum est Munychione III, hoc ultimo Hecatombaeone; hoc decretum est de legatis creandis: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ πρέσβεις ἑλέσθαι*, ex eoque legati in ea ipsa concione creati sunt: *πρέσβεις ᾑρέθησαν·* illud latum erat de maturanda legatorum profectione, qui creati iam mense praecedenti erant; illud legatos iubebat *ἀπιέναι τὴν ταχίστην, τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται* (Dem. π. παραπρ. p. 389. cf. supra p. 90 sq.). Eaque scripsisse se Demosthenes ait (l. c.) *ὥσπερ νῦν λέγω, τοῖς ῥήμασιν οὕτως ἄντικρυς·* atque simillime in or. de cor. p.

233: ἔγραψα βουλεύων ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται; hoc decretum legatos iubet ἀποδημεῖν μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους, ὅπου ἂν ὄντα τὸν Φιλ. πυνθάνωνται; praeterea in hoc nihil de Proxeno. Porro Ol. CVIII, 2 pax decreta erat in secunda concione prytaniae tribus Pandionidis, quippe die demum XIX, nondum XVIII (v. supra p. 97); hic decreta pax dicitur ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ. Illi paci coniunctum etiam foedus erat (v. supra p. 78); in decreto insiticio nonnisi pax commemoratur; legatis porro, quos Ol. CVIII, 2 Munych. III citissime abire Senatus consultum illud iubebat, ius iurandum solum a Philippo exigendum erat, quippe quod confirmata iam ab Atheniensibus iure iurando pax esset Elaphebol. XIX (v. sup. p. 99); decretum insiticium non exigere solum ius iurandum legatos iubet, sed etiam dare: τοὺς ὅρκους λαβεῖν τε παρ' αὐτοῦ καὶ δοῦναι. Et creati tum iuris iurandi exigendi causa legati decem erant (v. s. p. 86); ex nostro decreto quinque creantur: πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Ἀθηναίων ἤδη πέντε. Illius porro legationis dux Aeschines fuit: τῆς πρεσβείας ὢν ἡγεμὼν ἐγώ. Aesch. π. παραπρ. p. 40 in.; huius dux Eubulus est. Idem Eubulus Anaphlystius ne intererat quidem illi ad Philippum legationi (v. s. p. 95 sq.); contra illa legatione functi sunt praeter Aeschinem Demosthenes, Philocrates, Phryno, Iatrocles, Dercylus, qui etiam priorem obierant (v. s. p. 87); nusquam in altera commemorantur Eubulus, Cephisophon, Democrates, Cleon. Neque hi omnino commemorari possunt, quippe quod alteram hanc ad Philippum legationem iidem obierint, qui etiam priorem: Aesch. π. παραπρ. p. 41 in.: πρῶτον μὲν γὰρ δέκα πρέσβεων ὄντων, ἑνδεκάτου δὲ τοῦ συμπεμφθέντος ἡμῖν ἀπὸ τῶν συμμάχων, οὐδεὶς αὐτῷ [τῷ Δημοσθένει] συσσιτεῖν, ὅτ' ἐξῄειμεν ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν, ἤθελεν,

οὐδὲ ἐν ταῖς ὁδοῖς, ὅπου δυνατὸν ἦν, εἰς ταὐτὸν πανδοκεῖον καταλύειν, ὁρῶντες αὐτὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ πᾶσιν αὐτοῖς ἐπιβεβουλευκότα.

Pergimus continuo ad decretum sequens (p. 238) de excubiis fugaque ex agris capessenda. Itaque legati, ius iurandum pacis a Philippo exacturi, Munychione III Athenis abeunt; revertuntur Scirophorione XIII, eiusdemque mensis XVI ad populum legationis eventum renunciant. V. supra p. 101 et 105. In eadem concione, quum nunciato iam Philippi ad Thermopylas adventu decretum sit, ut Phocenses templum Delphicum Amphictyonibus restituant, continuo eorum, qui modo de legatione reversi sunt, plerisque nova ad Philippum legatio demandatur. Sed Demosthenes legationem eiurat; Aeschines valetudine simulata sui loco fratrem substituit. V. supra p. 105 et 108. Cum hoc ceteri, qui creati sunt, per Euboeam ad Thermopylas tendunt; interim vero Phalaecus Sciropho r. XXIII cum Philippo paciscitur, ut sibi immuni abire liceat, ille Thermopylas et Phocidem occupet; qua de re Atheniensium legati Chalcide certiores facti, interrupto repente itinere, Athenas repetunt, eorumque Dercylus Scirophorione XXVII congregatis in Piraeeo Atheniensibus actum iam de Phocensibus esse nunciat. Qua re audita perterriti Athenienses continuo, hoc est eo ipso die aut certe proxime insequenti, Callisthene auctore decernunt: *καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν καὶ τα φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν καὶ τα Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν.* Dem. *π. παραπρ.* p. 368 coll. 379. V. s. p. 106 sq. 109 sq. Eo ipso tempore Philippus Phocidem ingressus urbes, quae resistere ausae sunt, vi cepit et evertit, in reliquis, quae sponte deditionem fecerant, praesidia constituit. V. s. p. 113 sqq.

De illo Callisthenis decreto manifesto Demosthenes or. de cor. p. 237, commemoratis vanis illis pro-

missis, quibus Aeschines, ex altera ad Philippum legatione reversus, populum deceperit, *τί οὖν συνέβη,* ait, *μετὰ ταῦτ' εὐθὺς, οὐκ εἰς μακράν; τοὺς μὲν ταλαιπώρους Φωκέας ἀπολέσθαι καὶ κατασκαφῆναι τὰς πόλεις αὐτῶν, ὑμᾶς δ' ἡσυχίαν ἄγοντας καὶ τούτῳ πεισθέντας σμικρὸν ὕστερον σκευαγωγεῖν ἐκ τῶν ἀγρῶν·* atque paullo post: *λέγε μοι τὸ τοῦ Καλλισθένους ψήφισμα.* At quod tum sequitur Callisthenis decretum ab illo prorsus diversum est. Illud enim si latum eo ipso die est, quo Dercylus nuncium attulit de pacto Phalaeci, id quod probare Demosthenis verba videntur: *καὶ ὑμεῖς ταῦτ' ἀκούσαντες εἰκότως κἀκείνοις συνήχθεσθε καὶ αὐτοὶ ἐξεπέπληχθε, καὶ ἐψηφίζεθε καὶ παῖδας καὶ γυν. κ. τ. λ.* (*π. παραπρ.* p. 379), non latum est in concione a praetoribus convocata (*συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν*, quod praescriptum est decreto insiticio). Congregatam enim iam Scirophorione XXVII Dercylus concionem in Piraeeo et de navalibus agentem invenit (Dem. *π. παραπρ.* p. 359). Quod si minus constet, latum tamen decretum Callisthenis illud utique est die Scirophorionem XXVII proxime insequenti, non Maemacterione XXI, quem decretum insiticium praefert. Praeterea nihil in hoc decreto legis de mulieribus puerisque in urbem asportandis, nihil de Piraeeo castellisque communiendis, nihil de Heracleis non foris, sed in urbe agendis.

Quae quum ita sint, quid statuendum restat de hoc Callisthenis illoque decreto Demosthenis? Atque Demosthenis certe decretum ita illi Senatus consulto repugnat, quod latum est Olymp. CVIII, 2 Munychione III de maturanda legatorum profectione, ut nec mutilatum nec quacumque ratione depravatum illud reperire in nostro queas. Nam quod hoc, ut illud, auctore latum est Demosthene, et tribu eadem Pandionide, quod praeterea in hoc decernitur, ut legati sine mora abeant eo, *ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται*

τὸν Φίλιππον, id quod illud quoque iubebat, quamquam ipsum etiam hoc aliis verbis (v. supra), id certe nihil valet, si conferatur cum reliquis, in quibus decretum hoc omni ex parte ab illo diversum esse monstravimus. Quid igitur? Fictumne universum iudicemus decretum, quod suspicatus est Contarenus in Variis Lectionibus, ubi de fide huius psephismatis disputavit? At quisquis fuit, qui miro eiusmodi lusu ingenii delectatus sit, is num ex solo suo ingenio archontem etiam Mnesiphilum evocarit pseudeponymum et mensem Hecatombaeonem, et Pandionidem tribum, et πρώτην illam ἐκκλησίαν, et quinque legatos eorumque non nomina solum, sed cognomina etiam demotica? Miri sane is ingenii fuisset homo, in quo hoc maxime mirandum esset, quod verba decreti a se inventi ad Demosthenis enarrationem magis neglexisset accommodare. Ille enim ἔγραψα βουλεύων, ait, ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται· decretum: ἀποδημεῖν μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους, ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται τὸν Φ. Mirandum praeterea esset, quod Aeschinem non primo inter legatos loco constituisset, denique, id quod gravissimum est, quod eorum numero omnino exclusisset Philocratem Agnusium, quem diserte Aeschinis collegam in praecedentibus (p. 232) Demosthenes nominavit *). Sed res eiusmodi est, ut

*) Hisque et maxime τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ satis mea sententia refellitur Spengelius, qui in Comment. de archontibus pseudeponymis in Dem. or. de cor. quam novissimo Musei Rhenani fasciculo (II. 3) insertam modo perlegi, decretum hoc esse quidem illud Demosthenis de maturanda legatorum profectione, Ol. CVIII, 2 Munychione III latum, opinatur, sed partim mutilatum, partim interpolationibus admodum vitiatum ab homine indocto quodam, qui legatorum primum nomina, quae decreto suo non adscripserit Demosthenes, quod creati iam ante

diutius in ea morari supervacaneum videatur. Reprimunt enim eiusmodi suspicionem reliqua monumenta, orationi huic inserta, quorum omnium ea est conditio, ut etiamsi in singulis depravata quaedam aut mutilata deprehenderis, omnia tamen certe non

---

fuissent legati, suo ex ingenio addiderit, et Eubulum quidem mutuatus sit ab ipso Demosthene (de cor. p. 232), Aeschinem, Cephisophontem, Cleonem desumpserit ex Aeschinis libello (de cor. p. 243), Democratem ex decreto Demosthenis (de cor. p. 289), quibus quinque hoc modo additis, irrepsisse etiam in decretum coniicit illud *πρέσβεις ἑλέσθαι ἤδη πέντε*. Eundem finxisse etiam contendit Spengelius archontem Mnesiphilum, sicuti reliquos pseudeponymos, quotquot praefixi sint decretis orationi de cor. insertis, et delapsum etiam esse in Hecatombaeonem ultimum, quod pax in decreto cnmposita feratur *ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, item in decreto sequenti, Callisthenis, in Maemacterionem XXI, quod hoc latum Demosthenes dixerit brevi post quam legati tres totos menses in Macedonia commorati Athenas redissent. Eadem fere nos suspicati antea sumus. Sed quod ipsi nunc facimus, reprobrantes quae supra minus recte statuisse intelleximus, idem spero facturum Spengelium esse postquam Boeckhii de archontibus pseudepon. commentationem perlegerit, et fortasse mea etiam haec, si ea, id quod conor, ad confirmandam Boeckhii opinionem utile aliquantum attulerint, mutaturumque eum praesertim eam sententiam esse, ex qua omnes et archontes et menses etiam diesque, qui praescripti actis publicis sunt orationi de cor. insertis, fictos iudicavit. Atque ne hic ultra primum illud decretum evager, in eo quod de legatis ab interpolatore additis coniecit Spengelius, satis mihi refutatum videtur iis, quae supra monita sunt; quod de Hecatombaeone ultimo, ex *τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ* nato, ipsa hac *πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, quippe quod non *ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, nec, quod mavult Spengel., *προτεραίᾳ*, pax composita sit, sed *ἐν τῇ δευτεραίᾳ*, Ol. CVIII, 2 Elaphebol. XIX; unde maxime liquet decretum hoc prorsus

ex grammatici alicuius aut rhetoris ingenio fluere potuisse, sed omnino ea antiquis monumentis niti concedas necesse sit. Ad quod confirmandum vel ipsae valent discrepantiae, quibus monumenta laborant,*)

ab eo diversum esse, quod latum a Demosthene est Ol. CVIII, 2 Munychione III de maturanda legatorum profectione.

Idem Callisthenis decretum (de cor. p. 238) non diversum existimat ab illo, quod latum est Ol. CVIII, 2 Sciroph. XXVII, nisi quod hic etiam fictus archon, fictus etiam mensis et dies ab interpolatore praescripti sint. Nempe Heraclea intra moenia agi, non eodem Callisthenis iussum esse decreto, sed Diophanti, quod simul cum illo memorat Demosthenes *π. παραπρ.* p. 368. — At Diophanti decretum ad Ol. CVII, 1 referendum est, et latum est non de *σκευαγωγίᾳ*, nec de Heracleis, sed de pompis et supplicationibus quibus gratias diis agerent Athenienses ob Philippum ad Thermopylas repressum Ol. CVII, 1. Prius gloriose actis Demosthenes l. c. opponit recentia, quae per legatorum perfidiam dedecori detrimentoque civitatis confecta sint: *καὶ μάταια μὲν ἡ πρότερον βοήθεια εἰς Πύλας* (Ol. CVII, 1) *ὑμῖν γέγονεν, ἣν μετὰ πλειόνων ἢ διακοσίων ταλάντων ἐποιήσασθε* (p. 367 extr.). Tum p. 368 in.: *λέγε δὴ τὸ ψήφισμα λαβὼν τὸ τοῦ Διοφάντου καὶ τὸ τοῦ Καλλισθένους, ἵν' εἰδῆτε ὅτι, ὅτε μὲν τὰ δέοντ' ἐποιεῖτε, θυσιῶν καὶ ἐπαίνων ἠξιοῦσθε — ἐπειδὴ δ' ὑπὸ τούτων παρεκρούσθητε, παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατεκομίζεσθε καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐντὸς τείχους θύειν ἐψηφίζεσθε εἰρήνης οὔσης.* Atque recitare statim unum decretum iubet, Diophanti, quo recitato, *ταῦτα μὲν τότε* (Ol. CVII, 1), ait, *ἄξια, ὦ ἄ. Ἀθ., τῶν πεπραγμένων ἐψηφίσασθε. λέγε δὲ τὰ μετὰ ταῦτα* (decretum Callisthenis eadem nimirum pagina post illud Diophanti decretum perscriptum). Recitatur decretum, pergit Domosthenes: *ταῦτα τότ'* (Ol. CVIII, 2) *ἐψηφίζεσθ' ὑμεῖς διὰ τούτους.*

*) Eiusmodi discrepantia una v. c. est, quod Cottyphus in decreto Amphictyonico II. (p. 279) Arcas vocatur

nec minime archontes illi pseudeponymi, quorum vix ullus est, qui in fastis locum habeat. Aliter in eo, qui illa commentus esset, et miram sane Atticae antiquitatis cognitionem et mirabiliorem etiam inscitiam invenires.

Quae quum ita sint, Demosthenis decretum patet ad alias res aliaque tempora referendum, itaque iusto suo loco motum et falso illic esse insertum. Et commodissime referri cum Boeckhio (in Comment. de archontib. pseudepon. p. 22) posse supra (cap. V.) iudicavimus ad pacem inter bellum Byzantium alteramque Philippi in Graeciam impressionem cum Philippo compositam, quam plerumque addubitatam Boeckhii vestigiis insistentes restituere l. c. conati sumus; minus commode ad pacem Ol. CX, 3 post cladem Chaeronensem conciliatam. Itaque Mnesiphilus archon, qui decreto huic praefixus est, ad primam prytaniam pertineat Ol. CX, 2, archonte epon. Lysimachide. —

---

quem Aeschines Pharsalium nominat, de qua egimus cap. V. p. 212 not. Alia offendit in libello de absoluto in *γραφῇ παρανόμων* Demosthene (p. 261). Eum enim, qui instituta *γραφῇ παρανόμων* causa ceciderit, neque quintam saltem suffragiorum partem tulerit, mille drachmis multari moris fuisse, ita constat, ut nemo ea de re aliud quidquam statuerit. V. Schoem. de Comitt. p. 166. At in illo libello legitur: *καὶ ἀπήνεγκε παρανόμων γραφὴν Δημοσθένει Πατροκλῆς Φλυεύς, καὶ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβὼν ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς.* De qua memorabili sane discrepantia nihil aliud certe statuendum sit, quam in quodam gravissimarum legum genere, quo facilius rogationes impugnari, eoque acrius examinari possent, minorem nec nisi solemnis multae dimidiam partem esse contra accusatorem lege statutam.

Eundem Mnesiphilum alterum etiam decretum, Callisthenis, praefert. Unde ad eiusdem anni Maemacterionem referendum illud esse coniicias. Sed haec sententia multis de causis minus probatur. Primum, quod auctor decreti Callisthenes est idem qui Ol. CVIII, 2 Scirophorione XXVII decretum tulit similis argumenti; tum quod Ol. CVIII, 2 Maemacterione vigiliarum in castellis habendarum fugaeque ex agris capessendae nulla adhuc Atheniensibus instabat necessitas, quippe quod Philippus eodem quidem anno, sed mense demum Elaphebolione Graeciam ingressus sit. Sin igitur post Philippi impressionem decreta est Athenis σκευαγωγία, referenda ea erit ad Ol. CX, 2 Elaphebolionem aut Scirophorionem, aut consecuta demum sit post cladem Chaeronensem Ol. CX, 3 Metagitnione, id quod maxime verisimile est, quod tum similis argumenti decretum latum est ab Hyperide. Cf. cap. VI. p. 263. Neque decretum hoc referri potest ad eam σκευαγωγίαν, quae facta est Ol. CXI, 2 allato Athenas nuncio de Thebis ab Alexandro excisis. Haec enim incidit in tempus Magnorum Mysteriorum, hoc est in mensem Boedromionem. V. Arrian. exp. A. I, p. 28 Blancard. Quae quum ita sint, ob Callisthenem praesertim, decreti auctorem, rursus ad belli Phocensis finem redeundum videtur. Neque invenies quod probabilius de decreto hoc statui possit eo, quod coniecit Boeckhius l. c. p. 9: paulo post Scirophorionem Ol. CVIII, 2 redisse ad securitatem Atheniensium animos, sed aliquot mensibus post eundem Callisthenem ob recentem aliquam formidinem denuo simile decretum proposuisse insequenti Maemacterione, omissis tamen iis, quae de Heracleis, item quae de Piraeeo et castellis muniendis dicta erant, propterea, quod haec munita erant interim, ita ut deferri supellex in munitos illos locos

potuerit, *εἰς Ἐλευσῖνα καὶ Φυλὴν καὶ Ἄφιδναν καὶ Ῥαμνοῦντα καὶ Σούνιον.*

Scilicet Ol. CVIII, 3, occupata praecedentis anni Scirophorione extremo Phocide, Philippus concilium Amphictyonum Delphis constituit, de Phocensium poena iudicaturum, ad quod Aeschines legatus abit paulo post Scirophorionem illum XXVII. V. supra p. 111. Et abisse eum Demosthenes dicit *ἐπειδὴ ὁ Δερκύλος ἐκ τῆς Χαλκίδος ἧκεν ἀναστρέψας καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ἐκκλησιάζουσιν ἐν Πειραιεῖ ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασι, καὶ ὑμεῖς ταῦτ' ἀκούσαντες — καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐψηφίζεσθε καὶ τα φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν — ἐπειδὴ ταῦτ' ἦν καὶ τοιαύτη ταραχὴ [τηνικαῦτα ὁ σοφὸς — οὑτοσὶ ᾤχετο πρεσβεύων]* (*π. παραπρ.* p. 379). Ipseque Aeschines *ἐσκευαγώγησαν ἐκ τῶν ἀγρῶν Ἀθηναῖοι*, ait, *πρεσβεύοντος ἐμοῦ τὴν τρίτην ἤδη πρεσβείαν ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτύονας* (*π. παραπρ.* p. 46. med.). Unde decreto Callisthenis, Scirophorione XXVII lato, obtemperatum statim esse liquet. Quam ob rem de his nimirum apparatibus certior factus Philippus epistolam Atheniensibus misit eam, quae exstat in or. de cor. p. 238 extr., in qua *τοῖς ὅλοις*, ait, *οὐδὲν μέτριόν μοι δοκεῖτε ποιεῖν τὴν εἰρήνην συνθέμενοι καὶ ὁμοίως ἀντιπαρεξάγοντες. — ὥστ' ἐὰν μὴ ἐμμένητε τοῖς ὡμολογημένοις οὐδὲν προτερήσετε ἔξω τοῦ ἐφθακέναι ἀδικοῦντες.* Hac epistola verisimile est redisse quodammodo ad securitatem Atheniensium animos, quum praesertim eodem tempore congregaretur Amphictyonum concilium de Phocensibus iudicaturum. Sed in hoc Amphictyonum concilio, quod, ut supra monstravimus, congregatum est ineunte Ol. CVIII a. 3, decretum latum est illud de Phocensium excidio deque Philippo in Amphictyones recipiendo, quo exacerbatos Athenienses a ludis etiam Pythicis, qui anno exeunte agebantur mense Munychione, prorsus abstinuisse Demo-

sthenes refert π. παραπρ. p. 380. Quid igitur veri est similius, quam, quum ex decreto illo Philippus ad exsequenda Amphictyonum iussa exercitus rursus moveret, Athenienses denuo Callisthenis illud decretum revocasse aut quod minus illi obtemperatum sit, severius edixisse*), omissis tamen iis, quae de Heracleis, item quae de Piraeeo castellisque muniendis antea dicta erant, propterea, quod haec munita interim essent? Certe ad hanc sententiam optime quadrat mensis decreti Maemacterio, si quidem continuo post occupatam a Philippo Phocidem, primis itaque mensibus Ol. CVIII, 3 concilium Amphictyonum convenerat. Nam deinde etiam ad bellum Athenienses fuisse compositos, oratio de pace testatur, exeunte Ol. CVIII, 3, haud dubie ante Pythia, habita, quum Philippi Thessalorumque legati Athenas advenerant, postulaturi, ut Athenienses decretum de Philippo in Amphictyones recipiendo sua quoque sententia comprobarent. In illa enim Demosthenes Athenienses, ut ne περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς bellum, quod grave eis et periculosum sit futurum, movere velint, dehortatur. Denique post res in Phocide confectas securitatem Atheniensium saepius simili modo turbatam esse, atque Ol. CVIII, 2 Scirophor. XXVII, haud obscure Demosthenes indicat, quum continuo post recitatum Callisthenis illud decretum or. π. παραπρ. p. 368 καὶ μὴν μετὰ ταῦτα, ait, ὁσάκις πρὸς Πορθμῷ ἢ πρὸς Μεγάροις ἀκούοντες δύναμιν Φιλίππου καὶ ξένους ἐθορυβεῖσθε, πάντες ἐπίστασθε κ. τ. λ., ita ut nihil iam omnino obstet, quominus decretum Callisthenis insiticium ad recentiorem aliquam formidinem referatur.

---

*) Id coniici possit ex verbis decreti: ὃς δ' ἂν ἀπειθήσῃ τῷ ψηφίσματι τούτῳ, ἔνοχος ἔστω etc.

Itaque haec duo decreta quum manifesto loco suo mota et cum iustis confusa sint, omnia monumenta publica, quae in oratione de corona inveniuntur, iure contendit Boeckhius (l. c. p. 19) non a Demosthene esse profecta, sed posterioribus temporibus ab homine quodam laborioso collecta, ut rerum gestarum explicationi inservirent. Atque profecto non casu factum sit, non defessa librariorum manu, quod inde a media oratione omnia acta publica in omnibus codicibus desiderantur; sed idem ille homo operam nimis arduam, quum eam ad mediam usque orationem continuasset, tum aut fato interruptus imperfectam reliquerit, aut, quod magis placeat, defessus et in celebri illo Demosthenis decreto subsistens, ex quo proelium Chaeronense concitatum est, sponte intermiserit. Quae sententia eo etiam confirmari potest, quod monumenta illa in quibusdam codicibus partim desunt partim a recentiore manu in margine aut in ima pagina adscripta leguntur. Cf. Bekker. ad p. 235 et 238. Unde vero ea desumpta sint? Nimirum aut ex ipso Atheniensium tabulario, aut, quae ipsae ex illo fluxerunt fonte, ex monumentorum collectionibus, posteriori tempore compositis. Fuisse enim antiquitus, praeter inscriptionum collectiones, *ψηφισμάτων συναγωγὴν* aut libros *περὶ ψηφισμάτων* a Cratero Macedone compositos constat, de quibus nuper Boeckhius uberrime egit in praef. ad Corp. Inscr. §. II; ex quo Crateri opere vel ex similibus collectionibus alios petisse, qui decreta nobis Attica servarint, ipsaque haec monumenta orationi de cor. inserta fluxisse, idem ibidem suspicatur. Et hac certe sola via, persuasum mihi habeo, explicari plurima, ne dicam omnia posse, quae in monumentis his lectorem offendant. Primum quas in duobus prioribus decretis modo deprehendimus difficultates. Alterius decreti initio rogator affertur *Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαληρεύς·* in eiusdem fine additur rursus;

εἶπε Καλλισθένης Φαληρεύς. Item p. 253 initio decreti legitur: Ἀριστόνικος Φρεάῤῥιος εἶπεν: in fine iterum additur: εἶπεν Ἀριστόνικος Φρεάῤῥιος. Haec certe additamenta non possunt ex autographis Demosthenis profecta esse; neque videas, cuinam usui addita postea a librariis fuerint. Sed locum habere poterant in tabulario publico, ut infra monstrabimus, indeque alio traduci. In aliis contra miraris rogatorem omnino deesse, ut in psephismate de absoluto in γραφῇ παρανόμων Demosthene p. 261, et in decretis duobus p. 282 de induciis a Philippo rogandis. At ex his primum non rogatio est, sed relatio ad populum, ex reliquis duobus alterum βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμῃ, alterum πολεμάρχου γνώμῃ conscriptum; hoc igitur ab ipso haud dubie polemarcho; in illo auctoris nomen propterea non additum fuerit, quod non rogatum sit, sed senatus praetorumque iussu et auctoritate ab ipso fortasse scriba senatus conscriptum. Verumenimvero certiora etiam recentioris manus vestigia, a qua collecta haec monumenta sint, in eis appareant, quae contra oratoris mentem omissa, aut decurtata deprehendas. Atque eiusmodi non hoc quidem esse iudico, quod p. 264 orator quatuor memorat, qui, sicut ipse a Ctesiphonte, coronati sint pro beneficiis in rem publicam sparsis: Nausiclem, Diotimum et Charidemum, denique Neoptolemum, tum recitari iubet decreta, quae in eorum honorem lata sint; quorum tamen nonnisi de Nausicle unum, alterum de Charidemo Diotimoque affertur, de Neoptolemo nullum exstat. Scilicet hoc ab ipso Demosthene non recitatum contendo, quod Neoptolemus ipse inter auditores assidebat: εἶθ' οὑτοσὶ Νεοπτόλεμος, πολλῶν ἔργων ἐπιστάτης ὤν, ἐφ' οἷς ἐπέδωκε τετίμηται (p. 264). Verisimilius omissa quaedam decreta dixerim p. 250, quo loco Demosthenes disserit de pace navigiorum raptu soluta. Etenim orator recitari primum

iubet Eubuli decretum; tum τοῦτο μὲν τοίνυν τὸ ψήφισμα, ait, Εὔβουλος ἔγραψεν, οὐκ ἐγώ, τὸ δ' ἐφεξῆς Ἀριστοφῶν, εἶθ' Ἡγήσιππος, εἶτ' Ἀριστοφῶν πάλιν, εἶτα Φιλοκράτης, εἶτα Κηφισοφῶν — ἐγὼ δ' οὐδὲν περὶ τούτων. Deinde: ὥςπερ τοίνυν ἐγὼ ταῦτα δεικνύω τὰ ψηφίσματα, οὕτω καὶ σὺ δεῖξον. Ex quibus probabile fit, plura ad eandem rem pertinentia decreta recitari iussisse Demosthenem; plura certe eadem de re lata esse, docet Aristophontis decretum, id quod solum exstat l. c., reliquis, nimirum contra mentem oratoris, omissis. Ante hoc decretum quidem leguntur haec Demosthenis verba: λέγε τὸ ψήφισμα, ac si re vera unum tantummodo decretum recitandum sit. Sed in his solum λέγε genuina esse lectio videtur, τὸ ψήφισμα omittente Cod. Bekker. bonae notae, aliis inter ψήφισμα et βούλευμα fluctuantibus. — Minoris momenti est, quod p. 282 Demosthenes decem proponit legatos Thebas mittendos, in eo quod sequitur decreto nonnisi quinque enumerantur. Aut enim quinque solummodo creati sint, aut hi principes legationis fuerint. — At p. 266 Demosthenes scribam recitare universum iubet Ctesiphontis decretum (ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα ὅλον τὸ γραφέν μοι). In decreto leguntur haec: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἐπαινέσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα ἀρετῆς ἕνεκα καὶ καλοκἀγαθίας, ἧς ἔχων διατελεῖ ἐν παντὶ καιρῷ εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς. At Aeschines plura legerat in Ctesiphontis decreto: Αἰσχίνης — ἀπήνεγκε π. τ. ἄρχοντα παρανόμων γραφὴν κατὰ Κτησιφῶντος, scriptum est in accusationis libello (p. 243), ὅτι ἔγραψε παράνομον ψήφισμα, ὡς ἄρα δεῖ στεφανῶσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα χρυσῷ στεφάνῳ, καὶ ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις τραγῳδοῖς καινοῖς, ὅτι στεφανοῖ ὁ δῆμος

Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα χρυσῷ ϛεφάνῳ ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ, καὶ πρόθυμός ἐστι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν —· πάντα ταῦτα ψευδῆ γράψας —. Eaque ad verba ex decreto Ctesiphontis desumpta agnoscit etiam Demosthenes in iis, quae continuo sequuntur: *τοῦ μὲν οὖν γράψαι πράττοντά με καὶ λέγοντα τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ διατελεῖν καὶ πρόθυμον εἶναι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνωμαι ἀγαθόν* (p. 244). Idem p. 253 decretum Aristonici conscriptum esse ait iisdem syllabis, *ὥϛπερ οὑτοσὶ Κτησιφῶν νῦν γέγραφε.* In hoc autem legitur: *καὶ διατελεῖ εὔνους ὢν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων, καὶ λέγει καὶ πράττει ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθὸν ὑπέρ τ' αὐτῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων.* Denique Aeschines ipse eadem et fortasse etiam plura confirmat or. in Ctes. p. 60 m. his: *ἔστι δ' ὑπόλοιπόν μοι μέρος τῆς κατηγορίας, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζω. τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ πρόφασις, δι' ἣν αὐτὸν ἀξιοῖ στεφανοῦσθαι. λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ ψηφίσματι· καὶ τὸν κήρυκα ἀναγορεύειν ἐν τῷ θεάτρῳ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὅτι στεφανοῖ αὐτὸν ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἀνδραγαθίας καὶ τὸ μέγιστον ὅτι διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ.* Item vocem *ἀνδραγαθίας ἕνεκα* confirmat p. extr.; reliqua p. 87 extr.: *εἰ δ' ἥξεις ἐπὶ τὸ δεύτερον μέρος τοῦ ψηφίσματος, ἐν ᾧ τετόλμηκας γράφειν, ὡς ἔστιν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων.* Ibidem paucis ante: *εἰ μὲν γὰρ λέγεις, ὅθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ ψηφίσματος ἐποιήσω, ὅτι τὰς τάφρους τὰς περὶ τὰ τείχη καλῶς ἐτάφρευσε, θαυμάζω σου.* Unde manifesto liquet, altera certe parte, fortasse etiam initio decurtatum id Ctesiphontis decretum esse, quod in

oratione de corona repraesentatur. Itaque universum decretum recitari iussit Demosthenes, decurtatum repraesentatur, et decurtatum ita, ut quae desunt ea non casu omissa videantur, sed de industria. Lacunae enim vestigia deprehendis nulla. Quid multa? Decretum etiam quod superest Ctesiphontis, non id est, quod Ol. CX, 3 Pyanepsione XXII senatui comprobandum tradiderat Ctesiphon his fere verbis conscriptum: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἐπαινέσαι Δημοσθένη Δημοσθένους Παιανιέα ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ βέλτιστα τῷ δήμῳ, καὶ πρόθυμός ἐστι ποιεῖν ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν*, in quae decreti verba oratione sua acerrime invectus est Aeschines. Ol. CXII, 3, quum causa in iudicio acta esset, absolutus quidem est Ctesiphon, Aeschines ad multam drachmarum mille, quae legibus statuta erat, solvendam damnatus, confirmatumque eo est senatus *προβούλευμα* de coronando Demosthene, sed non item omnia ea etiam decreti verba, quibus collaudaturus praeco Demosthenem erat. Audita Aeschinis oratione effusius a Ctesiphonte scriptum praeconium videri poterat. Offendebat, quod erga omnes etiam Graecos propensum constanter animum habere Demosthenes diceretur, quippe quod Ol. CXII, 3, quum Graecorum tumultus in Peloponneso ortus ab Antipatro vix oppressus erat, suspicionem apud Macedoniae reges movere contra Athenienses potuerit, si publice in theatro recitaretur ederetur-que; offendebat, quod *ἀνδραγαθίας ἕνεκα* collaudandum Demosthenem esse Ctesiphon scripserat, si vere criminari Demosthenem Aeschines visus sit, quod abiecto turpiter clypeo ex pugna Chaeronensi fugam cepisset, item postea, quum Ol. CXI, 2 Thebis dirutis legationem ad Alexandrum obiens medio ex Cithaerone

metu correptus effugisset (Aesch. in Ctes. p. 76 med.); offendebant denique verba *καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων ὅ τι ἂν δύνηται ἀγαθόν*, quod re vera, transgresso in Asiam Alexandro, neque florente adhuc Dario, neque quum nuperrime a Lacedaemoniis bellum pro libertate motum esset, ad recuperandam libertatem utile quidquam civitati suasisset (Aesch. in Ctes. p. 77), ad quae Aeschinis opprobria nihil quidquam respondere Demosthenem, sane mirandum est. Haec igitur omnia quum non mera calumnia ab Aeschine exprobrari viderentur, placuit aut iudicibus, aut ex iudicum sententia populo, ut laudes Demosthenis lenioribus verbis pronunciarentur, quam quae scripta olim a Ctesiphonte sunt et comprobata a senatu. Itaque exstincta in primis sint verba *εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας*, pro *ἀνδραγαθίας* lenior vox reposita *καλοκἀγαθίας*, omissis etiam sequentibus: *καὶ διότι διατελεῖ πράττων καὶ λέγων τὰ ἄριστα κ. τ. λ.*, et decretum omnino ita compositum sit, eo ut rerum circa cladem Chaeronensem gestarum memoria quam posset maxime aboleretur, et quae inde moveri posset amoveretur suspicio. Atque mutatum ita *προβούλευμα* a populo confirmatum coniicio. Quo facto quum a scriba in tabulario repositum esset, inde in orationem de corona traductum rursus pateat non a Demosthene ipso, sed tempore posteriori.

Atque hanc solam de monumentis his opinionem, quam confirmare modo conati sumus, persequentibus deprehendi etiam posse nobis videatur, quid sibi velint archontes illi pseudeponymi, in quibus explicandis tot virorum doctorum cura sagacitasque haerebat. Quos quidem archontes ad annos designandos, itaque eponymorum loco afferri, eo quam maxime liquet, quod archonti ubique additus est mensis et dies, atque, ne pluribus verbis de re per se clarissima opus sit, maxime perspicue hoc pseudeponymus Mnesithi-

des docet (p. 279), ex quo et addito Anthesterione XVI definiuntur *Χρόνοι*, quos recitari Demosthenes iubet, ut doceat, quo tempore, hoc est quo anno menseque Aeschines Pylagoras creatus bellum adversus Amphissenses Amphictyonicum concitarit. V. cap. V. Quod quum eponymo Theophrasto factum sit, eo ipso statim refutatur Dodwelli opinio, qui archontes hos senatus esse epistatas censuit, item Palmerii Corsinique, qui eos thesmosthetas, reges aut polemarchos esse opinati sunt, actis praescriptos, non ut ex iis anni designarentur, sed quod senatui et comitiis praesedissent iis, in quibus actae illae res fuerint. Subsistendum igitur in una sit Schoemanni opinione, qui ad designandos quidem annos decretis eos praescriptos coniecit, non tamen eponymos, sed eponymorum tamquam suffectos, qui eponymi magistratu fungerentur, dum ille ab administrando munere seu morbo sive alia causa impeditus esset (de Comit. p. 137 sqq.). Quibus tamen haec etiam sententia laboraret difficultatibus, ipse satis sentiebat Schoemannus ingenueque professus est. Incredibile enim primum est, ex suffectis istis archontibus annos omnino designari potuisse, aut mira sane inconstantia et perturbatione laborasse fastos Atticos credendum sit. Atque Ol. CVI, 2 aut CVII, 2 quidem praeter Callistratum aut Thessalum qui fastis consignati sunt, unum reperimus pseudeponymum Boedromione mense Demonicum (p. 265), item Ol. CVIII, 3, praeter fastorum eponymum Archiam, Mnesiphilum mense Maemacterione (p. 238); Ol. CX, 3, praeter fastorum Chaerondam, pseudeponymum Euthyclem (p. 266). At brevi eo trium annorum spatio, quod inter Ol. CIX, 4 et CX, 3 intercessit, undecim archontes eponymi pseudeponymique numerantur:

Ol. CIX, 4, quem fasti exhibent, Nicomachus;
Boedromione Neocles (p. 249 et 250)
Gamelione Chaerondas (p. 253).

Ol. CX, 1 fastorum Theophrastus;
Boedromione Polycles (p. 261).
Anthesterione Mnesithides (p. 279).
Quartus afferri potest Nicias (p. 273), licet minus certe*), isque Hecatombaeone iam tertio.

Ol. CX, 2 ex fastis Lysimachides; ex decretis Mnesiphilus (p. 235), isque rursus ineunte anno, quippe ultimo Hecatombaeone**).
Elaphebolione et Munychione Heropythus (p. 282).
Scirophorione Nausicles (p. 289).

Toties igitur si per annum mutaretur eponymus, vix Athenienses dixeris percipere tempus accurate potuisse, archontem temporis designandi causa ex decretis recitatum audientes. Ex nostris autem illis Mnesithides certe ibi affertur, ubi recitare Demosthenes scribam iubet, quando Aeschines creatus pylagoras sit, id quod archonte Theophrasto factum esse, ipse testatur Aeschines in Ctes. p. 69 extr. Praeterea Demostheneae aetatis archontes eponymi optime explorati sunt. Afferunt eos ex annorum ordine scriptores, Diodorus maxime, Philochorus, Dionysius Hal. (in epist. ad Amm. et in iudic. de Din.), con-

*) Hunc enim etiam ad praecedentem annum referri posse, in sequentibus accuratius explorabimus.

**) Poteris hunc quidem ex hoc pseudeponymorum numero omnino eximere et aut ad Ol. CX, 3 referendum, aut omnino falsum iudicare (quod infra examinabimus); neque tamen eo argumentatio nostra quidquam infirmabitur.

firmant ex parte inscriptiones, confirmat ipse denique Aeschines: Theophrastum l. c., Themistoclem (Ol. CVIII, 2) p. 62 med., Chaerondam (Ol. CX, 3) p. 57 extr. At quotquot actis orationi de cor. insertis archontes inveniuntur, uno Chaeronda excepto in Aeschinis libello, quo Ctesiphontem accusavit, omnes ab illis omnino abhorrent, quod certe casu fieri nequaquam potuit, ideoque Schoemanni opinioni maxime obstat. Sed haec a nobis non sunt longius persequenda. Accuratissime enim et hanc et aliorum virorum doctorum opiniones examinavit Boeckhius l. c. p. 17 sq.

Quae quum ita sint, quum archontes isti neque eponymi sint, nec eponymorum suffecti, nihilominus ad annos manifesto designandos decretis praescripti sint, denique quum ne vitii quidem nominibus allati ulla possint vestigia deprehendi, errori eos deberi patet, non pristinis Atheniensium institutis. Atque ipsa certe etiam forma, qua praescripti decretis isti pseudeponymi sunt, ab ea plerumque abhorret, quam solemnem in actis senatus populique fuisse, inscriptionum, quae aut ad ipsam aetatem Demostheneam pertinent, aut ei proximae sunt, constantia docet. In quibus primum solemne est, ut vox *ἄρχοντος* sequatur nomen, v. c. hac formula: *ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος.* In nostris vox *ἄρχοντος* nomen proprium plerumque praecedit, ut *ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου, ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους.* Haec forma in recentissima demum aetate Romana invaluit, ut docent inscriptiones, quas Boeckhius edidit in Corp. Inscr. Gr. Vol. I. P. II. Cl. IV. — Porro in Aristonici decreto p. 253 archontis nomini additum est patris nomen: *ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγέμονος**) *ἄρχοντος*, quod in inscriptionibus nusquam

*) Codd. quidem plerique *Ἡγέμονος* quod August. quar-

reperies, ne ad discernendos quidem archontes cognomines, quippe qui nonnisi ex decessore discernantur, ut ἐπὶ Διονυσίου τοῦ μετα Παράμονον ἄρχοντος in notissima musei Naniani inscriptione ap. Boeckh. Corp. Inscr. nr. 124. Insolitus prorsus est in archonte epon. designando casus nominativus: ἄρχων Δημόνικος p. 265*), et quod additur demoticum nomen Φλυεύς, quod, sicuti patris nomen, in inscriptionibus non additur, nisi aut scribae secundum prytaniam, ut docent decreta, quae in inscriptionibus servantur ap. Boeckh. Corp. Inscr. Gr. Vol. I. Inscr. Att. Cl. I. nr. 81, 90, 111, 112, 113, 122 et decret. de Antiphonte ap. Pseudoplut. vit. X. orr. p. 225. ed. H., aut proedro, qui populum in suffragium mittebat, ut docent decreta modo laudata, tum nr. 96 et 105 ap. Boeckh. l. c. atque decretum in honorem Zenonis conditum ap. Diogen. Laert. VII. 10.**) Con-

---

tus positum habet post ἄρχοντος, ac si ἡγεμόνος vera sit lectio, idque nihil sit nisi explicatio vocis ἄρχοντος, a librario quodam apposita. At haec cur uno hoc loco addita sit, quum desit in reliquis omnibus, non intelligo. Quam ob rem patris esse nomen contendo, legendumque Ἡγήμονος, unde in appellativum nomen librarii facile delapsi sunt. Ἡγήμων notum Demostheneae aetatis nomen est et confirmatum Demosth. de cor. p. 320. Aesch. p. 57 med. Harpocrat. et Suid. v. Ἡγήμων et Etym. M.

*) Decretum secundum post Pseudo-Plut. vitt. X oratt. habet sane praescriptum Ἄρχων Πυθάρατος. Quem tamen quum ipsa continuo excipiat rogatio: Λάχης αἰτεῖ δωρεὰν τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον κ. τ. λ. omissis ceteris genuinis praescriptis, a viro docto quodam praescriptum patet, ut annus constaret, quo lata rogatio sit, et casu quidem nominativo, quo praescribere etiam Philochorum eponymos constat suae rerum gestarum enarationi, per annos dispositae.

**) In tabulario notatum quidem erat etiam nomen archon-

tra iidem illi magistratus, scribam secundum prytaniam dico et τὸν ἐπιψηφίζοντα, quorum hic ubique ll. cc. adfertur, ille duobus modo deest (nr. 96 et 105 ap. Boeckh l. c.), in nostris omnino desiderantur. Nimirum itaque is ipse homo, qui in traducendis in orationem de cor. actis publicis desudavit, poterat alterutrum ex his magistratibus, qui decretis praefigi solebant, in nostris desunt, scribam secundum prytaniam, sive epistatam senatus, pro eponymo habere, eponymique loco decretis praescribere*).

---

tis demoticum, unde nimirum desumpsit sua Philochorus Καλλίμαχος Περγασῆθεν (ap. Dion. H. ep. ad Amm. c. 9), Θεόφραστος Ἀλλαιεύς, Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεύς (l. c. 11). Sed in decretis illud additum nusquam reperies. Itaque concedi hoc quidem possit, et nostrum illum Demonicum Phlyensem ex tabulario esse desumptum; — non tamen a Demosthene, sed a recentiori quodam docto. Illum enim a more solito designandi decretorum temporis recessisse, non est probabile. Quam ob rem etiamsi ob nomen demoticum Demonicus minus tibi archon non eponymus videatur, hoc tamen concedas necesse est, decretum posteriori demum tempore esse in orationem de cor. traductum.

*) Spengelius l. c. fictos iudicat omnes hos archontes pseudeponymos. Quod mea sententia prorsus incredibile est. Nam qui non ex actis publicis, sed ex proprio ingenio decretis his praescribebat archontes, eum hoc certe annorum designandorum causa fecisse utique statuendum est. Is tamen quid assecutus esset praescribendis archontibus prorsus fictis et nec sibi nec cuiquam notis? Idem miro prorsus modo Aeschinis accusationi verum praescripsisset eponymum Chaerondam, Ctesiphontis autem decreto, quod latum eodem anno est, fictum Euthyclem; id quod mirum etiam tum esset, si ex Spengelii opinione Aeschinis libellum contra nostros calculos ad Ol. CX, 4 epon. Phrynicho referendum contenderes. Quam ob rem si mira quidem est in pseudeponymorum illorum aliquot nominibus termina-

Atque, ne longum faciam, Boeckhius, quum confusionem talem non aliter fieri potuisse censeat, nisi si haec acta ex serie quadam decretornm petita sint, quae disposita secundum certum quendam magistratum essent, per epistatam autem disponi decreta non potuisse, quod diurnum epistatae munus fuerit, Boeckhius pseudeponymos illos ex scribis secundum prytaniam natos coniicit, qui a senatu sorte creati ex ipsis senatoribus, non tamen ex prytanibus, scripta et decreta senatus populique servarint, eisque nomen suum praescripserint, tantae illos auctoritatis, ut ex primae prytaniae scriba, etiam omisso archonte designaretur annus, vel ille certe archonti anni designandi causa adderetur. Quam coniecturam ita exornavit Boeckhius et confirmavit, ut in ea acquiescen-

---

tionis similitudo (Euthycles, Polycles, Neocles, Nausicles), ea, si ei aliquantum tribuendum est, potest fortasse errore niti, non tamen inventoris ingenio ad idem vocum inclinamentum proclivi deberi, sed actorum potius scripturae, ob celeritatem compendiosae et minus accuratae, ex qua explicanda haud dubie etiam sunt innumerabilia vitia illa, quibus archontum nomina apud scriptores laborare constat. Namque, quod Spengelius de monumentis publicis, orationi de corona insertis, in universum statuit, ab ipso ea profecta esse Demosthene, et quidem sine archonte, mense dieque et recitata et tum orationi inserta, ei et utriusque prioris decreti, Demosthenis Callisthenisque, nec non ipsius legis Ctesiphonteae repugnat conditio. Verumenimvero ipse Demosthenes recitari iubet χρόνους p. 279, in eisque ipsis legitur pseudeponymus Mnesithides, qui non potest a Demosthene profectus esse. Quod opinioni suae maxime repugnare sentiens Spengelius verum hoc uno loco monumentum excidisse coniicit, et fictum substitutum esse; quam violenter, nemo non videt, qui cetera quae contra Spengelii opinionem supra monuimus, perpenderit.

dum nobis esse omnino confiteamur. Scilicet, liceat enim brevissime Boeckhii opinionem proponere, disposita Athenis in tabulario erant acta senatus et populi secundum annos et anni cuiusque prytanias. Ad annos designandos probabile est inscripta loculis fuisse archontum eponymorum nomina schedulis vel tabellis exterius affixis, item uniuscuiusque anni acta verisimile est disposita per codices fuisse sive volumina, quibus continerentur acta in una prytania et sub uno scriba secundum prytaniam perlata. Hisque codicibus inscriptum ipsius scribae nomen fuerit probabili formula: *ἐπὶ* [*Μνησιφίλου*] (scil. *γραμματέως κατὰ πρυτάνειαν*), qua anni etiam ex eponymis designabantur*). Quod si ita fuit, non opus erat, ut in decretorum singulorum exemplis codici inscriptis adderetur archontis nomen aut scribae. Non enim verisimile est, qua forma decreta lapidibus incisa reperiuntur**), eadem in tabulario etiam reposita; sed quod commune omnibus erat, id consentaneum est actis in unum collectis esse inscriptum. Iam, quod supra monuimus, fuerunt antiquitus libri, quibus continebantur acta publica, partim ex inscriptionibus collecta, partim ex ipso Attico tabulario; ex tali libro petita nostra haec acta esse, omnino probabile ex iis est, quae in superioribus exploravimus. Illum librum qui confecit, is ordinem et rationem tabularii secutus est.

---

*) Aut casu nominativo, qui in Calliae decreto invenitur (p. 265): *ἄρχων Δημόνικος Φλυεύς*. Et additum scribae dicas etiam *τὴν πρυτανεύουσαν φυλήν*, ut probabilis formula, codicibus praescripta, haec fuerit: *ἐπὶ* [*Ναυσικλέους*] *τῆς* [*Αἰαντίδος δεκάτης*] *πρυτανευούσης*, quod mensi praepositum legitur in decreto de cor. p. 289.

**) Quamquam etiam in his archon haud raro non praescriptus est, item, etsi rarius, scriba.

Sed qua aetate liber collectus est, loculorum schedulae vel tabellae cum archontis eponymi nomine olim affixae interierint, ut quo archonte decretum unumquodque latum esset, iam non perspici posset, quippe qui in decreto notatus non fuerit*). Itaque, quum omissus esset archon, potuit scriba actis cuiusque prytaniae praefixus eponymus videri, si non illi, qui librum collegit, certe recentiori docto, qui illo uteretur libro, ex actis tabularii confecto, ut is in decretorum singulorum praescriptis, quae ille ex rubricis singularum collectionis partium supplere utique debebat**),

*) Non enim verisimile est omnia ea, quae in lapidum, et eorum quidem, qui ad ipsam Demostheneam aetatem pertineant (ap. Boeckh. Corp. Inscr. P, II. Inscr. Att. Cl. I. inde a nr. 90), leguntur praescriptis, ea ab ipsis rogatoribus esse decretis praescripta. In illorum enim iis, qui plenissima forma servantur, praescriptus est archon epon. et *φυλὴ πρυτανεύουσα* eiusque scriba et dies mensis simul et prytaniae et concio qualis fuerit (*κυρία* an *σύγκλητος*), denique proedrus ὁ *ἐπιψηφίσας*, isque ab Ol. circiter CXI cum symproedris. Atque haec fere omnia decreto quoque in honorem Zenonis condito praescripta leguntur ap. Diog. L. VII. 10, quippe quod etiam ex lapide manifesto descriptum sit. A rogatore plerumque nonnisi proprium nomen verisimile est decreto sive praescriptum esse, ut *Καλλίας Φρεάῤῥιος εἶπε, πρυτάνεων λεγόντων, βουλῆς γνώμη* in eo decreto, quod unum in or. de cor. p. 265 sine archonte et mense dieque servatum est, et in Dem. or. c. Timocr.: *Διοκλῆς εἶπε* p. 713. *Τιμοκράτης εἶπε* p. 720; sive subscriptum, id quod occurrit in decreto Callisthenis de cor. p. 238 et Aristonici p. 253 et in Aristophontis relatione p. 250. Tempora et quae praeterea in decretorum praescriptis inveniuntur, scribam in actis, in quibus illa reponebantur, notasse, probabile est.

**) Consilio certe praescripta illa collecta esse, omnino statuendum videtur. Nam ea, quae in lapidum praescri-

integrandis insereret pro archonte scribam, eique adderet vocem ἄρχοντος. Haec summa est Boeckhianae opinionis, quae ut per se unice probabilis videatur, ita omni ex parte defendi confirmarique potest. Addo, quod Boeckhius de tabularii schedularum, quibus inscriptum nomen eponymi fuerit, coniecit interitu, id ipsum etiam in eo libro accidere potuisse, qui ex tabulario Athenarum collectus sit. Nam Craterum, vel quisquis alius eiusmodi collectionum fuit auctor, omnino probabile est eam in concinnando opere rationem esse secutum, ut quae cuique decretorum parti communia essent, ea in singulis decretorum exemplis omitteret, et collectionem illam per archontes, schedulis affixos, quae divelli facile poterant, per scribas et prytanias disponeret. Et quod coniecturae huic opponere possis, Heropythum (p. 282) Ol. CX, 2 in duabus continuis prytaniis inveniri, de hoc, si minus verisimile videatur, prorogatum munus esse in sequentem prytaniam, id certe probabile statuendum videtur, id quod etiam proposuit Boeckhius (l. c. p. 26) verba: ἐπὶ Ἡροπύθου ἄρχοντος ex altero decreto in alterum esse illata, quum alterum alteri sine intervallo additum sit. Ita enim etiam verba ἐαρινῆς Πυλαίας ex decreto Amphictyonico I. illata per errorem in alterum decretum sunt, quod prius continuo excipit, pro vera lectione ὀπωρινῆς. Et idem etiam accidisse

---

ptis reperiri superiori nota docuimus, ut probabile est non omnia ab ipso rogatore esse decretis praescripta, ita in actis certe a scriba notata esse utique consentaneum est. Ex illis vero nostris decretis nonnisi archon et mensis eiusque dies constanter praescriptus est; in nonnullis etiam additur ἡ φυλὴ πρυτανεύουσα et in quibus illa deest plerumque ἐκκλησίας συγκλήτου. Dies contra prytaniae et ὁ ἐπιψηφίσας constanter omissus est, quod non casu sed consulto factum liquet.

dixeris in archonte Mnesiphilo, qui etiam duobus decretis praescriptus est (p. 235 et 238), licet is nec ad geminatas prytanias nec ad unum annum pertineat. Poterat enim, cui actorum orationi de cor. insertorum debetur collectio, illud Demosthenis et hoc Callisthenis decretum cum eis confundens, quae lata sunt Ol. CVIII, 2 Munychione III, et Scirophorione XXVII, utrumque ad unum annum referre, quippe quod alterum quarto mense post alterum latum perceperit, non quidem ex orr. de male gesta legat., quas ne legisse quidem eum statuendum est, sed quod Demosthenes tres menses commoratos legatos in Macedonia dicit (p. 235), et brevi post eorum ex Macedonia reditum latum Callisthenis decretum contendit (p. 237) *). Quod si non ab illo factum est, poterat ab

*) Eadem ex causa natum etiam coniicere possis ipsum illum Hecatombaeonem ultimum, qui decreto Demosthenis praescriptus est, si decretum hoc ad pacem referre malis brevi post cladem Chaeronensem, hoc est post Ol. CX, 3 Metagitnionem VII inter Philippum et Athenienses compositam. Quam opinionem cum rebus certe illo tempore gestis haud inepte conciliari posse, iam supra (cap. V.) monuimus. Scilicet ab illa etiam pace non alienus erat Demosthenes. Eius enim primum Dinarchus (in Demosth. p. 56) decretum affert, continuo post cladem latum, quo cives ἐπὶ τὰ ἔργα conferre se iussi sint, simul autem rogatum sit, ut legati pacis causa Philippum adirent. Quin Aeschines (in Ctes. p. 76 med.) Demosthenem tum temporis rogasse populum narrat, se ut pacis custodem (εἰρηνοφύλακα) crearet. Maxime autem ad confirmandam hanc de decreto hoc opinionem id valeat, quod Aeschines post cladem Chaeronensem legationem ad Philippum pacis conciliandae causa re vera obiit. Praeterea in confirmanda iure iurando pace, quam praeter exspectationem commodis conditionibus Philippus concesserat, celeritatem tempora tum etiam suadere omnino poterant, ut decernere Demosthenes posset, legatos quinque statim creandos, eis-

aliis fieri. Denique opinioni suae nihil obstare Boeckhius contendit (l. c. p. 27), quod Aeschinis libello, quo Ctesiphontem accusavit, verus est eponymus, Chaerondas, praefixus. Non enim illum in actis senatus

que citissime Philippum adeundum esse; quod autem etiam additur: *ὅπου ἂν ὄντα τὸν Φίλιππον πυνθάνωνται*, in eo minus aliquem offensurum esse opinor, etiamsi Philippus tum ipsa in Boeotia versabatur. Iam vero pacem hanc brevi post cladem Chaeronensem compositam esse cap. VI docuimus. Itaque si ad eam decretum illud Demosthenis referatur, decreta ea Athenis sit *ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, in prima concione prytaniae nimirum tertiae, hoc est die praeterpropter Boedromionis XXIII, et decretum Demosthenis de creandis pacis iure iurando confirmandae causa legatis latum sit ipso fortasse Boedromione exeunte, aut ineunte Pyanepsione. Quod decretum, similibus verbis atque illud senatus consultum Ol. CVIII, 2 Munychione III de maturanda legatorum profectione a Demosthene latum, quum hoc in actis sive actorum collectione invenire non posset is, a quo monumenta publica orationi de corona inserta sunt, eundem huius loco substituisse probabiliter dixeris, superscripto tamen de industria archonte Mnesiphilo et Hecatombaeone ultimo propter Callisthenis decretum Mnesiphilo et Maemacterione XXI latum, quippe quod legatos suo illo senatus consulto excitatos tres menses in itinere consumpsisse Demosthenes dicat, Callisthenis autem decretum mox post illorum Athenas reditum esse latum contendat. — Coniectura haec sane est, sed ad quam haud invitus inclino. Semper enim in duobus illis monumentis hoc me omnino memorabile torquet, quod inter dies utrisque praefixos spatium ei simile est, quo Callisthenis decretum latum esse post legatorum in Macedoniam abitum orator contendit de cor. p. 235 et 237. Ita sane etiam, quod supra (p. 123) coniiciebamus, et coniecit Spengelius quoque (l. c.), ultimus ille Hecatombaeo, qui decreto Demosthenis praescriptus est, natus esse possit ex *τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, in qua pax a populo decreta ibidem dicitur.

et populi scriptum fuisse, ex quibus fluxerunt pseudeponymi, quippe mere iudicialem, sed aliunde petitum esse et orationi insertum. Et petitum eum dicendum sit ex ipsis actis iudicialibus, seu rursus ex aliqua eorum collectione. Inde petita etiam probabiliter dixeris testimonia duo de Aeschine ad agendam causam Deliacam indigno iudicato (p. 272) deque Aeschinis clandestina cum Anaxino, Philippi exploratore, familiaritate (p. 273). At alterum testimonium datum est pseudeponymo Nicia, qui, si testimonium illud ex actis iudicialibus petitum est, non potest ex scriba secundum prytaniam natus esse. Haec haud exigua sane difficultas, quum Boeckhius (l. c. p. 26) ad eam minus respexerit, accuratius nobis adhuc exploranda superest.

Testimonium illud cum pseudeponymo Nicia iusto citius ad Hecatombaeonem Ol. CX, 1 supra (p. 144) retulimus, quod Anaxinum exploratorem appropinquante bello, Ol. CIX, 4 exeunte, Athenas venisse probabiliter nobis statuere posse videbamur. Idem opinatus est Boeckhius l. c. p. 12. Nunc tamen re accuratius considerata esse sane quaedam sentimus, quae ab hac nos sententia quodammodo retrahere videantur. Etenim Demosthenes or. de cor. p. 272 Aeschinem criminatur, quod primum cum Pythone, Philippi legato, adversus rem publicam conspirarit, deinde cum Anaxino, Philippi exploratore, clandestinos congressus habuerit, idque antequam iustum cum Philippo bellum exarserit (*πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς* p. 273), quod redintegratum est Ol. CX, 1 ineunte, pace tum solemniter discissa. Pythonis legationem ad Ol. CIX, 1 referendam esse supra docuimus (cap. IV. 3). Insequenti anno Ol. CIX, 2 inimicitiae nondum eo provectae erant, ut de bellicis inceptis ageretur. Sed Ol. CIX, 3 exeunte Athenis jam de Euboea liberanda cogitatum est, item de auxiliis in

Chersonesum Hellespontumque mittendis (v. cap. IV. 6). Anaxinum igitur venisse Athenas patet aut Ol. CIX, 3 aut Ol. CIX, 4. In Ol. CIX. 3 competunt Demosthenis verba: *καὶ τὸ μὲν δὴ πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς συναγωνίζεσθαι Φιλίππῳ δεινὸν μέν. — πῶς γὰρ οὔ; κατὰ τῆς πατρίδος. δότε δ' εἰ βούλεσθε, δότε αὐτῷ τοῦτο. Ἀλλ' ἐπειδὴ φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο, Χεῤῥόνησος ἐπορθεῖτο, ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν ἐπόρευεθ' ἄνθρωπος, οὐκέτ' ἐν ἀμφισβητησίμῳ τὰ πράγματα ἦν, ἀλλ' ἐνειστήκει πόλεμος, ὅ τι μὲν πώποτ' ἔπραξεν ὑπὲρ ὑμῶν ὁ βάσκανος οὑτοσὶ ἰαμβειοφάγος, οὐκ ἂν ἔχοι δεῖξαι* (p. 273 sq.), quibus verbis Demosthenes transit ad concitatum Aeschine auctore bellum Amphissense, per quod Philippo Graeciam invadendi potestas facta sit. Navigiorum illum raptum Chersonesique devastationem, per quae bellum antea gliscens palam exarsisse Demosthenes dicit, ad Ol. CIX, 4 pertinere supra (cap. IV. nr. 7 sqq.) docuimus, et illum quidem ad Hecatombaeonem iam aut Metagitnionem Ol. CIX, 4. Quam ob rem Anaxinum pateat Athenas venisse Ol. CIX, 3; et verisimile est, Ol. CIX, 3 exeunte, quo tempore Athenienses clam de liberandis a tyrannide Euboeae urbibus, Eretria Oreoque, agebant deque subsidiis in Hellespontum mittendis, Selymbrianis praesertim auxiliaturis (v. cap. IV. nr. 6, 7, 8), Anaxinum a Philippo Athenas missum esse ad exploranda Atheniensium consilia. Iam vero testimonium de clandestino Aeschinis cum Anaxino congressu datum est Demostheni, postquam Anaxinus comprehensus est et damnatus: *εἰδέναι Αἰσχίνην — συνερχόμενον νυκτὸς — καὶ κοινολογούμενον Ἀναξίνῳ, ὃς ἐκρίθη εἶναι κατάσκοπος παρὰ Φιλίππου*, itaque datum est post Ol. CIX, 3; sed quaestio est, utrum brevi postquam absoluta esset causa exploratoris Anaxini, an demum in usum ipsius actionis de corona, hoc est anno quodam inter Ol. CX, 3. et CXII, 3. Dicunt

testes, testari se Demosthenі: *μαρτυροῦσι Δημοσθένει·* sed quod testantur, id iure iurando confirmarunt apud praetores: *καὶ ἐπωμόσαντο ἐπὶ τῶν στρατηγῶν*, id quod aliquot annis post causam Anaxineam factum esse non potest; atque quum etiam non dictum sit: *καὶ ἐπωμόσαντό ποτε*, inde brevi post absolutam Anaxini causam patet testimonium et iure iurando coram praetoribus confirmatum, simul etiam litteris consignatum esse. Quam ob rem probabile est, comprehenso Anaxino damnatoque continuo Demosthenem Aeschinem etiam, ut patriae proditorem, ad praetores denunciasse et testes attulisse, qui, indicio eius per ius iurandum confirmato, quod testati coram praetoribus sint, statim etiam litteris consignarint, ut actioni instituendae inserviret. Rem egregie probat et illustrat Aeschines. Eundem enim nimirum Anaxinum Aeschines simul quum ipse *εἰςαγγελίᾳ* Demosthenem petere instituisset, ab hoc comprehensum et ad supplicium damnatum arguit loco huc quam maxime pertinente, or. in Ctes. p. 85 extr.: *οὐ τὸ τελευταῖον, εἰσαγγέλλεσθαι μέλλων ὑπ' ἐμοῦ τὴν Ἀναξίνου σύλληψιν τοῦ Ὠρειτοῦ κατεσκεύασας, τοῦ τὰ ἀγοράσματα Ὀλυμπιάδι ἀγοράζοντος, καὶ τὸν αὐτὸν ἄνδρα διεστρέβλωσας τῇ σαυτοῦ χειρὶ γράψας θανάτῳ ζημιῶσαι, καὶ παρὰ τῷ αὐτῷ ἐν Ὠρεῷ κατήγου καὶ ἀπὸ τῆς αὐτῆς τραπέζης ἔφαγες καὶ ἔπιες καὶ ἔσπεισας καὶ τὴν δεξιὰν ἐνέβαλες, ἄνδρα φίλον καὶ ξένον ποιούμενος. καὶ τοῦτον ἀπέκτεινας, καὶ περὶ τούτου ἐν ἅπασιν Ἀθηναίοις ἐξελεγχθεὶς ὑπ' ἐμοῦ καὶ κληθεὶς ξενοκτόνος οὐ τὸ ἀσέβημα ἠρνέσω, ἀλλ' ἀπεκρίνω, ἐφ' ᾧ ἀνεβόησεν ὁ δῆμος καὶ ὅσοι ξένοι περιέστασαν τὴν ἐκκλησίαν· ἔφησθα γαρ τοὺς τῆς πόλεως ἅλας περὶ πλείονος ποιήσασθαι τῆς ξενικῆς τραπέζης.* Haec Aeschines contra Demosthenem exprobrantem ei, quod tanto post cladem tempore in se invehatur, tum resistere sibi et meliora rei publicae suadere intermiserit, ubi retineri adhuc poterat, si quid administratione sua civitas caperet

detrimenti. Conatum se saepius ille contendit, ut Demosthenem a rei publicae amoveret gubernaculis, sed obrutum Demosthenis calumniis non potuisse salutaribus rem publicam adiuvare consiliis. Exempli gratia affert, quod, quum ipse *εἰςαγγελίαν* ei intendere vellet, Demosthenes Anaxinum comprehensum supplicio tradidisset, ac si illo denunciato necatoque *εἰςαγγελίαν*, quae sibi immineret, effugere voluerit. Quae quum ita sint, illud, quod de Anaxini sorte Aeschines narrat, vix ad aliam rem referri posse videtur, quam cuius Demosthenes in or. de cor. mentionem facit et ad quam testimonium, de quo agimus, pertinet, etiamsi *τὸ τελευταῖον* recentius factum significare videatur; sed *οὐ τὸ τελευταῖον* nihil est, nisi: nonne tu tandem? hoc est: nonne tu eo tandem audaciae et impudentiae processisti, ut quum tibi *εἰςαγγελία* a me immineret, Anaxinum, amicum quondam tuum comprehendere necareque iusseris, scilicet ut ita me, qui cum eo collocutus eram, calumniis obruere et denunciatum in suspicionem posses vocare. Haec confirmant sequentia Aeschinis verba: *ἐπιστολὰς δὲ σιγῶ ψευδεῖς καὶ κατασκόπων συλλήψεις καὶ βασάνους ἐπ' αἰτίαις ἀγενήτοις, ὡς ἐμοῦ μετά τινων νεωτερίζειν βουλομένου.* Quam ob rem vix iam addubitari potest, Aeschinem continuo, postquam Anaxinus comprehensus esset damnatusque, denunciatum a Demosthene, tum etiam datum testimonium esse de eius clandestinis cum Anaxino colloquiis, id quod ex temporum ratione supra exposita fieri omnino potuit Ol. CIX, 4 ineunte, archonte Nicomacho. Iam vero testimonio subscripta legis verba: *αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Νικίου, Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱσταμένου.* Unde in Nicia hoc iure contendas verum latere eponymum Nicomachum. Et vitium in archontis nomine commissum nemo certe miretur. Pessime enim et archontum nomina et alia nomina propria a librariis

habita esse, satis constat. Ita, ut simillima afferam, confunduntur Niceratus cum Nicete, Cesiphon cum Cephisophonte (ap. Dionys. H. de Dinarcho iudic. §. 9), Elpinices cum Elpine (ap. Diodor. H. XVI. 15), Neocles cum Nicocle in Demosth. or. de cor. p. 250 vs. 10. Atque in illis testimonii verbis pro *ἐπὶ Νικίου* omnino reponendum sit *ἐπὶ Νικομάχου* (nempe *ἄρχοντος*, quod frequenter omittitur cum apud scriptores, tum in lapidibus, licet non in lapidum praescriptis, ut: *ἐπὶ Ναυσιγένους* ap. Boeckh. Corp. Inscr. Vol. I. nr. 88), si monumentum hoc nonnisi ex actis iudicialibus petitum sit. Attamen re accuratius excussa, aliud statuendum videbitur.

Etenim testimonio hoc, quod utique brevi post causam Anaxini scriptum est, Demosthenes usus est in causa de corona, inde nimirum petito, quo tum repositum erat. Repositum autem esse tum potest in praetorum tabulario, si causa a Demosthene ad praetores delata ab ipsis praetoribus iudicata sit. Sed hoc repugnat Atheniensis rei publicae institutis. Nimirum Demosthenes Aeschinem ad praetores detulit, ut, quo gravius de eo supplicium fieret, ab his ipsis actio institueretur. Praetores enim solitos esse eis, qui cum hoste familiaritatem habuerint, proditionis litem intendere, liquet ex causa Antiphontea et illo senatus consulto, quod in Antiphontis vita servavit Pseudo-Plutarchus. V. Schoem. de Comit. p. 202 sq. Praetoribus autem causa eiusmodi ad senatum deferenda erat, qui reos aut statim Heliastico tradebat iudicio, id quod in illa Antiphontis causa factum est, aut delatione ad populum delegata, huic quid de reo statuendum esset permittebat. Erat enim hoc causae genus id, quod *εἰςαγγελία* vocatur, de qua egregie egit Schoemann. de Comit. p. 170 sqq. Simili ratione in hac quoque causa actum esse, ipsius rei ratio docet. Et ex verbis Aeschinis, supra allatis, proba-

biliter coniici potest, ea de re etiam in comitiis actum, Aeschinem vero a populo, cui non teneri videretur, esse dimissum. Ipseque Demosthenes ita sane rem commemorat, ut ipsa eius verba adversarium tum esse absolutum ostendant, nimirum, quod eo tempore bellum cum Philippo nondum palam exarserit.

Quae si probabilis rei ratio est, testimonium illud aut a praetoribus patet senatui traditum, aut a Demosthene, si illi ipsum eum ad senatum delegarint. Posterius fortasse magis probent testimonii verba: *μαρτυροῦσι Δημοσθένει καὶ ἐπωμόσαντο ἐπὶ τῶν στρατηγῶν.* Quod utut est, testimonium tamen in actis senatus repositum esse, neque tum certe, quum agebatur causa, Ol. CIX, 4 in., in iudicium migrasse, verisimile est. Quod si ita est, Demosthenem ex actis senatus petisse testimonium hoc patet, quum eo uti volebat in causa Ctesiphontea. Sed huic dicendae iudicandaeque ut inserviret, cum aliis documentis probabiliter fortasse dixeris magistratui, cui causa in iudicium deducenda fuerit, traditum et ab hoc ad acta iudicialia relatum esse. At crimina illa, quae Aeschini a Demosthene in or. de cor. obiiciuntur, manifesto extrinsecus ab hoc in orationem inducta sunt, nec quidquam commune habent cum Ctesiphontis defensione. Quam ob rem neque hoc testimonium nec quod huic antecedit per causam Ctesiphonteam migrasse in acta iudicialia censeo, sed in sola oratione prolata a Demosthene esse. Itaque testimonium hoc quum ex solis actis senatus peti potuisse liqueat, nihil iam obstat, quominus Nicias etiam pseudeponymus scriba sit secundum prytaniam*), ut, etiamsi res ad Hecatombaeonem Ol.

*) In hac sententia perstat Boeckhius in litteris ad me nuperrime datis, quibus quum mihi significasset, testimonium hoc ad *εἰςαγγελίαν* contra Aeschinem instituendam ad

CIX, 4, eponymo Nicomacho, referenda videatur, Niciam tamen ex hoc natum iudicare non omnino necesse sit. Nihilominus Niciae huius ratio abhorret a reliquis pseudeponymis, qui actis senatus populique, orationi de cor. insertis, praescripti sunt. Non enim verbis ἐπὶ Νικίου additur ἄρχοντος, quod fit in reliquis omnibus. Unde clarissime liquet, extrema testimonii verba: *αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Νικίου, Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱσταμένου* non a recentiori illo viro docto, cui decretorum orationi de cor. insertorum debetur collectio, addita esse, sed ab ipso scriba secundum prytaniam, qui ea huic monumento ipse addiderit, quod non ad acta senatus populique pertineret, quae disposita in tabulario secundum archontes et prytanias fuisse statuimus, sed singulari haud dubie loculo reponendum esset. Id quod utique statuendum est, sive Nicias verus sit scriba secundum prytaniam, sive in eo archontem latere dicas eponymum Nicomachum. Neque enim Hecatombaeo ille III diem designat, quo scriptum testimonium sit, sed quo senatui traditum. Quodsi enim res aliter fuisset, non *ἀπεδόθησαν* legeretur, sed *ἐδόθησαν* aut *ἐγράφησαν*. Iam vero si Nicias scriba sit secundum prytaniam, qui solum suum nomen testimonio huic subscripserit, archontis ea fortasse de causa omittens, quod hoc notatum erat in summa loculorum fronte, in quibus universa acta reponenda et per prytanias, sed generatim,

---

senatum esse delatum posse, a quo tamen res non digna iudicata sit, ut iudicio traderetur, mihi, qui illud nonnisi ex actis iudicialibus petitum iudicabam, meliorem quaestionis explorandae rationem indicavit, qua accurate supra proposita satisfacturum me esse Boeckhio spero, roganti, ut suam illam sententiam pronunciarem ad ea quae in Commentatione sua de Nicia pseudeponymo statuerit defendenda.

disponenda essent; in verbis *ἐπὶ Νικίου* iustam iam deprehenderimus formulam, quae viro illi docto fraudem fecerit, ut scribam pro archonte haberet, et archontis loco decretis insereret, in illis quidem addita etiam voce *ἄρχοντος*, quam Niciae huic soli non addiderit, quippe quod, ut Boeckhius statuit (l. c. p. 26), hic *ἐπὶ Νικίου* in media oratione scriptum invenerit.

Atque quod hoc testimonium ex actis iudicialibus omnino non potuisse peti contendimus, idem eadem de causa de altero quoque, quod huic antecedit, statuendum videtur. Res, ad quam hoc pertinet, accidit Ol. CVII (v. cap. II. 7 p. 52). Sed ipsum Demostheni datum est longe postea: *μαρτυροῦσι ὅτι τοῦ δήμου ποτὲ χειροτονήσαντος Αἰσχίνην·* et datum probabiliter dixeris in causa Ctesiphontea. Quod ut concedam, testimonium tamen per eandem causam in acta iudicilia migrasse, non item concesserim. Nihil enim hoc, sicut illud, commune habet cum Ctesiphontis defensione, neque huius causa ab oratore affertur. Quam ob rem probabilius coniiciendum opinor, hoc quoque testimonium datum Demostheni esse brevi post causam Anaxini, ipsum ut etiam actioni contra Aeschinem ob eius cum exploratore familiaritatem instituendae inserviret; itaque simul cum illo, de quo supra disputavimus, senatui a Demosthene traditum esse, quo iustior et gravior recentissima haec Aeschinis denunciatio videretur, quippe qui olim iam proditionis suspicione notatus ob eamque a publico munere ipsoque ab Areopago remotus fuisset. Hoc ut statuam, trahunt me praeter ipsam rei probabilem rationem maxime verba testimonio alteri illi adscripta: *αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι,* quae ad utrumque testimonium pertinere suspicor ob numerum pluralem *αὗται αἱ μαρτυρίαι,* quem de uno testimonio, etsi a pluribus dato, vix usitatum inveneris.

Itaque haec quoque monumenta licet iudicialis generis sint, ex eodem fonte petita sint, unde acta senatus et populi. Et res certe ita iam explorata est, ut si coniectura postremo a nobis proposita falsa sit, aliud nihil statuendum restet, quam duo haec testimonia ab ipso Demosthene esse orationi inserta. Quae opinio quamquam statim propterea addubitanda videatur, quod haec sola monumenta ab ipso oratore profecta esse, reliqua alii auctori deberi, vix sit credibile, tamen non continuo reiicienda est, praesertim quum Nicias ex eponymo Nicomacho natus esse, et adscripta temporis nota ea videri possit, quae addita tum sit, quum Demosthenes tradenda sibi ex actis senatus monumenta illa expoposcit, eis ut in causa Ctesiphontis uteretur. Considerandum enim adhuc unum monumentum restat, de quo id ipsum quaeri possit, anne hoc ab ipso sit oratore profectum. Or. de cor. p. 267 legitur lex de coronis in theatro renunciandis: *ὅσους στεφανοῦσί τινες τῶν δήμων, τὰς ἀναγορεύσεις τῶν στεφάνων ποιεῖσθαι ἐν αὐτοῖς ἑκάστους τοῖς ἰδίοις δήμοις, ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ· τούτους δ' ἐξεῖναι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις ἀναγορεύεσθαι.* Hanc legem nonnisi partem totius legis Dionysiacae esse Aeschines contendit or. in Ctes. p. 58 extr. (*χρήσονται τοῦ νόμου μέρει τινί, κλέπτοντες τὴν ἀκρόασιν ὑμῶν*), et extrema eius verba ad *ἀλλοτρίους στεφάνους*, ad coronas ab exteris solum civitatibus donatas pertinere interpretatur ibid. p. 58 sq. Legem etiam ipsam Dionysiacam affert p. 60 m., quam hoc loco non servatam nobis esse valde dolendum est. Nihilominus tota lex qualis fuerit cognosci ex iis potest, quae de argumento eius copiose Aeschines disserit. Atque primum: *διαῤῥήδην ἀπαγορεύει* [*ὁ νομοθέτης*], ait, *μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου φησὶ μηδενός, ἢ ἄτιμον εἶναι*

τὸν κήρυκα (p. 59 extr.); postrema haec verba ad *τοὺς ξενικοὺς στεφάνους* referenda esse contendit; tum p. 60 m. *καὶ διὰ τοῦτο προςέθηκεν ὁ νομοθέτης*, ait, *μὴ κηρίττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἵν' ἡ πόλις ἡ βουλομένη τινὰ τῶν ἡμετέρων στεφανοῦν, πρέσβεις πέμψασα δεηθῇ τοῦ δήμου.* Denique, postquam ipsam legem recitari iusserat: *ἐπειδὰν τοίνυν ἐξαπατῶντες ὑμᾶς λέγωσιν, ὡς προςγέγραπται ἐν τῷ νόμῳ ἐξεῖναι στεφανοῦν, ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἀπομνημονεύετε αὐτοῖς ὑποβάλλειν, εἴ δέ σέ τις ἄλλη πόλις στεφανοῖ.* Ex his haud ambigue totius legis hanc conditionem fuisse coniicias: primam eius partem servos in theatro manu mitti, alteram cives a tribubus, tertiam a demis coronari vetuisse, eamque iisdem fortasse verbis, quae in or. de cor. servantur: *ὅσους στεφανουσί τινες τῶν δήμων, τὰς ἀναγορεύσεις τῶν στεφάνων ποιεῖσθαι ἐν αὐτοῖς ἑκάστους τοῖς ἰδίοις δήμοις·* postremo haec scripta probabiliter dicas: *μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἐξεῖναι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις ἀναγορεύεσθαι.* Iam vero in ea lege, quae in or. de cor. invenitur, omissa sunt media illa: *μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενός κ. τ. λ.* Unde legem hanc non solum partem esse pateat totius legis Dionysiacae, sed eam etiam ex arbitrio a Demosthene decurtatam, ideoque non a recentiori quodam viro docto, sed ab oratore ipso orationi insertam. Veruntamen decurtatam ex arbitrio legem iudicibus proposuisse Demosthenem, difficilius crediderim. Quam ob rem aliam rei rationem fuisse suspicor. Non totam legem Dionysiacam interpretatur Aeschines, sed eius solummodo initium, in quo summam legis conscriptam probabile est his fere verbis: *μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου μη-*

δενὸς ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος. Hoc initium, quod summam legis continebat, secuta verisimile est singula legis capita de servis manu mittendis, de tribulibus coronandis, tum illud de demo accensis, quod in or. de cor. legitur, cui sane consentaneum est addita ab accurato legis latore esse extrema illa: *ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ,* ne quis forte id quod ad *δήμους* pertineat prava interpretatione ad *τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων* extenderet. Sed singula haec capita omissa ab Aeschine sunt, quippe quod malevolae eius legis interpretationi nequaquam faverent, ut ei verissime Demosthenes obiiciat: *τί συκοφαντεῖς — νόμους τοὺς μὲν μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι τοῖς γ' ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι* (de cor. p. 268). Quae quum ita sint, nihil obesse videtur, quominus haec etiam lex a recentiore viro docto orationi inserta statuatur. Quin eius rursus vestigium deprehendas in verbis: *ἐὰν μή τινας ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθ. ἢ ἡ βουλὴ στεφανοῖ.* Nam in his Demosthenes legebat *ψηφίσηται: ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται·* p. 267 extr. Idem legebat Aeschines. V. or. in Ctes. p. 58 extr. p. 60 med. bis. Hoc igitur utique scriptum fuerit in legis autographo, quo usi oratores sunt. Itaque pro *ψηφίσηται* repositam vocem *στεφανοῖ* invenisse virum illum statuendum est in eo legis exemplari, ex quo eam descripserit.

Quod igitur supra clarissimis argumentis demonstrasse nobis videmur, decreta illa senatus populique, quibus adnumerandae nimirum etiam sunt Philippi epistolae et dogmata Amphictyonum, quippe quae etiam in tabulario publico reposita fuerint, a viro docto quodam sed male docto orationi de corona esse inserta, idem ut de reliquis quoque monumentis, quae

praeterea inveniuntur, statuamus, omnino consentaneum est. Quam ob rem, si duae antiquitus exstabant Demosthenis editiones, *ἡ ἀρχαία καὶ ἡ δημώδης*, quarum meminit Ulpianus, et de quibus Taylorus copiose disputavit ad Dem. or. de cor. p. 229 v. 12 et in praefat. ad or. Mid., illam certe coniiciendum est monumentis his non fuisse instructam. Et sane in plurimis omnium oratorum, quae nobis servatae sunt, orationibus monumenta desiderantur. Exstant nonnulla in Andocidis de mysteriis, in Aeschinis c. Timarch., plurima in Demosthenis forensibus orationibus, quorum omnium perpauca sunt ex genere decretorum senatus et populi in Andoc. orat. et Demosthenis c. Timocr., denique unum de Plataeensibus civitate donandis in or. c. Neaer. Quae quum nec archontem nec mensem praescriptum praeferant, ab ipsis profecta oratoribus videri facile possint. Nam eiusmodi monumenta brevitatis causa sine accurata temporis notatione ab oratoribus recitata esse, et plerumque ne universa quidem, sed quantum eorum ad demonstrandam sententiam sufficeret, omnino probabile est. V. supra p. 208. Aesch. *π. παραπρ.* p. 57 med. Cf. supra p. 91. Id quod etiam ad nostram de monumentis orationi de corona insertis sententiam confirmandam valeat. In ipsis quoque lapidibus tempora haud raro a decretis separata inveniuntur. Neque ego omnia monumenta, quae in reliquis orationibus servantur, posterioribus demum temporibus, ut illa in oratione de cor., addita esse contenderim. Certe, quae in praestantissimis Demosthenis, seu quae in Demostheneis numerantur, orationibus forensibus exstant monumenta, maximam partem iudicialia, *μαρτυρίαι*, leges, seu legum partes, *συνθῆκαι, συγγραφαί, ἐγκλήματα, προκλήσεις, μαντεῖαι*, alia similia, ea vix dixeris posterioribus demum temporibus ex legum seu actorum iudicialium collectionibus tanto tamque in-

tegro numero peti et tam apte orationibus potuisse inseri. Ex parte certe ab ipsis inseri oratoribus poterant. Ita additam Dinarchi in Proxenum orationi *γραφήν* legebat iam Dionysius Hal.: *ἀποδείκνυται δ'* [*ὁ βίος τἀνδρὸς*] *ἐξ ὧν αὐτὸς περὶ ἑαυτοῦ συνέγραψεν ἐν τῷ λόγῳ τῷ κατὰ Προξένου, ὃς εἴρηται μὲν μετὰ τὴν φυγήν, προςκειμένην δ' ἔχει τὴν γραφὴν ταύτην· „Δείναρχος Σωστράτου Κορίνθιος Προξένῳ, ᾧ σύνειμι, βλάβης ταλάντων δύο κ. τ. λ.:* de Dinarcho iudic. c. 3. Nostra autem illa, ut certum est, non ea in prima orationis de cor. editione exstitisse, ita consentaneum est, sero demum collecta et orationi addita esse. Errores enim, quos in actis his colligendis commissos monstrávimus, tum demum irrepere et increbescere poterant, quum remotioris antiquitatis ignorantia longius serpere coepit. Dionysii certe Hal. aetate invalescere illa nondum poterant, licet, quod ad illum auctorem attinet, hoc solummodo asseverari possit, quam nos ipsi in posteriori orationis parte p. 298 desideramus Philippi epistolam, illum etiam non legisse videri. Nam in Epist. ad Amm. c. 11. postquam orationis ipsius verba attulerat haec: *„ὡς δ' ἀφικόμεθα ἐς τὰς Θήβας, κατελαμβάνομεν Φιλίππου καὶ Θετταλῶν καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων παρόντας πρέσβεις καὶ τοὺς μὲν ἡμετέρους φίλους ἐν φόβῳ, τοὺς δ' ἐκείνου θρασεῖς“* (p. 298), ita pergit: *ἔπειτ' ἐπιστολήν τινα κελεύσας ἀναγνωσθῆναι ταῦτ' ἐπιτίθησιν: „ἐπειδὴ τοίνυν κ. τ. λ.* Vix ita ambigue Dionysius memorasset epistolam, si eam legisset. Contra, Pollucem, Harpocrationem, Ulpianum scholiastam, ne recentiores lexicorum auctores memorem, legisse iam monumenta illa in ipsa Demosthenis oratione, singulae quas ex eis laudant voces dictionesque probant. V. Schaefer. Apparat. ad p. 235 vs. 11.; p. 238. 15 et 28; p. 243. 11 et 27; 244. 3; 249. 11; 253. 13. Itaque ante horum scriptorum aatatem verisimile est virum quendam doctum monumenta illa collegisse,

quibus fortasse novam illam Demosthenis editionem, quam δημώδη Ulpianus vocat, instrueret; qui tamen in insigni illo decreto Demosthenis de Thebanis ad belli societatem contra Philippum invitandis, destiterit ab opera anxia et nimis laboriosa, satis tum sibi visus adiumenti ad illustrandam orationem attulisse. Nam ultra illud decretum operam continuatam non esse, codicum constantia docet, in quibus omnibus inde a p. 289 monumenta desiderantur, quum usque ad hanc servata in omnibus sint, uno excepto Augustano I., in quo solo nimirum defessa librarii manu iam a p. 250 omissa inveniuntur.

Ex qua opinione quum ea, quae maxime discrepantia et insolita in monumentis illis deprehendimus, explicari aptissime posse, satis iam excussum sit et demonstratum, illis denique accedant pauca quaedam alia, in quibus praeterea offendere meminimus. In decreto Callisthenis p. 238 praescriptum nomen rogatoris est, idem adscriptum etiam: εἶπε Καλλισθένης Φαληρεύς. Postrema ipsius rogatoris esse verba censeo, qui conscripta lege: μηδένα Ἀθηναίων μηδεμίᾳ παρευρέσει κ. τ. λ., addidit nomen suum, ut adiectum legitur in libello p. 250: πρυτανείᾳ φυλῆς Ἱπποθωντίδος, Ἀριστοφῶν Κολλυττεὺς πρόεδρος εἶπεν. Sed decreto in tabulario reponendo praescripsit scriba: συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων, βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαληρεὺς εἶπε. Eadem ratio est decreti de coronando Demosthene ab Aristonico lati: p. 253. In eodem decreto memorabile est, quod Chaerondas pseudeponymus πατρόθεν vocatur: ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγήμονος ἄρχοντος, id quod in nullo alio decretorum pseudeponymo reperitur. Adiectum hic scribae, quem pro archonte vir ille doctus habebat, patris esse nomen puto, ut discernatur Chaerondas iste ab eponymo illo, quem praefert Aeschinis γραφή. Ita fortasse

etiam Demonico pseudeponymo p. 265, uni inter omnes, additum est nomen demoticum *Φλυεύς*, quod in sequenti testimonio (p. 272) affertur *Δημόνικος Μαραθώνιος*. Difficilius est, quod Eubuli decreto p. 249 praescriptum legitur *ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους, μηνος Βοηδρομιῶνος* non addito die, qui in reliquis omnibus monumentis additus est. Causa nimirum in fonte solummodo quaeri potest, ex quo decreta petiit vir ille doctus, quem in eo aut non praescriptum decreto mensem diemque, id quod casu fieri poterat, aut diei certe notationem casu deletam invenisse statuendum sit. Sed in eo ipso religiosae monumentorum descriptionis vestigium certissime deprehendas, ut inde infirmetur rursus Spengelii opinio (l. c. p. 402), qui non archontes solos, sed menses etiam diesque interpolatoris arbitrio deberi contendit; confirmetur contra Boeckhii sententia, qui decretorum praescripta, quae sane plurimis laborant difficultatibus, omnino antiquis monumentis niti, sed ex rubricis singularum collectionis partium suppleta esse iudicat, in quibus concinnandis liberius auctori versari licuerit (l. c. p. 26).

Tabula chronologica rerum praesertim earum, quarum tempora his in commentariis explorantur et constituuntur.

Litt. p. libri paginam monstrat; signum ? indicat, rem ex coniectura esse ad certum annum relatam, aut argumenta inter annum signo additum et exterius notatum fluctuare. Ceterum Ol. 106, 3 — 108, 1 res non omnes ex satis iam explorato temporum ordine dispositae sunt. Erunt hae cum aliis, quae ad hunc locum minus pertinebant, alio accuratius excutiendae.

Ol. 93, 4. Munychione bellum Peloponnesiacum terminatur p. 17.

Ol. 96, 2. in. Lacedaemoniorum ad Haliartum clades p. 20 sq.
ex. „ ad Corinthum victoria p. 22 sq.

Ol. 101, 4. Thebani Plataeenses et Thespienses patria expellunt p. 24. not.

Ol. 103, 3. „ Atheniensibus Oropum fraude detrahunt p. 27 sq.

Ol. 104, 1. „ Orchomenum devastant p. 25. not.

Ol. 105, 1, Atheniensium ad Amphipolim clades p. 39.
- „ bellum cum Cotye de Chersoneso p. 194, 307.

Ol. 105, 2. Cotys necatur. Thraciae imperium in tres partes dividitur p. 194.

Ol. 105, 3. Athenis primi trierarchi voluntarii p. 32.
Atheniensium adversus Thebanos in Euboeam expeditio p. 29, 40.
Philippus Amphipolim oppugnat p. 40.
Cersobleptes Atheniensibus Chersonesum pacto concedit p. 194.
Symmoriae trierarchicae Athenis instituuntur p. 200.
Byzantii, Chii, Rhodii ab Atheniensibus deficiunt. Belli socialis initium p. 35.

Ol. 105, 4. Philippus Amphipoli et Pydna potitur. Bellum Amphipolitanum exardescit p. 40. sq.
Phocenses templum Delphicum occupant p. 44.

Ol. 106, 1. in. Philippus Illyrios vincit, Potidaeam expugnat p. 43.
cum Olynthiis foedus adversus Athenienses facit p. 41 sq. 66.
Alexander M. nascitur p. 43.
Socii rebelles Lemnum, Imbrum, Samum devastant p. 35.

Ol. 106, 2. Bellum sociale componitur p. 35.
Athenienses contra Olynthios expediunt p. 66.

Ol. 106, 3. Bellum sacrum gravius exardescit. Athenienses et Lacedaemonii Phocensibus, aliae civitates Thebanis se iungunt p. 45.
Demosthenes ad rei publicae gubernacula accedit p. 46.
Athenienses Plutarcho in Euboea auxilia ferunt. Phocion, ad Tamynas victor, Plutarchum Eretria eiicit p. 162.

Ol. 106, 4. Philippus Methonem expugnat p. 47.
„ in Thessalia tyrannos eiicit, Phocenses caedit, Onomarchum necat p. 49.
„ Lemnum et Imbrum devastat p. 59, 62, 196, 315.
„ Atheniensium classem ad Geraestum spoliat p. 61.
Pax inter Olynthios et Athenienses p. 61, 66.
Lacedaemonii Argivos ad Orneas vincunt. Demosthenes or. pro Megalopol. habet p. 149.

Ol. 106, 4. ex. Athenienses Philippum ad Thermopylas reprimunt p. 50.
„ Phocensibus subsidia duce Nausicle mittunt p. 316.

Ol. 106, $^{4}/_{1}$. Demosthenis in Aristocr. oratio. p. 306. not.

Ol. 107. anno incerto Philippus Antiphontem mittit ad comburenda Atheniensium navalia. Athenienses cum Deliis de templo Deliaco coram Amphictyonibus agunt p. 52—55.
Euboeenses pacem cum Atheniensibus componunt p. 164.

Ol. 107, 1. in. Philippus sacram triremem Marathone diripit p. 61.
„ Thraciam invadit, Cersobleptem coercet, Heraeum obsidet p. 62, 196, 308. not. 314.

Ol. 107. 1. med. Philippus morbo affligitur p. 62.
hieme (?) oratio contra Phil. I. p. 51, 60, 196, 308. not.
Nausicles Atheniensium in Imbro colonis auxilium fert (? Ol. 106. 1) p. 295 sqq.

Ol. 107, 2. in. Salamis ins. a Megarensibus aut Corinthiis impugnatur. Nausicli, Charidemo, Diotimo corona decernitur (? Ol. 106, 2 in.) p. 295 sqq.
Boedromione Athenienses Charidemum in Chersonesum adversus Philippum mittunt p. 308. not.
Artaxerxes in Aegyptum expedit. Cyprus a Persis deficit.

Ol. 107, 3. Cypri Salamis in Persarum potestatem redacta p. 64.

Ol. 107, 4. Philippus urbes Chalcidicas, in primis Olynthum aggreditur. Athenienses foedus cum Olynthiis ineunt, eisque ter auxilia mittunt p. 67.

Ol. 108, 1. in. Olynthus evertitur p. 67 sq.
Athenienses Peloponnesiacas civitates ad belli contra Philippum societatem frustra excitare conantur p. 72, 150.
Philocrates Athenis primum decretum fert de pace cum Philippo componenda p. 72, 317.

Ol. 108, 2. Boedromione alterum Philocratis decretum vincit de legatis ad Philippum creandis p. 73.
Gamelione aut Anthester. legati in Macedoniam proficiscuntur. Quibus ex Macedonia abeuntibus, Philippus in Thraciam movet p. 73, 125 sqq.
Elaphebolione in. legati urbem redeunt p. 99, 318.
„ ad Dionysia Philippi legati Athenas adveniunt p. 99, 318.
„ XIX. pax fit p. 99, 319.
„ legati Athenienses creantur ad ius iurandum pacis a Philippo exigendum p. 101, 319.
„ XXIV. Philippus, Thraciae maritimae castellis expugnatis, Cersobleptem e regno eiicit p. 100, 124 sq.
„ XXV. socii Athen. pacem iure iurando confirmant p. 99 sq. 318.

Ol. 108, 2. Munychione III. legati Athen., senatus consulto a Demosthene lato excitati, in Macedoniam abeunt p. 101, 319.

Thargelione cum Philippo, ex Thracia reverso, conveniunt p. 101.

„ Philippus in Phocidem proficiscitur. Halum expugnat. Pheris pacem cum Atheniensibus compositam iure iurando confirmat p. 80.

„ Ad Thermopylas appropinquat p. 101.

Scirophorione XIII. legati Athen. revertuntur p. 101.

„ XVI. novi ad Philippum simul et Amphictyones legati creantur Cap. III. a p. 105.

„ XXIII. Philippus cum Phalaeco paciscitur l. c.

„ Thermopylas traiicit. Phocidem occupat, urbes alias evertit, aliis praesidia imponit l. c.

„ XXVII. Dercylus, legatione interrupta Athenas redux, Atheniensibus nuncium affert de pacto Phalaeci. Callisthenes σκευαγωγίαν decernit. Aeschines cum aliis legatis ad Amphictyones abit, Delphis a Philippo congregandos l. c.

Ol. 108, 3. in. Philippus Athenienses per epistolam ad pacem revocat p. 113 sq.

Amphictyonum de Phocensibus grave iudicium. Philippus in Amphictyones recipitur, et Pythiorum praeses fit Cap. III. 1 extr. et 3.

decreta Amphictyonum in Phocenses exsequitur p. 116. Cf. 328 sq.

Philippi et Thessalorum legati Athenas veniunt, postulaturi, ut Athenienses Amphictyonum de Philippo decretum comprobent. Demosthenes orationem de pace habet p. 136.

Ol. 108, 3. Munychione Athenienses de Phocensium excidio indignati a Pythiis abstinent p. 116.

Philippus Arcades, Argivos, Messenios sibi conciliat, Lacedaemonios ab infestandis Messeniis desistere iubet p. 150.

Ol. 108, 3 aut 4. Diopithes novos in Chersonesum Atticos colonos deducit p. 197.

Ol. 108, 4. Atheniensium ad Messenios et Argivos legatio p. 137 sq. 151.

Philippus subsidia et pecunias in Peloponnesum contra Lacedaemonios mittit p. 153.

Ol. 108, 4 aut 109, 1. Phil. Halonesum Atheniensibus eripit p. 128.

Ol. 109, 1 Philippus Pythonem Athenas mittit de pace corrigenda acturum. Cum hoc simul Argivorum et Messeniorum legati adveniunt. Demosthenes orationem Philipp. II. habet, Pythonem refutat p. 138 sq. Cf. 146, 151.

Atheniensium ad Philippum de pace corrigenda legatio p. 140 sq.

Philippus, de Illyriis victor, in Thessaliam descendit, tyrannos iterum expellit, Thessaliae res publicas ordinat p. 146, 155 sq.

Demosthenis ad Illyrios et Thessalos legatio p. 159.

Athenienses ad Drymum et Panactum copias educunt, in Thessaliam subsidia mittunt p. 157.

„ in Peloponnesum traiicere parat p. 155, 157.

Elide optimates plebis dominationem exstinguunt. In Arcadia et Argis graves motus a Philippi factionibus excitantur p. 153 sq.

Eleorum cum Philippo foedus p. 154.

Turbae intestinae Megaris et in Euboea motae. v. proxima.

„ Porthmum diruit, Eretriaeque Clitarchum tyrannum constituit p. 169 sq.

„ Megaris imminet p. 144 sq. 157.

Ol. 109, 2. in. Philippus in Epirum proficiscitur. Ambraciam et Leucadem impugnare parat p. 155 sq.

Demosthenes Ambraciae legatos Philippi superat p. 158.

Atheniensium in Acarnaniam subsidia p. 157.

„ in Peloponnesum legatio p. 152 sqq.

„ Alexandro, affini suo, regnum Molossorum tradit p. 156.

„ novam de pace corrigenda legationem Athenas mittit cum epistola, ad quam respondet auctor orationis de Halon. p. 141.

Ol. 109, 2. vere „ in Thraciam mediterraneam movet p. 156, 174 sqq. 185 sqq.

Demosthenes legationem ad Thraciae reges obit (?) p. 185 not.

Diopithes in Chersoneso Cardianos infestat. Philippus Cardianis auxilia mittit. Ille Thraciam maritimam vastat p. 175, 198.

Ol. 109, 2 aut 3. hieme Atheniensium cum Calliae, Chalcidis tyranno, foedus p. 167, 179.

Ol. 109, 3. in. Philippus per mercenarios Oreum capit, ibique Philistidem tyrannum constituit p. 170, 180.

„ Athenienses Diopithem ob pacem turbatam punire iubet p. 141 sq. 175.

hieme Demosthenes Diopithem defendit, et Athenienses ad bellum excitat orationibus de Cherson. et Philipp. III. p. 174 sqq.

Athenienses ad Peloponnesiacas civitates et ad Acarnanes legatos mittunt (? Ol. 109, 2) p. 172 sqq.

vere foedus faciunt cum Oritis et Eretriensibus (? Ol. 109, 2) p. 168.

Ol. 109, 3. ex. Philippus universam Thraciam, regibus pulsis, subigit p. 187 sqq.
„ in oram Propontidis movet p. 187 sqq.
„ cum classe in Hellespontum tendit; in Chersonesum copias mittit p. 198.
extr. Anaxinus, Philippi explorator, Athenis necatur p. 347 sqq.

Ol. 109, 3 aut 4. Peparethus a Philippo vastatur p. 130.

Ol. 109, 4. in. Philippus Selymbriam obsidet; Atheniensium classem Selymbrianis auxilio missam intercipit, sed pacis servandae causa Atheniensibus reddit p. 188 sq.
Demosthenes Athenienses ad bellum et legationem ad Persas mittendam excitat or. Phil. XI (IV) p. 190 not.
med. Athenienses Oreum et Eretriam expediunt, tyrannos eiiciunt p. 181 sq.
Gamelione Aristonicus decretum fert de coronando Demosthene ob liberatam Euboeam p. 159 sqq.
ex. Philippus Perinthum oppugnat p. 189 sq.
extr. „ ad Byzantii obsidionem convertitur; Atheniensibus bellum indicit p. 190 sq.

Ol. 110, 1. in. Athenienses pacis columnam amoliuntur p. 228.
„ Subsidia in Hellespontum mittunt duce primum Charete, tum Phocione p. 190 sqq.
Boedromione Demosthenes trierarchiam ad censum redigit p. 202.
med. Philippus Byzantii obsidionem solvit p. 192.
„ ex Chersoneso cedit p. 199.
„ adversus Scythas Istrianos proficiscitur p. 206 sq.
Phocion Megarensibus adversus Boeotos opitulatur, Megara per muros cum mari coniungit; Megarenses socii Atheniensium fiunt p. 147. Cf. p. 383.
Anthesterione XVI. Aeschines pylagoras creatur p. 208.

Ol. 110, 1. Elaphebolione Amphissenses ab illo rei ad Amphictyones delati Amphictyonibus vim afferunt p. 210.

Munychione aut Thargelione Amphictyones extra ordinem congregati bellum adversus Amphissenses decernunt, quo per breve spatium gesto, Amphissensibus multam irrogant, rato tempore persolvendam p. 212.

extr. Philippus ex Scythia revertens cum Triballis confligit p. 206.

Ol 110, 2. Hecatombaeone pax inter Philippum et Athenienses renovatur(?) p. 227 sqq.

" Philippus in Macedoniam revertitur p. 207.

" " belli adversus Amphissenses dux ab Amphictyonibus creatur p. 218 sqq.

" " ad Boedromionem socios Peloponnesiacos in Phocidem convocat p. 219 sqq.

Sed spatio per hiemem facto, magis paratus

Elaphebolione per Thermopylas in Locridem invadit p. 240 sqq.

" XXV. Athenienses inducias ab eo petunt usque ad mensem Thargelionem concedendas p. 242 sq.

Thebani pacem sese observaturos Philippo pollicentur p. 243.

Munychione ultimo Athenienses iterum inducias rogant p. 243.

Thargelione XXVIII. Demosthenes decretum

fert de creandis moenium reficiendorum curatoribus Cap. VI. p. 274 sqq.

Ol. 110, 2. Scirophorionis die circiter XIII. Elatea capta p. 245.

" XVI. Demosthenes decretum fert de Thebanis ad belli contra Philippum societatem invitandis p. 245.

" " Thebis Philippi legatos superat, Thebanos ad foedus ineundum excitat p. 246.

Scirophorione extr. Philippus, Cytinio occupato, Amphissenses invadit et opprimit p. 247.

Ol. 110, 3. Hecatombaeone in. Philippus ad fines Boeotiae procedit, improspere ad Cephissum dimicat et in pugna χειμερινῇ (procellosa) p. 249.

" Demosthenes Panathenaeis magnis (?) coronatur p. 250.

Metagitnione VII. clades Graeciae ad Chaeroneam p. 206.

" Athenis moenia reficiuntur p. 263 sq.

" aut Boedrom. pax fit inter Philippum et Athen. p. 262 sq.

Demosthenes ab adversariis impugnatur p. 266 sqq.

Pyanepsione XXII. Ctesiphon senatus consultum perfert de coronando Demosthene Cap. VI.

Demosthenes occisos ad Chaeroneam oratione funebri celebrat p. 269.

Philippus in Peloponneso Lacedaemonios, adiuvantibus Eleis, invadit p. 154 ibique not.

Ol. 110, 3. Elaphebolione VI. Aeschines Ctesiphonti γραφὴν παρανόμων intendit Cap. VI.

Ol. 111, 1. Metagitn. aut Boedrom. Philippi obitus p. 260.

Ol. 111, 2. Boedromione Alexander Thebas diruit p. 327.

Ol. 112, 2. Pyanepsione ad Arbela pugna p. 283.
extr. Lacedaemonii bellum in Peloponneso movent p. 283 sq.

Ol. 112. 3. Hecatombaeone Darii obitus p. 283. Cf. 285, 287.
med. Lacedaemonii ab Antipatro superantur p. 284.
Elaphebolione certamen de corona agitur p. 282 sqq.

Index rerum et nominum.

A.

Acarnanes. v. tab. chron. s. Ol. 109, 2 et 3.

Achaei. 252.

Aeginetarum fata Ol. 87, 2 — 93, 4. 19.

Aenianes. 246, 251.

Aeschines quando natus. 53. Vitae eius memorabilia quaedam usque ad Ol. 107 ibid. causa de templo Deliaco dicenda indignus iudicatur. 54. Ol. 108, 1 adhuc osor Philippi. 72. eiusdem commoda agit Ol. 108, 2 in pace cum Atheniensibus componenda. 73, 74 not. 76, 81. Cf. cap. III, 3. de eadem bis ad Philippum legatus. 87 sq. legatus ad Amphictyones, de Phocensium poena iudicantes. 111. Inter Ol. 108, 3 et 110, 3 legationes ad Philippum obire recusat. 235 not. bellum adversus Amphissenses Amphictyonicum excitat. 207 sqq. post cladem ad Chaeroneam de pace ad Philippum legatus. 233, 262. Rell. in Demosth.

Eius or. in Ctes. illustratur per totum librum. Or. de m. g. leg. maxime cap. III, 1, 2, 3.

Aetoli. 246.

Aleuadae. 48. V. Thessalia.

Alexander natus. 43. cf. 226. Thebas diruit 211 not. cf. 327. Atheniensibus ad ignoscendum difficilis. 309. eius ad Arbela victoria et in septentrionales Asiae regiones profectio. 283 sq.

Alopeconnesus v. Cherson.

Ambracia v. tab. chron. s. Ol. 109, 2.

Amphictyones ad vernum concilium mense praeterpropter Elaphebolione conveniunt. 209. ad auctumnale Metagitnione. 218. ex sacerdote annuo tempora designant. 214.

Amphipolis historia usque ad Ol. 105, 3. 37 sqq. Atheniensium de ea bella, ultimi cum Philippo gesti origo. ibid. eidem conceditur per pacem Ol. 108, 2. 78.

Amphissenses v. Locri.

Amyntas, Philippi praetor. 188. legatus. 143.

Anaxinus v. tab. chron. sub Ol. 109, 3.

Antipater, Philippi ad Athen. legatus. 136. Lacedaemonios domat. 283 sq.

Antiphon v. tab. chron. sub Ol. 107.

Arcades) v. Peloponnesus.
Argivi)

Aristodemus Athenienses ad pacem Ol. 108, 2 excitat. 73. bis. de eadem ad Philippum legatus. 87.

Aristophon. 224.

Athenienses Ol. 93, 4 a Lacedaemoniis concisi. 16. Thebanis ad Haliartum opem ferunt. 21. ad Corinthum dimicant. 22. post Leuctricam pugnam Lacedaemonios adiuvant. 25. eorum in Thebanos odii causa. 46, 81. Phocensium in bello sacro socii. 46, 48 sqq. 70 sqq. pacem cum Philippo Ol. 108, 2 qua de causa et qua ratione composuerint. 70 sqq. Cf. cap. III. 3. de ea deque Phocensium excidio indignati. 84 sq. Cf. cap. III. 3. de pace corrigenda cum Philippo frustra agunt. 137 sqq. eorum tempore cladis Chaeron. et ad Chaeroneam socii. 252. post cladem de salute trepidant. 263 sq. Thebis dirutis σκευαγωγίαν decernunt. 327. a belli Ol. 112, 2/3 in Peloponneso moti communione abstinent. 290. Reliqua v. in tab. chron.

ἐξ Ἀθηναίων vel ἐκ πάντων Ἀθην. quid? 93.

B.

Boeotia. In universa Boeot., maxime in urbe Tanagra, Lacedaemoniorum primo post bellum Peloponnes. tempore harmostae et praesidia. 18. ad Haliartum pugna. 21. Boeoticum bellum. 23. pugna Leuctrica. 25. Thebani universae Boeotiae imperium affectant, Plataeenses et Thespienses expellunt, Orchomenum devastant. 24 sqq. not. Atheniensibus invisi. 46, 81. a Phocensibus pressi Philippi auxilia implorant. 71, 79. Bellum sacrum eorum commodo a Philippo compositum. 85. post excisos Phocenses Philippum suspectum habent et ad Athenienses inclinant. 223 sq. inter pacem et bellum fluctuant usque ad captam Elateam. 224, 243. eorum cum Atheniensibus foedus contra Philippum. 245. Thebae ab Alexandro dirutae. 211. not. Cf. 327. V. tab. chronol. Ol. 96, 2. 101, 4. 103, 3. 104, 1. 110, 2. 111, 2.

βουλεύων ἔγραψα quid? 91.

Byzantiorum, Chiorum, Rhodiorum adversus Athen. bellum. 34. Byzantium urbs ob situm mercatura gravissima. 186. qua de causa a Philippo impugnata sit. 186. v. tab. chronol. s. Ol. 109, 4 et 110, 1.

C.

Cabyle s. Calybe, Thraciae urbs, a Philippo quando condita. 184.

Callias, Chalcidis tyrannus, Phocionem ad Tamynas prodit. 163. Euboicum concilium Athenis Chalcidem transferre conatur. 164. eius cum Atheniensibus foedus contra Philippum. 167. sq.

Callisthenis decretum de σκευαγωγίᾳ cap. III. 3. Cf. 321.

Callistratus. 28.

Cardia, urbs Chersonesi ob situm gravis, libera, Atheniensibus semper adversaria. 197 sq. in pacis Ol. 108, 2 societatem a Philippo recipitur. 80. v. tab. chron. s. Ol. 109, 2.

Cersobleptes, Cotyis fil., Thraciae maritimae rex. 124, 194. universae Thraciae imperium affectat. 313. Atheniensium socius. 124, 194. Athenis ad pacem Ol. 108, 2 admittitur. 100 not. a Philippo ab eadem excluditur. 80. Ol. 108, 2 debellatur. 125 sqq. V. tab. chronol. s. Ol. 105, 3. 107, 1. 108, 2.

Chabrias causam de Oropo dicit. 28. eius obitus. 35, 195 not.

Chares belli socialis auctor. 34 sq. in eodem dux Athen. ibid. 195 not. Olynthiis auxilio mittitur. 65. Ol. 108, 2 in Hellesponto et Chersoneso versatur. 126. a Byzantiis ob malam nominis famam reiicitur. 192.

Charidemi Oritae vita, mores et res gestae. 306 sqq. Charidemi, Atheniensis praetoris, vitae memoranda. 308 sq. Idem utrum Orita sit an Atheniensis? ibid.

Chaerondas pseudepon. Ol. 109, 4. 183. Chaerond. in Aesch. or. in. Ctes. epon. 274.

Chersonesi Thraciae historia usque ad Ol. 110, 1. cap. IV, 9. 193 sqq. Praestantiores in ea urbes Sestus, Eleus, Madytus, Alopeconnesus, Crithote Atheniensibus subditae. ibid. V. tab. chron. s. Ol. 105, 1. 107, 2. 108, ¾. 109, 2, 3. 110, 1.

Chii v. Byzantii.

Cimon Athen. de pace Ol. 108, 2 legatus. 87.

Cirrhaeus ager multorum bellorum materia. 208.

Cleonae. 19.

Clitarchus, Eretriae tyrannus, 165. eiicitur. 180 sqq.

Corcyraei. 252.

Corinthium bellum, in quo pugna ad Corinthum magna. 22. Corinthii Ol. 107 — 108 Atheniensium hostes. 64. eorundem ad Chaeron. socii. 252.

Cottyphus, Amphictyonum praeses et dux, Arcas an Pharsalius? 212. Philippum adversus Amphissenses invitat. 214.

Cotys, Thraciae rex, Atheniensibus Chersonesum eripit, de eaque cum eis bellat. 194. necatur. ibid. V. tab. chronol. s. Ol. 105, 1 et 2.

Ctesiphon Athenienses ad pacem Ol. 108, 2 primus excitat. 72, 73. de eadem ad Philippum legatus. 87. Ctesiphon certaminis de corona auctor. Cap. VI.

Cytinium, Doridis urbs. 248. V. tab. chron. s. Ol. 110, 2 extr.

D.

Darii obitus. 283.

Deceleicum bellum. 15 sq.

Deliorum de templo Apollinis cum Atheniensibus dissensio. 55 sq. V. tab. chronol. s. Ol. 107.

Demades, orator, pacem Atheniensium cum Philippo post cladem Chaeron. conciliat. 232, 263. Alexandrum placat. 309.

Demomeles v. Hyperides.

Demonicus, pseudepon. Ol. 106, 3 aut 107, 3. 293 sqq. Cf. 55 sqq.

Demosthenes ephebus. 29. pacem Ol. 108, 2 componendam strenue agit. 73, 74 not. 77, 79, 81, 99, 100 not. Cf. cap. III, 3. de eadem bis ad Philipp. legatus. 87. eius in Peloponnesum legatio prima. 137 sq. secunda. 152. in Peloponnesum simul et in Acarnaniam. 172 sqq. 177 sq. ad Illyrios, Thessalos, Ambraciam. 158 sq. ad Thraciae reges. 185 not. ex pugna ad Chaeron. fugam capit. 273. eius post cladem de urbe munienda consilia et liberalitas. 264 sqq. Ab adversariis impugnatur. 266 sq. Thebis dirutis Alexandrum legatus adire non audet. 289. ab Alexandro exposcitur. 289. eodem in Asia versante pacis suasor. 290. causam de m. g. leg. perdit. 145. Rell. v. in tab. chronol. inde ab Ol. 106, 3.

Eius or. Phil. I. non est in duas partes dirimenda. 60 sq. or. de m. g. leg. re vera habita est. 145 not. Ol. 109, 2 in. 169. or. de Halon. non Demosthenis est, sed Hegesippi. 130 sqq.

Orationis in Aristocr. tempora maximam partem illustrantur 306. sqq. cap. IV. 9; or. Philipp. I. 60 sqq.; or. de m. g. leg. cap. III. 1, 2, 3. cap. IV. 1—5. Or. Phil. II. et de Halon. cap. IV. 1—5; or. de Cherson. et Phil. III. cap. IV. 6, 7, 8.

Dercylus Athen. de pace Ol. 108, 2 ad Philipp. legatus. 87. V. tab. chron. s. Ol. 108, 2 extr.

Diodorus in annis rerum gestarum notandis minus accuratus. 15, 43, 44, 47, 49, 192, 194 not. 245 not.

Diondas. 250.
Diophanti decretum (in Demosth. π. παραπρ. p. 368) ad Ol. 107, 1 referendum. 325 not.
Diopithes. V. tab. chron. Ol. 108, 3/4. 109, 2 et 3.
Diotimus. 56, 301, 309.
Dolopes. 246, 251.
Doriscus, Serrhium, Myrtium, Ergisce, Murgisce, Ganos oppida sive castella Thraciae maritimae. 124, 125. ea Philippus expugnat. 126. Athenienses ut sua reposcunt. 127.

E.

Echinus. 224.
Elatea v. tab. chron. s. Ol. 110, 2. extr. qua de causa a Philippo occupata. 240, 244 sq.
Elei v. Peloponnesus.
Eleus v. Chersonesus.
ἐνστάς diversum ab *ἐνεστώς*. 218.
Epirus v. tab. chron. s. Ol. 109, 2.
Ergisce v. Doriscus.
Euboea. Praestantissimae in ea civitates. 30. Lacedaemoniorum in eis harmostae. 18. Ol. 100, 4 ad Athenienses deficiunt. 30. Res per aetatem Philippi in Euboea gestae. cap. IV, 6. p. 159 sqq. V. tab. chronol. s. Ol. 105, 3. 106, 3. 107. 109, 1, 2, 3, 4. Euboeenses Atheniensium ad Chaeron. socii. 252.
Eubulus Athen., Philippicae factionis adversarius. 72. 224. pacis Ol. 108, 2 suasor. 96. in causa de m. g. leg. intercedit. 96. 145 not.
Eudicus et Simus, Aleuadae. 49.
Euthycles pseudepon. Ol. 110, 3. Cap. VI. Cf. 332 sqq.
Euthycrates v. Lasthenes.

F.

Fasti Macedonici antiqui a recentioribus diversi. Ex illis Lous Boedromioni, ex his Hecatombaeoni respondet. 219, 226.

G.

Ganos v. Doriscus.
γνώμη βουλῆς, γν. βουλ. καὶ δήμου quid? 303 sqq. not.

H.

Haliartus v. tab. chron. s. Ol. 96, 2.
Halonesum Athenienses a Philippo frustra reposcunt. 128 sq. V. tab. chron. s. Ol. 108, 4.
Halus. V. tab. chron. Ol. 108, 2 extr. et v. Pharsal.
Hegesippus orationis de Halon. auctor. 132.
Helixus v. Megara.
Heraeum a Philippo oppugnatur. 196, 308.
Heropythus, pseudepon. Ol. 110, 2. 220 sqq.
Hieron Oros v. Doriscus

Hyperides ad causam de Delo dicendam creatus. 54. una cum Demomele coronam Demostheni decernit. 250. eius post cladem ad Chaeron. decretum. 263. V. Philocrates.

I.

Iatrocles Athen. de pace Ol. 108, 2 legatus. 87.
Illyrii v. tab. chron. s. Ol. 106, 1 et 109, 1.
Imbrus v. tab. chron. s. Ol. 106, 1. 106, 4. 107, 1.
Insulae Aegei maris exeunte bello Peloponn. a Lysandro subactae. 19 sq.
Isocratis obitus 263 not.

L.

Lacedaemonii, Phocensium per bellum sacrum socii. 46, 79, 82. eorum post bellum Peloponn. gravis principatus. 17, 19, 20. Rell. v. in tab. chronol. Ol. 96. 2 et s. v. Peloponnesus.
Lasthenes et Euthycrates, Olynthi proditores, a Philippo contempti. 67, 68.
Lemnus v. tab. chron. s. Ol. 106, 1 et 106, 4.
Leucas v. tab. chron. s. Ol. 109, 2. Leucadii. 252.
Locri Amphissenses s. Ozolae v. tab. chron. Ol. 110, 1 et 2.
Lous v. Fasti M.

M.

Madytus v. Chersonesus.
Megalopolitae v. tab. chron. s. Ol. 106, 4. et p. 149.
Megara Lacedaemoniis obnoxia. 19. Ol. 106—108 Atheniensibus adversaria. 299. In eis turbae a Perilao, Ptoeodoro, Helixo, Philippi sectatoribus, motae. 145 sqq. V. tab. chron. s. Ol. 109, 1 et 110, 1. Megarenses Athen. ad Chaeron. socii. 252.
Messenii v. Peloponnesus.
Methone v. tab. chron. s. Ol. 106, 4.
Midias, Anagyras. 208, 234.
Miltocythes, Thraciae rex, 194 not. 1.
Mnesiphilus, pseudepon. Ol. 108, 3 aut 110, 2. 116 sqq. 345.
Mnesithides pseudepon. Ol. 110, 2. 220. sqq.
Murgisce, Myrtium v. Doriscus.

N.

Nausicles Athen. dux et rei publicae gerendae studiosus. 56 sq. Cf. 293 sqq. pseudepon. Ol. 110, 2. 245.
Neocles pseudepon. Ol. 109, 4. 188.
Neoptolemus Athenienses ad pacem Ol. 108, 2 excitat. 73.
Nicaea. 224.
Nicias pseudepon. Ol. 109, 4 aut 110, 1. 347.

O.

Olynthus v. tab. chronol. s. Ol. 105,4. 106,1,2. 106, 4. 107, 4. 108, 1.

Onomarchus, Phoc. dux, necatur. 35.

ὀπώρα. 218 not.

Orchomenus v. Boeot. et tab. chron. Ol. 104, 1.

Oropi historia usque ad Ol. 110, 3. 26 sqq.

P.

Panathenaeis Magnis corona renunciatur. 250.

Panemus mensis. 226.

Parmenio, Philippi praetor. 78 not. de pace Ol. 108, 2 ad Athen. legatus. 136.

Peloponnesus. Rerum per Philippi aetatem in Peloponn. gestarum conditio. Cap. IV, 5. p. 148 sqq. V. tab. chron. s. Ol. 106, 4. 108, 1, 3, 4. 109, 1—4, 110, 2, 3. 112, 2, 3. M e s s e n i i, A r c a d e s, A r g i v i odio L a c e d a e m o n i o r u m ob eorumque superbiam ad Philippum inclinant; unde turbae intestinae. 149 sqq. Elide σφαγαί. 152. E l e i Philippo confoederati. 153 sq. ad Chaeron. ei non opitulantur. 252. eundem post cladem contra Lacedaemonios adiuvant. 153 not. Reliqui etiam Peloponnesii, praeter Corinthios pugnae Chaeron. non interfuisse videntur. 252.

Peparethus a Philippo vastatur. 129 sq.

Perilaus v. Megara.

Perinthus v. tab. chron. s. Ol. 109, 4.

Persae v. Salamis. a Graecis auxilia accipiunt. 64. ab Atheniensibus contra Philippum excitati Perinthiis auxiliantur. 189. bellum eis inferendum Philippus diu praemeditatur. 122, 186.

Phalaecus Phoc. dux ab Ol. 107, 1. 306 not. Thermopylas custodit. 80. V. tab. chron. s. Ol. 108, 2. Exules Eleos in Peloponneso adiuvat. 149.

Pharsaliorum cum Halensibus inimicitias Philippus componit. 78 not.

Philippus. V. tab. chron. inde ab Ol. 105, 3. altero oculo privatur. 47. in femore vulneratur. 206 sq. Persas in Asia invadere meditatur. 186. eius ad Athenienses legationes. 136 sqq. ad Athen. epistola, quae affixa est spuriae Demosthenis orationi *πρὸς Φιλ. ἐπιστ.*, non suppositicia; quando scripta. 191.

Philistides, Orei tyrannus. 156 sq. 180. eiicitur. 182 sq.

Philochorus in annis rerum gestarum notandis non omnino accuratus. 192.

Philocrates pacis Ol. 108, 2 principalis auctor. 72, 73.

V. tab. chron. s. Ol. 108, 1 et 2. de eadem bis ad Philipp. legatus. 87. eius in pace hac concilianda perfidia. 78, 81, 87, 100 not. Cf. cap. III, 3. Ob quam ab Hyperide εἰςαγγελίᾳ delatus fugit et capitis damnatur. 87.

Phocense s. sacrum bellum qua de causa exarserit. 44 sq. quo modo compositum 70 sqq. Phocenses a pace Ol. 108, 2 per Philocratis et Aeschinis perfidiam exclusi. 78, 80. Amphictyonum de eorum excidio grave iudicium. 84 sq. Atheniensium ad Chaeron. socii. 252. Rell. v. in tab. chron. s. Ol. 105, 4. 106, 3 et 4. 108, 2 et 3.

Phocion Athen. dux in Euboea Ol. 106, 3. 162. Ol. 107, 2 et 3 Persis ad Salaminem praefectus. 64. Euboeam liberat. 182. item Byzantios. 192 sq. Chersonesitas. 199. Megarensibus opem fert. 147, 383.

Phthiotae. 246, 251.

Phryno. 72. de pace Ol. 108. 2 ad Philipp. legatus. 87.

Plataeae v. Boeot. et tab. chron. s. Ol. 101, 4.

Plutarchus, Eretriae tyr., v. tab. chron. s. Ol. 106, 3.

Polycles pseudepon. Ol, 110, 1. 206.

Porthmus, Eretriae castellum. 169. v. tab. chron. s. Ol. 109, 1.

Potidaeae historia. 42 sq. V. tab. chron. s. Ol. 106, 1.

Proxenus, Atticae classi ad Oreum praefectus. 51. 71. 79. mercenariorum dux in bello Amphiss. 247 sq.

Psephismatum praescripta in lapidibus solemnia. 338, 343 not. qua forma a rogatoribus conscripta. 343 not. qua in tabulario servata. 342.

Ptoeodorus v. Megara.

Pydna. 41.

Pylae s. Thermopylae Ol. 107, 1 — 108, 2 ab Atheniensibus a mari custodiuntur. 51. eas Philippus occupat. 83. per mercenarios obtinet. 52. V. tab. chron. s. Ol. 106, 4. 108, 2.

Pylagorarum munus annuum. 216 not.

Pythia cuiusque Olymp. a. 3. mense Munychione aguntur. 285 sqq.

Pytho Aenius Cotym necat; Athenis civitate donatus commoratur; sub Ol. 107, 1 ad Philippum migrat. 135 sq. 194.

Pytho Byzantius, ab illo non diversus. 135. eius ad Athenienses in rebus Philippi legationes 135 sqq. a Demosthene refutatur. 133 sqq. V. tab. chron. s. Ol. 109, 1.

R.

Rhodii v. Byzantii.

S.

Salamis ins. cum castello et fluvio. 63. V. tab. chron. s. Ol. 107, 2.
Salamis Cypri urbs a Persis deficit, eorumque in potestatem redigitur. 64 sq.
Selymbria urbs Byzantiis obnoxia. 188. V. tab. chron. s. Ol. 109, 4 in.
Serrhion v. Doriscus.
Sestus v. Cherson.
Simus v. Eudicus.
Symmoriae trierarch. 200 sq. V. tab. chron. s. Ol. 105, 3. 110, 1.

T.

Tanagra v. Boeotia.
Teres, mediterraneae Thraciae rex, a Philippo debellatur. 184. V. tab. chron. s. Ol. 109, 2. 3.
Thebani v. Boeotia.
Thermopylae v. Pylae.
Theorici quaestores annui, quo mense creati? 279 not.
Thespienses v. Boeot. et tab. chron. s. Ol. 101, 4.
Thessalia. Aleuadarum in ea cum Pheraeis tyrannis continua certamina. 48. Philippi in eam expeditiones v. tab. chron. s. Ol. 106, 4. 109, 1. Thessali Phocensium hostes. 70, 49. Philippi socii. 49. cum eo Ol. 106, 4 Phocenses caedunt. 50. bellum sacrum componunt. 82. Cf. Cap. III, 3. eundem adiuvant in expeditione Thracia et Byzantia. 187. et in pugna ad Chaeron. 241, 245.
Thracia Cotye necato inter tres reges dividitur, quorum de imperio certaminis iudex Philippus. V. tab. chron. s. Ol. 105, 2. 107, 1. 108, 2. 109, 2 et 3.
Triballi v. tab. chron. s. Ol. 110, 1 ex.
Trierarchia. 32 sq. V. tab. chron. s. Ol. 105, 3. 110, 1.

U.

Ulpiani scholia variorum laciniis conferta. 119.

Index locorum, quibus monumenta publica, orationi de corona inserta, illustrantur.

ψήφισμα	(p. 235)	illustr.	Cap. III, 2, 3, 4. Cf. p. 316 sqq
„	(238)	„	„ III, 3, 4. Cf. p. 321 sqq. 303 sq. not.
ἐπιστολή	„	„	„ III, 3. p. 113 sq.
γραφή	(243)	„	„ VI.
ψήφ.	(249)	„	p. 187 sq. 303 not.
„	(250)	„	„ „ „ 331 sq.
ἐπιστ.	(251)	„	„
ψήφ.	(253)	„	Cap. IV, 6.
„	(255)	„	„ „ 7.
„	(256)	„	„ „ 9.
„	(261)	„	„ „ 10. p. 331. 326 not.
κατάλ. I et II	(„)	„	„ „ „
ψήφ, I. II	(265)	„	p. 55 sqq. Cf. 293 sqq. 302 not. sqq.
„	(266)	„	Cap. VI. Cf. p. 332 sqq.
νόμος	(267)	„	p. 355 sqq.
μαρτ.	(272)	„	p. 354.
„	(273)	„	p. 347 sqq.
δόγμα I. II	(278)	„	Cap. V. p. 212 not. 214 sqq.
χρόνοι	(279)	„	„ „ p. 208, 215 not. sqq.
ἐπιστ.	(280)	„	„ „ p. 217 sqq.
ψήφ. I. II	(282 sq.)	„	„ „ inde a p. 220, 303 sq. 331.
ἀπόκρ. I. II	(283 sq.)	„	„ „ „ „ „ „ 239 sqq. 244 not.
ψήφ.	(288 sq.)	„	„ „ „ „ „ „ 230, 245.

Addenda et corrigenda.

P. 12 l. 13 lege callidos. — p. 29. 8 a f. ereptum. — p. 63. 1 pro Ol. CX, 2 scribe Ol. CX, 3 in. — p. 63. 15 sive. — p. 79 not. 1 l. 3 Thracia. — p. 97. 17 sit pro esset. — p. 100 not. l. 6 Cersobleptae. Idem: p. 101 not. l. 2; p. 127 l. 7 et 12; p. 128. 4; p. 135 l. ult.; p. 194. 1; p. 195 not. l. 4 a f. — p. 142. 13 a f. pro Ol. CX, 1 scribe Ol. CIX, 4 ex. — p. 148. 6. Ad Megarorum huius temporis historiam cf. ll. Cap. IV. nr. 6. p. 179 cc., ex quibus facile concludi possit, Megarenses societatem Atheniensium adversus Philippum et quos ille adiuvabat optimatium contentiones iniisse aut quaesivisse certe iam ante hiemem Ol. 109, 3, qua habitae sunt orr. de Cherson. et Phil. III.; simul tamen etiam, eodem tempore nondum ea esse facta, quae Plut. refert de auxiliis Megarensibus a Phocione latis, ita ut, quod ad haec attinet, redeundum re vera sit ad Ol. 110, 1 ex. aut 110, 2 in., quum Phocion de expeditione Byzantia domum esset reversus. Atque Plut. certe ab his continuo transit ad bellum Ol. CX, 2 ex. cum Philippo exortum: *ἤδη δὲ πρὸς Φίλιππον ἐκπεπολεμωμένων παντάπασι καὶ στρατηγῶν, αὐτοῦ μὴ παρόντος, ἑτέρων ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρημένων* (in Phoc. c. 16), in quibus verba *αὐτοῦ μὴ παρόντος* falso retuli ad Byzantiam Phocionis expeditionem. Pertinent enim ea ad aliam Phocionis profectionem Ol. 110, 2 post auxilia Megaris lata, haud dubie ad insulas adversus Philippum armandas. Nam ita pergit Plut.: *ὡς κατέπλευσεν ἀπὸ τῶν νήσων, πρῶτον μὲν ἔπειθε τὸν δῆμον, εἰρηνικῶς ἔχοντος τοῦ Φιλίππου καὶ φοβουμένου τὸν κίνδυνον ἰσχυρῶς, δέχεσθαι τὰς διαλύσεις*, quae cum sequentibus manifesto referenda sunt ad Ol. 110, 2 extr., ad tempus Elateam captam continuo subsequens. V. p. 246 sq. — p. 174. 9 pro Pyanepsione lege Posideone. Idem p. 175. 2; 177. 11 a f. — p. 182. 6 a f. statues. — p. 189. 8 pro Metagitnione lege Maemacterione. — p. 194 not. 1 l. 2 a f. Cotym. — p. 204. 7 a f. navalium. — p. 232 not. l. 1 excusam. — p. 233. 3 post adi-

rent adde: or. in Demosth. p. 56. — p. 250 not. l. 2: post Calliae p. 265 adde: Alia exempla v. in Inscr. ap. Boeckh. Corp. Inscr., ut l. s. c. et nr. 125. — p. 276. 19 interpunge post ἀπενεγκεῖν. — p. 295 not. l. 2 lege πρυτάνεων. — p. 324 not. l. 12 composita; l. 17 reprobantes. — p. 358. 15 a f. pro π. παραπρ. scribe or. in Ctes.



